

Sub 252  

---

no 204




T I T I  
LUCRETII

C A R I  
DE RERUM NATURA

L I B R I VI.

Ad optimorum exemplarium veritatem exacti.

*Quæ præterea in hac nostra Secunda Patavina  
Editione accesserint, subsequens Epistola  
ad Lectores declarat.*



P A T A V I I . C I O I O C C L I .

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS

SUPERIORUM PERMISSU.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

LECTURE NOTES

PHYSICS 311

CLASSICAL MECHANICS

BY

JOHN H. COLEMAN

AND

ANDREW W. MAZUR

CHICAGO, ILLINOIS

1988

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

530 N. DEARBORN AVENUE

CHICAGO, ILLINOIS 60607

ISBN 0-226-08203-0

HARDCOVER \$35.00

PAPERBACK \$18.00



C A N D I D I S  
L E C T O R I B U S .



Atius fortasse fuisset de Lucretio iterum edendo cogitationem omnino abjicere ; quum scriptoris Epicurei , & de summo rerum conditore , ejusque providentia pessime sentientis poëmata , impiorum hominum , qui hoc tempore non desunt , pravis opinionibus & stultissimis favere quodammodo posse viderentur . Typographo tamen flagitanti ut nova poëtæ hujus editio fieret , victas manus dedimus ; ob multas videlicet utilitates quæ ex eo colliguntur , si quis ad legendum sanus & integer accedat . Nitor enim & elegantia Romanæ dictionis , plura etiam in physicis non contemnenda , quæ proponit &

argumentis confirmat, Lucretium jure ac merito eruditis commendant, & porro commendabunt. Hujusmodi quoque scriptores legi & versari posse, quin Dei Optimi Maximi gloria detrimentum capiat, Petrus Barrocius, inter Antistites qui Ecclesiæ Patavinæ præfuerunt, doctrina & probitate insignis, exemplo suo abunde testari potest; is enim quum sua manu Lucretium descripsisset, eum se laborem suscepisse ut Deo gratum & acceptum faceret, profiteri non dubitavit. quod e subjecto ( \* ) testimonio

ma-

( \* ) „ *Codex Lucretii MS. chartaceus Bibliothecæ Canonice Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ signatus litera C. num. 119. hæc in calce exhibet: „ Oro te, lector, per eum quem Christiani Deum colimus, ne aliena mihi errata innocenti ascribas; nam quod in his chartis cum pleraque sententiis, tum versus manci sunt, aut imperfecti, non mea, mehercle, sed exemplaris culpa est factum: quod ex his quæ in versus principis feci punctis, quilibet sanæ mentis intelligere potest. Quod si non illud in culpa, sed me putabis esse, tunc ego te credam cordis ( ut ait ille ) nihil habere. Libri Titi Lucretii sex, versus hexametrorum 7381. ( a ) continent. Incæpi ego Petrus Barrocius*

( a ) In præsentia nostra Editione 7410. numerantur.



manifestum. Qui Lucretium legere cupiunt, verentur autem, ne forte a fatuo magistro nihil sapere, immo delirare discant, illis remedium præsto est Anti-Lucretius viri doctissimi Cardinalis Polignacii, opus nunquam satis laudatum: cujus *μετάφρασις* elegantem, Italico versu quem solutum appellant concinnatam, expectamus ab eximio viro Francisco Maria Riccio, Cassinensi Monacho. Lucretium igitur vobis de novo exhibemus cura nostra emendatum, & corruptoribus librorum præreptum, quorum operâ sæpius fit, ne utilitatem quam hujusmodi scripta promittunt, & cujus causâ ab Ecclesia ipsa tolerantur, studiosi adolescentes plene percipiant. Huic novæ editioni ornamento sunt Scipionis Capicii libri duo de Rerum Principiis, & Aonii Palearii libri tres de Animorum Immortalitate: quorum ille vim & nitorem Lucretiani carminis imitari conatus est: neque frustra; præstat enim reliquis in eo genere:

a 3

quam-

*rocious eos transcribere pridie Kalendas Octobris circiter vesperam, perfeci autem quartodecimo die post, videlicet tertio Idus Octobris ante meridiem, ad Dei Optimi Maximi laudem sempiternam.*

quamquam eam sectatur philosophiam quæ ,  
propter ignaviam & obscuritatem , hoc tem-  
pore a scholis exfulare jubetur : alter sa-  
tis feliciter Virgilium exprimit , & contra  
nonnullos Lucretii errores pro veritate stre-  
nue propugnat . Hi duo poëtæ in editio-  
ne Lucretii Francofurtensi A. 1631. a Da-  
niele Pareo pridem adjecti fuerant . Quod  
si hæc vobis probantur , Lectores candidi ,  
profedo jam nunc laboris & diligentiaë no-  
stræ fructum uberem cepimus . Valete .





*Viro Doctissimo Clarissimoque*

JOANNI GRATIANO

in Gymnasio Patavino Philosophiæ  
Professori Primario

JO. ANTONIUS VULPIUS S. P. D.



UM T. LUCRETII CARI,  
*poëta nobilissimi, ejusdemque philo-*  
*sophi acutissimi, LIBROS DE*  
*RERUM NATURA, ad*  
*optimarum editionum veritatem di-*  
*ligenter exactos, meoque sumtu ty-*  
*pis excusos, in publico proponere*  
*statuissem; quod videlicet bonorum*  
*exemplarium penuria studiosos juvenes jamdiu laborare in-*  
*telligerem; prorsus autem necessarium mihi videretur, de*  
*utilitate ex tam egregio scriptore capienda, quidve in ejus*  
*lectione caveri, quid contra seligi ediscique oporteret,*  
*paucis exponere; tu statim animo occurristi, JOAN-*  
*NES GRATIANE, nostri temporis philosophorum*  
*eloquentissime, ad quem potissimum, tamquam ad judi-*  
*cem harum rerum maxime peritum, orationem meam omnem*  
*disputationemque converterem. Dolueram enim sepiissime,*

*has quæ libris præponuntur, & auctoris consilium, susce-*  
*ptique operis rationem declarant, sive Epistolas, sive, ut*  
*multis appellare libet, Præfationes, nemini scilicet e do-*  
*ctorum numero inscriptas, ac tantum populari studio com-*  
*missas, plerumque neglectui esse, aut certe oscitanter le-*  
*gi; quo fit, ut de incognitis rebus pravissima quotidie ju-*  
*dicia temere proferantur, utque eruditorum hominum la-*  
*bores non ea qua par fuerat, gratiæ atque honoris mercede*  
*excipiantur. Tibi igitur, præ ceteris, viro cum in veteri*  
*elegantia, tum in omnis ævi doctrina summopere exercita-*  
*to, qualecumque hoc industriæ ac diligentie specimen mit-*  
*tendum esse existimavi; futurum enim sperabam, ut no-*  
*minis tui fama & celebritate, quæ ubique magna est, in-*  
*vitati complures, manum huic scriptioni nostræ cupidius*  
*admoverent. Quod si etiam, præter te unum, qui nostris*  
*hisce legendis otium suum consumere vellet, inventus nemo*  
*esset, non idcirco me laboris mei fructu, quem petiissem,*  
*cariturum videbam: ubi enim alia omnia adversa atque*  
*inimica sint, pulchrum tamen est, si minus successum, at*  
*optimam saltem de disciplinarum studiis benemerendi vo-*  
*luntatem suffragio tuo gravissimo comprobari. Sed quæ præ-*  
*terea me causse impulerint, ut hoc ad te literarum darem,*  
*brevissime, si potero, exponam. Audiebam te admodum*  
*adolescens, summa juventutis frequentia, in hoc Patavino*  
*Gymnasio e superiore loco philosophiæ decreta illustri cum*  
*laude tradentem: audiebam doctorum virorum honestissimos*  
*de te tota urbe sermones: audiebam quæ de ingenii tui ma-*  
*gnitudine, de tua in veterum recentiorumque physicorum*  
*commentariis evolvendis assiduitate ac solertia, de ista præ-*  
*cipue, in homine philosopho plane admirabili, qua ad Tul-*  
*lium proxime accedis, facultate dicendi, apud externos esset*  
*opinio. Videram libros tuos quos DE REBUS GE-*  
*STIS invictissimi Ducis FRANCISCI MAU-*  
*ROCENI PELOPONNESIACI, tum quos*  
*de THERMIS AGRIS PATAVINI copiose*  
*atque*

atque orate conscripseras ; & quamvis ea subsidia omnia quæ ad recte judicandum requiruntur, nondum mihi per ætatem comparare potuissem, quo tamen in pretio habendus esses, ex ipsis librorum argumentis non inanem conjecturam faciebam. Acceperam etiam a majoribus natu, numquam te affinem fuisse earum rerum quas fert adolescentia ; numquam, surpe otium atque inertiam secutum, corporis voluptatibus, bonorum ingeniorum pestibus, te enervandum tradidisse ; numquam ab honesti rectique tramite vel tantulum deflexisse : at contra dies noctesque in bibliotheca tua delitescere, raro in foro aut in hominum conventibus conspici solitum : semper ea meditatam quæ reipublicæ utilitatem, tibi ipsi gloriam afferre possent : virilem denique a puero severitatem, prudentiam, animique constantiam, non sine ingenti æqualium tuorum admiratione, præstitisse. Quæ cum ego attentius considerarem, acres mihi ad virtutem stimulos exemplo tuo subjici sentiebam ; cumque laudi tuæ incredibiliter faverem, illum aliquando diem illucescere optabam, quo quanti te facerem, certissimo testimonio omnino perspectum haberes. Huic porro nostræ, quam de tuo ingenio, doctrina, moribus, adolescens imbiberam, opinioni tantum abest ut grandior & confirmata ætas quidquam detraxerit, ut contra insignis accessio facta fuerit : multa enim quæ propter judicii imbecillitatem antehac dignoscere nullo pacto poteram, nunc demum penitus intueri licet. Hoc quidem tempore non id in te supra cetera admiror (quamvis id quoque vehementer admirer) quod tibi cum malis etiam hominibus commune esse nihil vetat ; multarum nempe rerum scientiam cum singulari eloquentia conjunctam ; verum præclaris illis virtutibus facile primas tribuo, quibus a te invidiam vulgi amoliris ; ut nemini, nisi sceleratissimo, tuam consuetudinem, vitæque rationem reprehendendi locus relinquatur. Quam enim demisse de te tuisque rebus sentis ! quam principum virorum, quorum secretioribus consiliis non raro ad-

hibe-

hiberis , familiaritate innocenter uteris ! quam omnibus  
 auxilio tuo indigentibus facilem humanumque te præ-  
 bes ! quam ab obtrectandi libidine , ac reliquorum contem-  
 tu abhorres ! quam aliena studia , honestosque conatus ,  
 ac si tua de gloria commodisque ageretur , quibuscumque  
 rebus potes , adjuvas , tueris , confirmas ! Quid porro de  
 pectoris tui candore dicam , nullo umquam malevolentie  
 felle suffusi ? quid de oris tui verecundia , qua omnium  
 vel qui te primum viderunt , animos tibi concilias ? quid  
 postremo de illa tua in amicitiiis colendis admirabili fide  
 atque constantia , cujus non semel illustria a te data  
 sunt documenta ? Fuit hæc in amicos pietas , quemadmo-  
 dum veteres tradidere , unum ex præcipuis Epicuri decre-  
 tis , haud paullo gravioris philosophi , quam vulgares cen-  
 seant ludimagistri ; cujus tu rationem philosophiæ , ut est  
 a viro incomparabili Petro Gassendo , nonnullisque recen-  
 tioribus emendata , & Christianæ religioni accommodata ,  
 in plerisque videris non improbare . Quo etiam nomine T.  
 Lucretium Carum a te benigne exceptum iri confido , vitio  
 quidem temporum suorum idemtidem insanientem , cetera  
 vero ingeniosum , acutum , bonæ frugi poëtam ; quodque  
 tibi eum vehementius commendare debet , sermonis elegan-  
 tiæ studioissimum ; quæ quamvis ab Epicureorum grege  
 fere contemta , ad Epicuri tamen sententias cognoscendas ,  
 aliarum quoque sectarum homines facile invitare possit .  
 Hæc sunt causæ quibus adductus , te in rerum pulcherri-  
 marum meditatione versantem interpellare ausus sum : nunc  
 illud te rogo , ut si ea tantummodo in medium afferam quæ  
 a te minime ignorantur , ne continuo mihi succenseas , quem-  
 admodum Pbornioni olim , inepto ac deliro seni , de re milita-  
 ri coram se disputanti , fertur Hannibal succensuisse : hæc enim  
 quæ in gratiam tironum a me conscripta sunt , eo consilio  
 ad te mittuntur , ut ea scilicet , si bona fuerint , aucto-  
 ritate tua confirmare velis ; sin autem mala , castigare  
 censura .

Omnis igitur quæ a Lucretii poematis in legentium animos proficisci potest utilitas, ea procul dubio non aliunde, quam ex rebus de quibus agit poëta, & ex ejus dicendi genere, oritur necesse est. Si res ipsas consideremus, tria potissimum dispicienda occurrunt: quid videlicet de diis & religione, quid de animorum natura, quid de materia primisque corporibus Lucretius noster, vel potius Lucretio interprete doceat Epicurus. Hec sunt, nisi fallor, desipientis hujus sapientiæ præcipua capita; quæ tamen a nobis breviter summamque attingentur; non enim ad commentarium scribendum aggredimur (præstiterunt id magna cum laude viri doctissimi) nec est sane hujus loci aut temporis longiore in instituere disputationem. Satis erit si juventutem monuerimus, ut meminerit, in Lucretii lectione, tamquam in lubrico & periculoso loco, sibi caute ac suspenso pede incedendum: non omnibus quæ veritatis speciem præ se ferre videantur, temere assentiendum: ad naturæ sæpe judicium, rectæque rationis normam provocandum: delectu denique utendum, quo & profutura pauca arripiantur, & multa nocitura declinentur. Hinc autem orationis nostræ initium sumemus.

Placet Lucretio, & reliquis Epicureis, perturbationes omnes quibus hominum vita exercetur, metum in primis ac superstitionem, non alio pacto, quam rerum naturæ cognitione, leniri ac mitigari posse: dandam idcirco operam philosophiæ, non ut tantummodo inanem quamdam sciendi cupiditatem expleamus, indoctique vulgi plausum & admirationem copia verborum, & linguæ mobilitate aucupemur; quod multis olim propositum fuisse, & hodie adhuc esse, intelligimus; verum ut, populari errore depulso, nihil jam abjectum cogitantes, contraque fortune vim, ac mortis terrorem animum erigentes, hoc, quod nobis datur, vivendi tempus tranquille beateque traducamus. Sapienter id quidem, ac bono exemplo; non enim ad hoc nati videmur, ut nosmetipsos negligentes, ac, tamquam incul-

tos agros, vitiorum situ ac squalore horrescere sinentes, cali terræque ambitum dimetiamur, & quæ natura densissimis tenebris circumfusa esse voluit, in iis vestigandis totissimus: at potius ad studium justitiæ atque honestatis; unde vera voluptas demum existit. Flagitiosum sane ac miserum est, homines in philosophia diu multumque versatos, plebejis adhuc & anilibus morbis laborare, adhuc lucelli amore flagrare, adhuc gloriolam captare, adhuc invidia tabescere, malisque libidinibus transversos rapi, adhuc spe ac metu jactatos fluctuare; cumque magnifica & sublimi oratione ad populum usi fuerint, in ea tandem probra incidere, quæ a vulgaribus hominibus, naturam tantum ducem secutis, facile devitari videmus. Hinc fit ut philosophi plerumque male audiant; ipsumque nomen philosophiæ apud eos præsertim qui rem familiarem vel publicam gerunt, in contemtionem fere ac ludibrium venerit: existimant enim, rem esse levissimam, neque omnino aliud, quam callidam & speciosam inertiam; quod scilicet neque locupletiores, nec adeo meliores familiares suos efficere soleat. Nosti, quid Centurio ille apud Persium dicat: (a)

Quod sapio fatis est mihi: non ego curo  
 Esse quod Arcefilas, ærumnosique Solones,  
 Obstipo capite, & figentes lumine terram,  
 Murmura cum secum, & rabiosa silentia rodunt,  
 Atque exporrecto trutinantur verba labello,  
 Ægroti veteris meditantés somnia, gigni  
 De nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti.  
 Hoc est, quod palles: cur quis non prandeat, hoc est.

At vero si ad moves formandos, vitæque commoda amplificanda totum hoc studiorum genus adhibeatur, intelliget

---

(a) Sat. 3. v. 78.



get profecto populus, nullum esse negotium quod tam ope-  
roso salubrique otio anteponi mereatur, honestioremque  
aliquanto opinionem de gravissimis disciplinis mente com-  
prehendet. Ajunt, Socratem eo nomine philosophos reprehende-  
dere solitum, quod otiosis disputationibus tempus tererent,  
& in rebus a vitæ usu remotissimis, omnemque intelligentiæ  
nostræ conatum exsuperantibus multam eamque inanem ope-  
ram collocarent: quamobrem ipse primus philosophiam e cælo  
deduxit, ac studium omne suum ad morum doctrinam con-  
vertit. Contra Epicurus, cum sibi finem bonorum uni-  
cam statuisset voluptatem, sive, ut invidioso vocabulo abs-  
tineam, animi a metu ceterisque perturbationibus omnino  
vacui, tranquillitatem, ac quodammodo libertatem; in  
abditas propterea rerum causas iis inquirendum censuit,  
qui tale ac tantum bonum assequi voluissent: præcipuam  
enim malorum causam hominibus esse arbitratus est veri  
ignorationem; quod non, uti Socrates, perdifficile inven-  
tu, vel, ut Arcesilas ceterique omnes novi Academici,  
omnino ἀκατάληπτον (a), sed contra, sensuum ductu  
minime fallaci, promptum expeditumque, quin etiam strenue  
vestigantibus, ipsum per se benigne occurrere solitum exi-  
stimavit. Hactenus laudari poterat Epicurus; modo ex  
rerum nature contemplatione, falsis ratiunculis deceptus,  
non eos dementiae, stuporis, atque impietatis fructus col-  
legisset, qui ejus nomini perpetuas infamie notas apud po-  
steritatem inusserunt. Metum, ait, præ reliquis animi  
perturbationibus ei cavendum esse, cui curæ sit beate vive-  
re; amorem enim, odium, dolorem, iram, paullo va-  
rius, & quasi per intervalla, hominum vitam male habe-  
re: metum autem, tamquam Sisypho saxum, assidue ca-  
piti impendere, neque ullam adeo miseris voluptatem pu-  
ram & defecatam relinquere; cum scilicet presenti-  
bus bonis minus gaudere oporteat in futurorum malo-  
rum

---

(a) quod comprehendi non potest.

rum cogitatione defixos . Est hoc Epicuro commune cum Stoicis , ex quorum praeceptis haec magnifice loquitur Epictetus : ( a ) κρείσσον γὰρ ἐστὶ λιμῶν ἀποθανεῖν , ἄλυπον ἢ ἀφοβὸν γενόμενον , ἢ ζῆν ἐν ἀφθόοις ταρασσόμενον . Sed ob id tamen Epicuri ratio vehementer improbari debet , quod nimirum religionem , ac insculptam in hominum mentibus de Dei providentia , & de animorum immortalitate opinionem , earum quae in vita sunt molestiarum atque cruciatuum culpam pene omnem sustinere voluerit : proptereaque summa ope contenderit ut persuaderet , a diis neque mundum administrari , neque ullam rerum humanarum curam geri : animos item hominum , quod corporea natura praediti sint , una cum ipsis corporibus interire . Haec enim tam absurda sententia malis potius , quam bonis videtur consultum velle . Boni siquidem suppliciorum terrore quae apud inferos esse constat , quod videlicet ad se non pertineant , minime percelli solent : quemadmodum Lex Julia de adulteriis ei tantum formidanda est qui alienam uxorem corruperit ; nemini autem , praeterquam parricide , culleus metum incutere debet . Nec vero cum se a Deo curari cogitant , horrorem aliquem ex ea cogitatione percipiunt : quin etiam spes omnes suas in eo collocare , atque ab ipso innocentiae , virtutis , multorumque benefactorum praemia , postquam corporum vinculis effractis , ex hac turba & colluvione discesserint , tamquam strenui milites ab aequissimo imperatore , expectare consueverunt . Quae praemia si auferas , non quidem ab honestate ad turpitudinem traducuntur ; gratuito enim recte agere , id demum est bonum esse ; at fortasse in virtutis curriculo aliquid de pristina alacritate remittent . Mali contra , poenarum metu depulso , qui solus eos in officio continere , aut saltem ab  
ulti-

---

( a ) Enchirid. cap. 16. Praestat enim perire fame , timoris ac molestiae expertem ; quam copiis omnium rerum circumfluentem , animo vivere perturbato .

ultimis sceleribus perpetrandis cohibere poterat ; si spes  
 ulla se ostendat, occulta fore magistratibus quæ peccave-  
 rint, jam libidinibus habenas laxabunt, jam se omnibus  
 stupris, perjuriis, sacrilegiis, cædibus contaminabunt.  
 Egregiam vero disciplinam, quæ bonos a statu virtutis de-  
 jiciat, malos autem, proposita scelerum impunitate, ad  
 securius peccandum invitet. At quibus tandem rationibus  
 confirmat, humana diis curæ non esse? Sollicitudinis,  
 inquit, expertes deos esse convenit, atque a rebus gerendis  
 omnino feriari; id enim vel maxime ad beatitudinem perti-  
 net. Quasi vero, ut nos homunculi negotiorum varietate  
 ac multitudine obruimur, ita præcellens illa ac divina na-  
 tura aut lassitudini obnoxia esset, aut diuturnæ admini-  
 strationis tædio capi posset. Nonne hoc est, quemadmo-  
 dum Ciceroni videtur (a), verbis relinquere deos, re  
 autem tollere? Porro, si dii neque gratia moveantur, ne-  
 que ira tangantur, non video, quo pacto homines de eo-  
 rum natura, vi, ac potestate quidquam suspicari potue-  
 rint; quam procul dubio, si per ipsius vestigia cognosci  
 oportuit, beneficentia potissimum, ac vindicta oportuit  
 innotuisse. Videtur autem Epicurus joculari potius, quam  
 serio philosophari voluisse, cum deos non habere corpus,  
 sed quasi corpus, non sanguinem, sed quasi sangui-  
 nem (id quod testatur (b) M. Tullius) literis tradi-  
 tum reliquit. Posuerat enim, duas tantummodo naturas  
 in universo existere, materiam scilicet, sive corpuscula so-  
 lida atque individua, & inane, quod locum corporibus  
 daret, ipsisque admixtum, rerum gignendarum causa es-  
 set: nihil præterea excogitari posse quod per se existeret;  
 reliqua vero omnia aut his duobus conjuncta, aut horum  
 eventa appellari debere, ut ex his Lucretii nostri versibus  
 constat. (c)

Præ-

(a) De Nat. Deor. l. i. in calce.

(b) Ibidem c. 18. 25. 26.

(c) Lib. i. v. 431. &amp; sequ.

Præterea, nihil est, quod possis dicere ab omni Corpore sejunctum, secretumque esse ab Inani: Quod quasi tertia sit rerum natura reperta.

¶ paullo inferius: (a)

Ergo præter Inane, & Corpora, tertia per se Nulla potest rerum in numero natura relinqui; Nec, quæ sub sensus cadat ullo tempore nostros, Nec, ratione animi quam quisquam possit apisci. Nam quæcunque cluent, aut his conjuncta duabus Rebus ea invenies, aut horum eventa videbis.

*Igitur si dii corpore carent, juxta Epicuri sententiam nec omnino sunt: naturam enim ἀσώματον (b), & ab omni materia concretionem sejunctam, præter inane, ipse nullam agnoscit. Secum igitur pugnantia docet. Viderat nimirum, si dii corpus habuissent, necessario futurum ut dissolutis corporibus, ipsi quoque perinde ac homines, & universa mundi compages, aliquando interirent; quod cum alienum deorum majestate judicaret, ut ii qui malæ causæ patrocinium suscipere, ad sermonis argutias ineptiasque confugit. Turpem hanc magistri sui sententiarum inconstantiam videtur Lucretius initio poematis imitatus: etenim qui contra deorum providentiam acerrime disputaturus erat, quasi prodito decreto, Venerem supplex rogat, ut ab amatore suo Marte Romanis civili discordia laborantibus pacem impetrare velit. Qui nodus vindice dignus eruditissimorum hominum ingenia torsit, veluti ex quadam Petri Victorii Epistola ad Joannem Casam manifestum est. Ego vero existimaverim, Veneris auxilium idcirco invocasse Lucretium ipso in limine operis sui, ut videlicet se poetam ostenderet, significaretque, deos nusquam esse nisi in fabulis poetarum: quibus alioqui omnem fidem abrogare conatus est*  
libro

(a) Lib. i. v. 446. & sequ.

(b) expertem corporis.

libro secundo, ubi quid antiquitas de matre deorum Berecynthia, & de Curetibus ejus deæ sacerdotibus commenta fuerit, elegantissimis versibus exponit: & rursus libro quinto, ubi silvarum incolas Faunos, Nymphasque, tum Arcadiæ deum Pana, fistulatorem scientissimum, & si qua sunt alia Græcorum ingeniorum *κατασκευαστα* (a), urbane admodum ac lepide irridet. Quæ mihi attentius consideranti illud in mentem venit, tantam illam numinum multitudinem quæ infelicibus illis temporibus urbes ararum compleverat, ut nostri poëtae verbis utar, sapientiæ studiosis causam fuisse, cur ad contrariam (b) ἀθεϊστικὴν opinionem turpissime laberentur; quis enim, quæso, navis paullo emunctioris, & a sensu communi non destitutus, ferre poterat minutos illos, & patellarios, tum vappas, ac nebulones deos; in hortorum angulis, in stabulis, in culinis, in cloacis etiam ac sterquiliniis, stultissimorum hominum vota captantes? Igitur, si minus excusatione, at certe miseratione digni sunt veteres philosophi, qui cum adeo indigna de diis sentire non possent, cupientes proferre meliora, ipsi quoque a veritate longissime aberraverunt. Ceterum ea vis est naturæ, ut non solum Plato, Aristoteles, & plerique alii acerrimo ingenio viri, unum rerum omnium auctorem, & conservatorem Deum, qui nobis Christianis maximo ac singulari beneficio plenioris sui notitiam largiri voluit, cogitatione affecuti fuerint, tametsi qualis esset minime perspexerint; verum etiam Lucretius ipse vel invitus eum quodammodo agnovisse, immo & fassus esse videatur. Quo enim illa pertinent e quinto libro? (c)

Usque adeo res humanas vis abdita quædam  
 Obterit, & pulcros fasceis, sævasque secureis  
 Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur.

b

Pro-

---

(a) visa, spectra. (b) impietatis, quæ deos esse negat. (c) v. 1232. & sequ.

*Profecto dii nihil agentes, & qui nullum ob scelus indignantur, a rebus humanis permiscendis abstinere dicendi sunt.*

*Quam vero laborat poëta noster, quam aestuat, quam se expedire nescit, ubi hominum animos, quemadmodum reliqua omnia, e corporeis particulis, tenuissimis illis quidem atque incredibili pernecitate agitatis, constare docet! Dixeris eum instituti sui pœnitere, qui materiam quocumque tandem partium ordine dispositam, motuque incitatam, sensus, cogitationem, prudentiam, memoriam denique efficere posse & ipse crediderit, & alios persuasum habere voluerit. Quod certe si quis accuratius animadverterit, absurdorum omnium absurdissimum esse deprehendet. Calorem, aërem, ventum ad effingendum animum commiscet Lucretius; quibus tamen propositi operis summam confici non posse, intelligit: addit igitur quartam naturam, expertem nominis, unde, tamquam a fonte, incipiant oriri sensus: eam persubtilem esse dicit, corpoream tamen. At cum corpus, quantalibet tenuitate præditum, corpus numquam esse desinat, semperque a cogitationis natura plurimum distet, idcirco iisdem rursus difficultatibus poëta premitur, quas, ut erat perspicax, videre facile potuit; ut pessimæ causæ favebat, vitare nullo pacto potuit. Quamobrem argumenta quibus animos post mortem nequaquam superesse, at statim retexi & dissipari contendit, quod infirmo fundamento subnixæ sint, jam omnia sua sponte corruunt; quæ sane, si primum illud concederetur, ipsos nimirum corporea constare natura, plurimum ponderis ac momenti habitura fuerant.*

*Venio nunc ad illam in qua fortunæ omnes Epicureorum positæ sunt, de primis corporibus, & de materie soliditate sententiam. Docet igitur Lucretius ex magistri præceptis, innumera esse in rerum natura corpuscula, exiguitate sua sensum omnem fugientia, compositionis, & sensilium qualitatum expertia, partes quidem habentia, sed*

*eas quæ nequeant separari, æterna, variis figuris prædita, per infinitum inane irrequieto motu deorsum tendentia, quorum fortuito concursu, sine ullo deorum adminiculo, non solus hic quem incolimus terrarum orbis, & circumfusus ipsi æther aliquando procreatus fuerit, verum etiam alii extra hunc innumerabiles mundi omnibus minimis temporum punctis procreentur; quos tamen singulos, exacta ætate, ob assiduos materiæ nisus corrumpi oporteat, eadem semper incolumi permanente. Immodicam profecto corpusculis hisce vim atque licentiam tribuisse videtur Epicurus. Cum etenim ceteri philosophi pæne omnes naturam, ut ait Cicero (a), in duas res omnino dividerent, quarum altera esset efficiens, altera vero huic se formandam atque efficiendam præbens; cumque in ea quæ efficeret, vim quamdam & facultatem, in ea quæ efficeretur, materiam esse censerent: quemadmodum Plato mundi deum architectum, res pulcherrimas ex informi materiæ sinu educentem describit (b), Stoici vero calorem illum ac spiritum per celi terræque spatia diffusum jactare non desinunt, quem mundi animum appellant (c); placuit Epicuro, Democriti rationem secuto, materiam nullo alio indigere a quo moveatur, ipsamque suoapte motu cieri. Hunc autem motum inferiora versus esse dixit; credo, quod reliqua corpora ex primis apta deorsum ferri vidisset; in quo ille, mea quidem sententia, vehementer falsus est. Quid sit enim descendere in infinito inani, ubi nihil medium est, quo ex omni regione pondera detrudantur; quæ item superiora, quæ inferiora partes in eodem appellari debeant, neminem arbitror posse intelligere. Porro, quæ de atomi recta descendenti levi declinatione, nec certo loco, nec tempore fieri solita, ut res nimirum effici possent, fatique necessi-*

(a) Academic. Quæst. ad M. Varronem lib. 1. cap. 6.

(b) in Timæo, & in libro de Anima Mundi.

(c) Cicero de Nat. Deor. lib. 2.

ras tolleretur, arbitrato suo somniavit Epicurus, nostra refutari oratione non postulant, cum eorum vanitatem copiose ac luculenter suo more ostenderit M. Tullius in libris quos de Finibus Bonorum & Malorum, ac de Fato conscripsit. Neque a nobis expectandum est, ut puerilem ac ineptam illam de simulacris fabulam, in qua exponenda plurimos atque egregios versus perdere non dubitavit Lucretius, cachinno & sibilo excipiamus. Ipsa quam sit inutilis, per se declarat: neminem autem sanum in errorem potest inducere.

Fatendum tamen est, cum tot ac tanta peccent Epicurei, multa nihilominus ex ipsorum disciplina vitæ admodum utilia, & ipsi Christianæ religioni consentanea disci posse. Quod enim sensus defendunt adversus Academicorum argutias, neque animi errores iis tribuendos esse clamant; quod res certas a dubiis diligenter secernendas, nec cuiquam viso temere assentiendum, monent; quod in fulminum, tonitruum, aliarumque rerum quæ in sublimi gignuntur, terræmotuum item, ac morborum quorundam causis explicandis aut vera, aut saltem veris affinia proferunt; quod mundum denique ortum, atque aliquando interiturum testantur; gratiæ illis habendæ sunt, nec est cur eorum cogitatis atque intentis uti nolimus. Præterea, ut ad Lucretium referatur oratio, multa sunt in hoc poëmate, de mortis contemptu fortiter, de temperantia graviter, de humanitate leniter, postremo de animi tranquillitate dicta sapienter. Quibus rebus factum est, ut veteres illi Ecclesiæ patres, summa sanctitate ac doctrina vivi, Arnobius in primis, Lactantius, ac Prudentius, a Lucretii lectione non abhorruerint, ut ex eorum scriptis facile apparet; cum enim sententiarum pondere, tum verborum luminibus, quibus totum hoc poëma, quasi gemmulis quibusdam, conspersum est, mirifice capiebantur.

Hactenus de operis argumento, quantum instituti nostri ratio postulare videbatur, dictum a nobis est: deinceps de



sermonis genere quo usus est Lucretius, breviter considerandum. Si quis autem plura & pleniora expetiverit, is Dionysii Lambini atque Oberti Gifanii, virorum doctissimorum, ac de poëta nostro optime meritorum, lucubrationes adire ne gravetur; quibus pauca omnino supersunt quæ adjiciamus. Mirus est igitur in Lucretii carminibus Romanæ orationis nitor, mirus verborum delectus ac splendor; quod scilicet ejus ætate nondum multitudo illa peregrinorum, atque inquinata loquentium in urbem confluxisset, quæ Latinam linguam iis quæ poëta mortem consecuta sunt temporibus, ita paulatim immutavit, ut alia prorsus esse videretur. Ex hac porro emendate, ac pure loquendi facultate, jucunda legentibus oritur perspicuitas, quæ rebus alioquin obscuris, & intellectu difficillimis, quales necessario sunt quæ a philosophis tractari solent, clarissimam lucem affert; quo in genere Lucretium excellere, dubio procul fatendum est. Vix enim unus aut alter ex numero philosophorum (te unum semper excipio, JOANNES GRATIANE) soluta oratione ea persequi commode possit, quæ scriptor elegantissimus nullo negotio versibus explicavit. Non solum autem proprietatem verborum, causam esse crediderim cur Epicuri doctrina, quam Lucretius exponit, facile percipiatur; sed præterea ordinem, ac totius operis partitionem; qua nimirum alia ex aliis præcognitis ita pendent, omniaque inter se apta & connexa sunt, ut homini non hebeti sciendi cupiditatem addant, de studiis vero tædio ac labore multum imminuant. Atque hæc Lucretium ea tempestate præstitisse, qua Græcorum inventa, subtileque de rerum natura quæstiones Latinis literis tradi ac perpoliri posse doctissimi etiam Romanorum diffidebant, quantum a justis æstimatoribus haberi debet! Verbis quidem horridis, & obsoletis, numeris item præfractis, & asperis, quos ab Ennio aliisque antiquioribus poëtis acceperat, sæpius utitur; sed ut sublimitatem,

ac majestatem quamdam orationi conciliet, tum etiam ut  
 satietatem devitet, in quam eos incidisse videmus, qui  
 se suaves semper & comtos, numquam austeros & gran-  
 des esse voluerunt. Non sum nescius, inveniri nonnullos,  
 ab omni elegantia sermonis, & præcipue a Musarum fa-  
 miliaritate alienissimos, quibus Lucretium vel digito at-  
 tingere religio futura sit; dicunt enim, se, rebus su-  
 pervacaneis omnino abjectis (ita hæc studia quæ ab hu-  
 manitate nomen habent, ipsis appellare placet) nudam &  
 simplicem colere veritatem, quam inanium verborum pha-  
 leris violari & obscurari nolint: nihil esse poëtice levita-  
 ti cum philosophia commune: hujuscemodi nugis bona ado-  
 lescentium ingenia depravari, aut obtundi: postremo, tem-  
 pus omne male perire quod non in solidiorum disciplina-  
 rum studio & cognitione ponatur. Hi sunt scilicet qui  
 cum literis assidue bellum gerunt, qui Aristotelem, Pla-  
 tonem, Theophrastum, ac veteres pæne omnes philosophos  
 præ se stupidos & nihili homines fuisse judicant, quod  
 non, ut ipsi, infantes & barbaros se in philosophando  
 præbuerint, neque in disputationibus gravissimis, poëtarum  
 testimonio abuti veriti sint: hi sunt qui M. Tullii Ciceroni-  
 nis nomine audito, ludimagistri cujusdam de trivio men-  
 tionem fieri putant. Hos ego si causas docere velim pro-  
 pter quas Lucretius philosophiæ decreta carmine potissi-  
 mum tradere aggressus fuerit, nihil profecto agam; non  
 enim umquam adduci poterunt ut se omnium bonarum re-  
 rum ignaros, omnis eruditionis expertes esse fateantur.  
 Valeant igitur præposterii homines, qui libellos suos (hor-  
 ribiles, boni Superi, & sacros libellos!) quos ne ipsi  
 quidem interdum ex animo satis probant, etatem ferre,  
 ac famæ antiquorum efficere posse confidunt. Quamobrem  
 optimos adolescentes, & Lucretii nostri studiosos, non hos  
 honestarum artium osiores, quæ deinceps dicturus sum,  
 legere & cognoscere cupio. Ea est ad permovendos tenen-  
 dosque hominum animos pulchritudinis vis atque natura,

ut res quantumvis utiles, nisi hac, tamquam condimento aliquo suavissimo, adpersæ fuerint, ob adjunctam ipsis difficultatem, paucos omnino amatores invenire videamus. Ex hoc fonte, non aliunde, artes pæne omnes quæ vitæ commodis inserviunt, originem duxisse videri possunt. Non enim, ut exemplo rem illustremus, satis est architecto, si domum exstruat firmam atque solidam, quæ diurnum lumen admittat, imbres & frigora nimiosque ardores excludat: verum etiam id propositum habet, ut apta partium dispositione, specieque operis grata & eleganti, decora sit atque aspectui jucunda. Idem in vestium ornatu, idem in cibis parandis, idem in militaribus armis, idem in solemnibus pompis, omnique religionis cultu quotidie servari cernimus. Quid? non ille orbis conditor Deus, cum hanc rerum universitatem, tamquam ingentem aliquam domum, in usum hominum creare statuisset, eam ornamentorum omnium varietate distinguere ac insignire voluit? quam Græci universitatem ab ornatu κόσμον, Latini mundum appellavere. Sciebat enim sapientissimus artifex, divinum hoc, & rationis particeps animal pulchritudine potissimum affectum iri. Sæpe quidem sum admiratus, quidnam esset, cur, ut quæque res pulchritudinis plurimum in se contineret, ita maximis obsepta esset difficultatibus; vetus enim illud experientia comprobavi videbam, χαλεπὰ τὴ καλὰ (a). Inveniebam autem, cum ad difficilia, eademque profutura, capeSSenda hortari natura homines vellet, eosque a laboribus subeundis vehementer abhorrens intelligeret, honestatem, pulchritudinem, gloriam, uberrimam contentionis mercedem ipsis proposuisse. Quæ cum ita sint, magna profecto laus Empedocli, ac Lucretio nostro debetur, qui philosophiam, rem humano generi saluberrimam, at, si cultum ei omnem, & quasi vestem orationis detraxeris, tristem ac morosam futuram,

(a) difficilia, quæ pulchra.

*carminum suavitate ac pulchritudine, quibus nihil in vita dulcius, juventuti amabilem atque experendam reddere voluerint. Operæ pretium est ipsum audire Lucretium, consilium suum his versibus Memmio exponentem: (a)*

--- quoniam hæc ratio plerumque videtur  
 Tristior esse, quibus non est tractata, retroque  
 Volgus abhorret ab hac; volui tibi suaviloquenti  
 Carmine Pierio rationem exponere nostram,  
 Et quasi musæo dulci contingere melle,  
 Si tibi forte animum tali ratione tenere  
 Versibus in nostris possem, dum perspicis omnem  
 Naturam rerum, qua constet comta figura.

*Decebat præterea, nisi fallor, res minime humiles aut populares, non familiari & quotidiano dicendi genere, sed maxime sublimi, quale scilicet poetarum est, explicari: quemadmodum ab Homero, pluribus in locis poematum suorum, sapientissime fictum est, alia deos, alia homines lingua uti: mentis enim altitudinem, electa & magnifica verba, atque a vulgari consuetudine remotissima subsequi necesse est. Querat fortasse aliquis, quid sibi voluerit Q. Cicero, cui assentitur (b) Marcus frater, cum Lucretii poemata non ita multis luminibus ingenii, multæ tamen artis esse judicavit: quod Q. Ciceronis iudicium (c) Dionysius Lambinus, ut ægre admodum ferebat, Lucretio ingenii laudem eripi, aut perperam explicasse, aut saltem callide videtur dissimulasse. Multa occurrunt quæ responderi possint, at illa in primis; ex M. Tullii verbis modo memoratis nihil aliud colligi, nisi, præ admirabili artis*

(a) Lib. 1. v. 942. & sequ. & Lib. 4. v. 18. & sequ.

(b) Lib. 2. ad Q. Fratrem, Epist. 11.

(c) In Dissertat. de T. Lucretii patria, genere &c. tertiæ suæ hujus poetæ editioni præfixa.

artis præstantia, quam Lucretius in suis de rerum natura carminibus adhibuerit, si qua ipsis insint ingenii lumina ( insunt autem plura, & egregia ) non adeo apparere: vel ipsam operis argumentum arte magis, quam ingenio tractari postulavisse; quod poëta optime præstiterit. Non enim eadem Lucretii ratio erat, Epicuri sententiam exponentis, quæ Tragicorum, Epicorumque poëtarum esse solet, qui nisi res incredibiles, & monstra passim confingant, statim de manibus deponuntur. Utcumque vero res se habeat, ( nam a Jano Grutero, & Jacobo Gronovio verba illa Ciceronis aliter leguntur ) quoties ab angusta philosophiæ semita in late patentes eloquentiæ campos evagari libuit poëtae nostro, quantum ingenio valeret, satis ostendit. Principiis & finibus librorum nihil elegantius, nihil splendidius, nihil jucundius excogitari potest. Quam copiose atque eleganter describit Lucretius mutuas inter Martem Veneremque blanditias! Religionem truculento aspectu a cæli regionibus mortalium generi minitantem! Iphigeniam, superstitione Agamemnonis patris, ad aram Dianæ, hostiarum more, raptatam! Corybantes circum Cybelem æra quatientes! cruciatus denique illos quos poëta apud inferos esse finxerunt, scelestis hominibus in hac vita ingeniosissime accommodatos! Porro quis negaverit ea esse pulcherrima quæ de malis ex amore nasci solitis, de puellularum & amatorum vitiis, de agrestibus & immanis primorum hominum moribus, de pestilentia denique Athenis grassante poëta noster literis tradidit? In quibus omnibus profecto tanta vis elucet ingenii, ut plane dolendum sit, tam illustre bonum ab egregio scriptore ad Epicuri potius, quam vel ad Platonis, vel ad Aristotelis, vel ad Zenonis etiam, meliorum longe philosophorum, sententias explicandas collatum esse.

Jam omnium quæ proposueram, tractatione absoluta, reliquum est, Vir doctissime, ut quid in Lucretio typis recudendo ego meusque frater præstiterimus, paucis enarrem.

rem. Primum omnium, ut pœmatis contextum quam emendatissimum daremus, Editionem Londinensem Anni 1712. maxime accuratam atque elegantem, plerumque secuti sumus, quæ fere cum Dionysii Lambini Editione consentit: nonnullas tamen Thomæ Creechii Angli castigationes, qui non ita multis ab hinc annis Lucretium interpretatus est, quod nobis vehementer probarentur, & ad veritatem proxime accedere viderentur, libenter sumus amplexi. Utile autem gratumque lectoribus futurum existimavimus, si ejusdem Creechii Argumenta singulis libris præponeremus, & quæ idem adversus impias ineptasque Epicuri opiniones, breviter quidem, at nervose acuteque disputavit, singulis pariter subjungeremus. Variarum Lectionum libellum, quem Londinenses ex præstantissimis Editionibus, ac MSS. Codd. congesserunt, omittere nolimus: quamvis non ignoraremus, fore ut hic labor noster in multorum reprehensiones incurreret, eorum videlicet qui cum ipsi minutam hujusmodi diligentiam numquam adhibeant, in aliis etiam irident. At publicis utilitatibus consulentem, quid imperiti, aut malevoli homines de se in angulis tabernarum effutiant, non admodum curare oportet. Utinam vero ea nobis temporis copia suppeditasset, ut Codices duos manu exaratos, quos ex Bibliotheca Canoniorum Ecclesiæ hujus Patavinæ, antiquis voluminibus instructissima, depromptos, nobiscum perbenigne communicavit Vir nobilitate, doctrina, vitæ integritate præcellens, COMES TROJANUS BORROMÆUS, ejusdem Ecclesiæ Canonicus, per otium scrutari potuissemus! Horum alterum Petrus Barrocius, Episcopus Patavinus, homo, ut illis temporibus, non vulgariter doctus, ipse sua manu descripsit. At si novam aliquando Lucretii editionem nobis adornare contigerit, varias ex iis Codicibus lectiones, modo pretium operæ fuerit, proferre in animo est. Ne quid tamen dissimulem; cum unam aut alteram utriusque libri paginam attentius per-

perlegissem, eos adeo inter se similes esse deprehendi, ut Terentianam illud (a) de ipsis dici posse videatur:

Qui utrumvis recte novit, ambos noverit.

Verborum denique obsoletorum, & numerorum rationem, tum singularium loquendi generum quæ a Lucretio usurpata sunt, locupletissimum Indicem, summaque industria elaboratum, adjunxi: in quo conficiendo, si me ab Ober-ti Gifanii doctissimis Conlectaneis adjutum negem, impudens profecto sim. Non tamen ejus viri auctoritatem ubique mihi sequendam esse duxi, & quæ in illis dicta erant fusius, ipse in adolescentium gratiam contraxi, & multa denique de meis adversariis quotidianis excerpta eodem importavi; ut quivis facile intelliget, qui opellam hanc nostram cum Gifanii laboribus comparare voluerit.

Hæc erant, Vir celeberrime, de quibus apud te verba facere non inuile arbitrati sumus; quæ omnia, pro tua singulari humanitate, æqui bonique consulas, rogamus, cum propter ipsarum rerum dignitatem, tum propter nos etiam tui studiosissimos; qui non plane nulli sumus; cœpi-mus enim, ut audimus, instituto hoc nostro juvandi opti-mas litteras, malorum invidiam promereri. Vale. Pata-vii Kal. Januarii Anno a Virginis Partu cDc cxxi.

---

EX

(a) Andriæ Prologo v. 10.

EX PRÆFATIONE  
THOMÆ CREECHII  
*In suam LUCRETII Editionem.*

**D**E *Tito Lucretio Caro* quæ scire debes, Lector, hæc sunt: Romæ natus est, An. V. C. IocLIX. nobili gente *Lucretia*, ea Romani imperii ætate, quæ ingeniorum feracissima vidit (1), Ciceronem, senemque *Crassum*, *Catonem*, *Sulpitium*, moxque *Brutum*, *Calidium*, *Calvum*, *Cœlium*, & proximum *Ciceroni Cæsarem*, eorumque velut alumnos *Corvinum*, ac *Pollionem Asinium*, æmulumque *Thucydidis Sallustium*, auctoresque carminum *Varronem*, & *Lucretium*, neque ullo in suscepti operis sui carmine minorem *Catullum*. Hoc tempore Græcorum disciplinas tractare cœperunt Romani. *Epicuri* rationem *Lucretius* sequitur, illiusque Philosophi doctrinam (2) sex libris, elegantibus quidem & ornatis exposuit. Vix absoluto opere moritur, eo ipso die quo natus est *Virgilius*; & aliquis *Pythagoreus* credat *Lucretii* animam in *Maronis* corpus transfuisse, ibique longo usu & multo studio exercitatum, Poëtam perfectissimum evasisse. An sibi ipsi manus attulerit, incertum. Interijt Anno ætatis suæ XLIII. & miserrimam, quam olim ludibrio habuerat, nimis cito expertus est immortalitatem.

(3) Omnium Poëtarum Latinorum qui hodie existant, & qui ad nostram ætatem pervenerunt, elegantissimus & purissimus, idemque gravissimus, atque

---

(1) *Vellejus Paterculus Lib. II.* (2) *Vide VI. Lucretii Librum, & Lib. II. Tristium Ovidii.* (3) *Vide Lambini Epistolam ad Lectorem.*



que ornatissimus *Lucretius* est. Eum cum librarii scriptores, nondum inventa arte typographica, mendis innumerabilibus, maculisque scædissimis contaminassent, atque obruissent; ad illa a librariis illata vulnera accesserunt multo graviora, ab hominibus doctis quidem illis, sed plus nimio suo ingenio indulgentibus ( ut fumus nostri fere plus æquo amantes ) imposita atque inflata; quibus hic, alioqui politissimus atque elegantissimus Scriptor, ira laceratus, confossus, depravatus, corruptus est, ut vix quisquam eum legere, vix attingere, vix adspicere auderet. Ista de primis, Veronensi, Parisiensi, &c. *Lucretii* editionibus *Lambinus*. (4) Ipse vero multis Codicibus usus, *Lucretium* omni ex parte maculosum, deformem, atque ulcerosum magna ex parte a maculis & ulceribus vindicavit, & commentariis brevibus, non tamen inutilibus illustravit.

Hunc sequitur *Gifanius* non æquis passibus. Grammaticum potius dixeris, quam Philosophum; & in illo non diligentiam, sed iudicium desideres. (5) Multos evolvit libros, promisit multa, sed nihil effecit promissor iste tanto hiatu dignum. Et si edidisset (6) Annotationes, proculdubio haberemus quæ magis displicerent. Illum excipit *Pareus*, qui noluit chartæ perituræ parcere. *Nardius* (7) sexagenarius interpres de ponte deiciendus. In *Tanaquillo Fabro* excellens eruditio, iudicium, acumen admirabile. A (8) *Gronovio* multa exspectare potuimus, ab (9) *Isaaci Vossii* observationibus omnia. &c. . . .

## V E.

---

(4) *Vid. Lambini Epist. ad Lect.* (5) *Vid. Epist. Gifanii ad Lect.* (6) *Vid. eamdem.* (7) *Vid. Epist. Nardii ad Baldium Libro VI. Lucretii præfixam.* (8) *Vide Salmasii Epist.* (9) *Vide Vossium ad Catullum, pag. 249.*

## VETERUM QUORUMDAM

D E

T. L U C R E T I O  
T E S T I M O N I A .*M. Cicero ad Q. Ciceronem fratrem Lib. II. Epist. XI.*

**L**ucretii Poëmata, ut scribis, non ita sunt multis luminibus ingenii, multæ tamen artis. *Ad eum locum Ciceronis ita doctissimus Victorius:* „ Quod si cui „ mirum videtur iudicatum esse quandoque *Lucretium* „ elegantissimum & ornatissimum poëtam, non satis „ multis ingenii luminibus sua poëmata scripsisse; is „ iudicium Quincti reprehendat. nam suspicari pos- „ sumus, cum quo modo potest, eum tueatur, & or- „ net *M. Cicero*, non valde (etsi videatur illud con- „ firmare) fratris iudicio de hac re stetit: noluisse „ tamen iracundo homini adversari: qui fortasse, „ quod ipse quoque versus scribebat, invidia motus „ verum non videbat: potuit tamen sic iudicare, „ quod *Lucretius* poëma suum non contexit ut in- „ genium ejus elucescat, sed rationem ab Epicuro „ traditam summa industria & artificio explicavit. „

*Cornelius Nepos in Vita Attici, cap. 12.*

Idem *L. Julium Calidium*, quem post *Lucretii* *Catullique* mortem, multo elegantissimum poëtam nostram tulisse ætatem vere videor posse contendere; in proscriptorum numerum relatum expedit.

*M. Vitruvius de Architectura Lib. IX. cap. 3.*

Itaque qui literarum jucunditatibus instructas habent mentes, non possunt non in suis pectoribus dedicatum habere, sicuti deorum, sic & Ennii poëtæ simulacrum. Accii autem carminibus qui studiose delectantur, non modo verborum virtutes, sed etiam figuram ejus videntur secum habere præsentem. Item plures post nostram memoriam nascentes, cum *Lucretio* videbuntur, velut coram, de rerum natura disputare: de arte vero rhetorica cum *Cicerone* &c.

*Virgilius Lib. II. Georgicorum v. 490.*

Felix qui potuit rerum cognoscere causas:  
Atque metus omnes & inexorabile fatum  
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.  
„ Hos versus *Gifanius* vel de *Lucretio*, vel de *Epicuro*  
„ fecisse poëtam existimat.

*Ovidius Lib. II. Tristium v. 425.*

Explicat ut causas rapidi *Lucretius* ignis,  
Casurumque triplex vaticinatur opus.

*Idem Lib. I. Amor. Eleg. ultima.*

Carmina sublimis tunc sunt peritura *Lucretii*,  
Exitio terras cum dabit una dies.

*Vellejus Paterculus Hist. Rom. Lib. II.*

Jam pæne supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat, diremtos gradibus ætatis floruisse hoc tempore *Ciceronem*,

nem, Hortensium, senemque Crassum, Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Calvum, Cœlium, & proximum Ciceroni Cæsarem, eorumque velut alumnos Corvinum, ac Pollionem Asinium, æmulumque Thucydidis Sallustium, auctoresque carminum Varronem, ac *Lucretium*, neque ullo in suscepti operis sui carmine minorem Catullum?

*Quintilianus Libro X. cap. 1.*

Nam Macer & *Lucretius* legendi quidem, sed non ut phrasin, id est corpus eloquentiæ faciant: elegantes in sua quisque materia; sed alter humilis, alter difficilis. „ Hoc Quintilianij iudicium magnam partem uno consensu damnatur a veteribus, & recentioribus. *Gifanius.*

*Statius Libro II. Silvarum Carm. 7.*

Cedet Musa rudis ferocis Ennî,  
Et docti furor arduus *Lucreti*,  
Et qui per freta duxit Argonautas.

*Q. Serenus Libro de Medicina, Edit. Keuchenii pag. 20.*

Irrita conjugii sterilis si munera languent,  
Et sobolis spes est multos jam vana per annos,  
Femineo fiat vitio res, necne, silebo:  
Hoc poterit quartus magni monstrare *Lucreti*.

JOANNIS ALBERTI  
F A B R I C I I

BIBLIOTHECÆ LATINÆ

C A P U T I V. D E

T. LUCRETIO CARO.

Lucretii *etas*. 1. *Libri VI. de Rerum Natura*. 2. *Eorum editiones atque interpretes*. 3. *Poëtæ quos Lucretius imitatus fuit*. 4.

I. **T** LUCRETIVS CARVS , patria  
▲ ut videtur Romanus, natus est, teste Eusebio, Olympiade CLXXI. 2., Anno V. C. DCLIX. ante CHRISTUM XCV. Postea amatorio poculo (a) in furorem versus, quum aliquot libros per intervalla insanie (b) conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit anno ætatis quadragesimo quarto, V. C. DCCIII. (\*) ante CHRISTUM LI. Philosophus de Epicuri Schola acutissimus, quem qui legunt, videntur ut IX. 3. ait Vitruvius, cum eo velut coram de rerum  
c natu-

(a) *Eusebius Chron.*

(b) *Hoc vix credibile mihi videtur. Neque eo respicere putem Statium lib. 2. Silva 7. in verbis, Et docti furor arduus Lucretii. Poëtarum enim furor laudabilis, ἐνδρασιασμός. Pro arduo difficilem dixit Quintilianus Lib. X. cap. 1.*

(\*) *Triennio citius mortem Lucretii assignat Is. Vossius p. 83. ad Catullum, e Scriptore Vitæ Virgilii.*

natura disputare. Poëta sublimis, idemque elegans & multæ artis luminibus pictus, ac latinæ linguæ auctor egregius.

II. Exstant ejus *Libri VI. de Rerum Natura* ad C. Memmium Gemellum (c) Heroico poëmate, versibus jucundo antiquitatis sapore conditis, Epicuri de rebus naturalibus sententiam, sed & impios ejus errores disertissime explicantes. Non plures a *Lucretio* libros hujus argumenti scriptos esse, ut male conjiciebat *Barthius* LII. 4. Adversar. *Lucretio* ipsi testi credimus, qui libro sexto v. 91. *supremæ præscripta ad candida calcis spatium* currere se affirmat. Exordium Operis idem quoque quod nos hodie, legit olim *Ovidius* 2. Trist. v. 261.

Sumferit, *Æneadum genetrix* ubi prima; requiret,  
Æneadum genetrix unde sit alma Venus.

Hoc est, si in manus sumferit *Lucretium*, cujus prima hæc sunt verba: *Æneadum genetrix, hominum divumque voluptas*, quem *Ovidii* sensum esse jam pridem notavit *Ludovicus Carrio* lib. I. Emendationum, cap. VIII. Usitatum enim fuisse veteribus ut vocibus initialibus scripta ipsa denotarent, pluribus exemplis docet *Jo. Jonsius* II. 5. de Scriptoribus Hist. Philos. p. 136. seq. & *Scaliger* ad *Euseb.* num. M. DCCCCLX. Quod vero in limine Operis invocet *Venerem Lucretius* homo Epicureus, qui a Diis omnia humana sive deque putabat haberi, satis se duxisse existimandus est excusari more vulgato Poëtarum, neque alia opus esse responsione arbitror ad dubitationem hanc dissolvendam, quam multos viros doctos exercuisse docet præter interpretes *Lucretii* *Creechium* aliosque *Petrus Bælius* vir ingeniosissimus in *Dictionario Historico* pag.

1923. editionis secundæ, quem de Poëta hocce lecto ubi volet consulat.

III. Prima *Lucretii* editio est *Veronensis* curante Hieronymo Avantio A. 1486. fol.

*Veneta* apud Aldum A. 1500. 4. ex Avantii editione: atque iterum 1515. 8.

*Florentina* Phil. Juntæ A. 1512. 8. cum præfat. *Petri Candidi*, qui ex *Joviani Pontani* & *Michaëlis Marullæ* castigatione & MStis Florentinis *Lucretium* emendatorem se dare profitetur. Marullum vero nimis indulsisse ingenio, graviter conquestus est Petrus Victorius ad Ciceronis lib. XI. ad diversos Epist. 20.

*Bononiensis* cum commentario Jo. Baptistæ Pii 1511. fol. recusa Parisiis 1514. fol. apud Ascensium.

*Vicentina*, Lambino memorata, & Gifanio, quam non vidi, uti neque illam quam Gesnerus in Bibl. cum commentariis *Petri Aponi* impressam dubius ipse scripsit.

*Basileensis* apud Henr. Petri A. 1531. 8.

*Lugdunenses* An. 1536. & 1540. 8. apud Seb. Gryphium, & 1564. 8.

*Lovaniensis* A. 1542. 4.

*Lambiniana* editiones viri doctissimi Dionysii Lambini, qui Codicibus quindecim MStis & Adr. Turnebi atque Jo. Aurati consilio usus octingenta *Lucretii* loca restituisse se profitetur, ac primum edidit *Lucretium* cum commentariis suis inscriptum Carolo IX. Gallia Regi, Parisiis 1563. 4. Deinde sine commentariis, tamen cum brevibus scholiis conjectis ad calcem, & emendationibus *Adr. Turnebi* Paris. 1565. 12. Denique ex tertia recognitione & cum commentariis locupletioribus & vita *Lucretii*. Paris. 1570. 4. quæ editio recusa est Francofurti Anno 1583. 8. Præclare profecto de hoc Poëta promeritum Lambinum nemo æquus ac peritus lector negabit, etsi commentariorum

molem reprehendit Janus Rutgerſius IV. 1. Variarum Lectionum, atque Lambinus ipſe in editione Anni 1570. iniquiorem ſe præbuit Giſanio. Confer quæſo Jac. Thomafii librum de plagio literario §. 447. 448.

*Oberti Giſanii* utiliffima editio, quam diligenti ſtudio adornavit adhibitis Codicibus plus quam octo, & editis ante ipſum fere omnibus, Turnebi præcipue atque Lambini, tum quæ *P. Nannius* (d) ad Codicem MStum Ultrajectinum contulerat, quæque obſervaverat Cornelius Valerius Giſanii præceptor, & Antonius Goldingamus Anglus. Præmiſit & e veteribus libris indicem argumentorum quæ ab Epicuro tractantur, & præter Laërtii & Ciceronis loca de Epicuri Philoſophia, & Thucydidis deſcriptionem peſtilentiæ Atticæ quam *Lucretius* libro ſexto imitatur, (e) ſubjunxit Collectanea ſua ſive commentarios in *Lucretium* ordine literarum digeſtos atque dictionem ejus cum primis erudite illuſtrantes & Scioppio quantumvis inimico mirifice probatos. Antuerpiæ 1566. 8. & Lugd. Batav. 1595. 8. apud Plant. Joannes Sambucus, cui *Lucretium* ſuum inſcripſit, Giſanio copiam fecerat editionis Veronenſis manu Marulli caſtigatæ. Ueberiores vero quos promiſit commentarii Giſaniani non viderunt lucem. In contextu ipſo non ſemper optimam videtur lectionem amplexus eſſe, ut obſervavi collatis lectionibus quas habeo Codicis antiquiſſimi Gottorpienſis. Vide ſis etiam Barthii *Adverſaria* lib. 50. pag. 2355. ſeq.

*Lucretius* cum variis lect. editus in *Corpore Poëtarum Latini-*

(d) *Eum* Lucretii editionem molitum, ex *Adr. Junii Epistolis obſervat Thomas Crenius V. C. parte 6. Animadverſ.* pag. 17.

(e) *Vide ſi lubet quæ notavi Bibliotheca Græca lib. 2. cap. 25. §. 4.*



*Latinorum* Genevæ 1611. 4. 1627. 4.

*Amstelodamensis* editio *Lucretii* 1620. 1631. forma minore.

*Danielis Parei*, vestigia Gifanii fere legentis. *Francofurti* 1631. 8. quo anno etiam *Lexicon* ejus *Lucretianum* lucem vidit, e Gifanianis fere *Collectaneis* repetitum. Præ ceteris vero hoc habet eximium editio *Lucretii* Pareana, quod illi subjuncta sunt duo Poëmata recentia lectu haud indigna, *Scipionis Capicii* Neapolitani de rerum principiis libri duo, & *Aonii Palearii* libri III. de immortalitate Animorum, quos ex merito laudat *Jacobus Sadoletus* lib. V. *Epistolar.* pag. 200. seq.

Cum explanatione paraphrastica & notis *Jo. Nardi* Florentini, non adeo feliciter in illustrando *Lucretio* versati. *Florentiæ* 1647. in 4.

Cum Gallica versione profaria *Michaëlis Marollesii*. *Parisi.* 1650. 8. dicata *Reginæ Sveciæ* *Christinæ*, a qua ne responsum (f) quidem accepit; atque iterum 1663. 8. addito libro decimo *Laërtii* Gallice translato. Laudat hanc *Marollesii* versionem *Rolandus Marefius* p. 364. *Epist.*

Cum brevibus sed eruditis notis *Tan. Fabri*. *Salmurii* 1662. 4. & *Cantabrigiæ* 1675. & 1686. 12.

In usum *Delphini* *Lucretius* interpretatione & notis illustratus est a *Michaële Fayo* (g) *Parisi.* 1680. 4. addito, ut in aliis ejusmodi editionibus fieri solet, indice omnium vocabulorum. Pareo fere & *Nardo* usus est, cujus etiam diatribam de funeribus *Atheniensium*, in-

(f) *Belii* *Lexicon* T. 2. p. 1926. edit. 2.

(g) *Creechius* notat eum, barbara interpretatione in-cestavisse latinum Poëtam, in contextu uni Pareo fidere, eas vero adjecisse notas quæ Philosophum faciant sæpe absurdum, se ipsum semper ridiculum.

tegram pag. 569. seq. subjunxit.

Cum interpretatione magis latina ac brevioribus sed disertioribus argumentis notisque doctioribus & Philosophum magis sapientibus, in quibus tamen nec grammaticum acumen desideres, edidit qui *Lucretium* totum imbiberat, ejusdem postea infaustum exitum tristi fato imitatus (h) *Thomas Creech* Collegii omnium animarum in Academia Oxoniensi Socius. Oxonii 1695. 8. (i) In hac quoque editione index omnium vocabulorum Poëtæ occurrit. Idem Creechius jam ante *Anglico carmine* quam felicissime reddiderat *Lucretium*, cujus tertia mihi ad manum est editio excusa Londini 1683. 8. In notis Anglicæ huic metaphrafi subjunctis potius censorem Poëtæ agit, erroresque ejus graviores refellit, vel etiam a perversis acceptionibus sententiam ejus tuetur; quam Scholiis vel Commentariis *Lucretium* κατὰ πόδα illustrat. Ante Creechium *Jo. Evelinus* sed primum dumtaxat librum versione metrica anglica donatum & notis illustratum edidit Londini 1656. 8.

Cum *Gallica* versione profaria & notis lectu dignis *Cultorii*. (Mr. Baron des Coutures) Paris. 1685. 12. & Amstelod. 1692. 12. duobus voluminibus.

Vehementer laudari audivi *Italicam* metaphrasin poëticam *Lucretii* adornatam ab (k) *Alexandro Marchetti* Mathematicum apud Senenses nuper Professore.

Sed

---

(h) *Sibi ipsi necem conscivit* A. 1700. suspensio propter perditos ut fertur amores, nondum natus annos quadraginta. Vide *Jacobi Bernhadi V. G. novellas relationes Reip. literariæ* A. 1700. mense Septembri p. 331. & Novembri p. 580. & A. 1701. mense Septembri p. 267.

(i) „*Recusa Londini 1717. 8. priore multo emendatior.* „

(k) *Memorat Gregorius Leti in Italia regnante T. 3. pag. 497.*

Sed editam non esse existimo . (1) Ejus spes adipiscendæ facta fuerat , cum in Italia versaretur , Jacobo Tollio , viro doctissimo , qui novam *Lucretii* editionem meditabatur , & ineditas *Gasp. Scioppii in Lucretium* notas Neapoli dono acceperat a Josepho Valletta viro Nobilissimo . Tollius morti vicinus suas in *Lucretium* Animadversiones commendavit Viro egregio *Gerardo de Uries* , qui Commentariis Philosophicis illustrare *Lucretium* instituit , ut refert Henricus Christianus Henninius in notis ad Epistolas Tollii itinerarias pag. 77. *Isaaci* quoque *Vossii* viri summi ineditas in *Lucretium* laudat Theodorus I. F. Grævius ad Callimachum pag. 174. Exstat & Italica *Lucretii* translatio auctore *Hieronymo Fracchetta* Rhodigino .

Editio *Neapolitana Lucretii* Anno 1693. 12. præter notas *Tan. Fabri* , argumenta *Fayi* habet adjuncta .

Non paucis quoque *Lucretii* locis insignem lucem attulit vir eruditissimus *Petrus Gassendus* in Opere de Philosophiâ *Epicuri* , quamquam & *Gassendum* reprehendunt hinc inde interpretes *Lucretii* , qui alias passim eum libenter sequi se profitentur , *Creechius* ac *Couturius* .

IV. Poëtas imitatus esse *Lucretius* cum primis videtur e Græcis *Homerum* & *Empedoclem* , e Latinis *Ennium* . *Lucretii* vestigia non puduit legere *Virgilium* , neque semper eum vicit , aut post se reliquit , ut præ se fert *Alexander Rossæus* , qui loca *Lucretii* nonnulla cum *Virgilianis* contulit libro tertio *Virgilii triumphantis* capite VI.

SUP.

---

(1) „ Edita tandem fuit Londini 1717. 8. curante Paul-  
 „ lo Antonio Rollo. „

S U P P L E M E N T U M  
E J U S D E M C A P I T I S

**D**E hoc Poëta consulendæ Casp. Barthii notæ ad Statium T. I. pag. 260. - 263. De eodem Barlæus lib. 2. Miscell.

*Hic Phœbi furiis, furiisque exarsit Orestis.*

*Quam præstat solis versiculis furere!*

Memmium cui poëma suum *Lucretius* inscripsit, scripsisse & ipsum versus, colligas ex Plinii lib. V. epist. 3. Eundem Mæcenatibus ac liberalibus studiorum Patronis accenset Martialis XII. 36.

*Pisones, Senecasque, Memmiosque,*

*Et Crispos mihi redde -- --*

Prima *Lucretii* editio *Veronensis* Anno 1486. fol. curante *Hieron. Avantio* inscribitur: *De rerum natura libri VI. ad Epicuri mentem descripti*. Hanc secuta est *Veneta* Anno 1495. 4. & altera 1500. 4. apud Aldum *Avantii* insistens vestigiis, atque iterum 1515. 8. *ad veterum exemplarium fidem castigata*.

*Florentina* Phil. Juntæ Anno 1512. 8. cum præfatione & castigationibus *Petri Candidi* &c.

*Lugdunenses* *Gryphianæ* editiones plures exstant, etiam minore forma An. 1546. 1558. atque A. 1564. 8. 1576. 12.

Excusus etiam *Lucretius* Antwerp. 1589. 12. Lugd. Bat. A. 1597. 12. & 1611. 12. apud *Rapheleng*. *Lugduni* Anno 1606. 12. & *Amstelodami* 1616. 1626. forma minore. Denique *Londini* An. 1709. 4., & 1712. 4. „ *majori, luculentis characteribus, cum figuris æneis,*  
„ *adjectis ad calcem variantibus Lectionibus ex optimis*  
„ *MSS., omnibusque fere alicujus nominis editionibus,*  
„ *& ex Doctorum Virorum conjecturis; & 1713 in Corp.*  
„ *Veter. Poëtar. Latinorum fol. Tom. I. „ Poëma de*  
Ani-

Animorum immortalitate libris tribus, *Lucretio* oppositum & Aonii Palearii nomine sæpius editum, a Paleario scriptum esse nagavit, præter rem ut opinor, Robertus Titius literis ad Marcum Velferum. Vide Velferi opera pag. 878.

*Gallicam Lucretii* Versionem profariam a Marolleſio concinnatam & An. 1659. 8. primum Parisiis cum Latino *Lucretio* ex Gifanii recensione editam notisque illustratam commendat præter Rob. Mareſium Guido Patinus in Epistolis a Joanne Brantio editis. Versibus Gallicis pridem reddidit *Lucretium Guilelmus Altarius* sive *des Autels*, circa An. 1560. ut notavit Franciscus a Cruce Cænomana in Bibl. Gallica p. 138. Vidit & lucem Metaphrasis nova *Lucretii* Gallicis versibus nescio quo auctore Anno 1677. 4. Et profaria interpretatio elegans secundis Baronis *Couturii* curis una cum Latino *Lucretio* recusa est Parisiis 1708. 12. duobus voluminibus, adjunctis novis notis, quibus priores vel emendantur vel defenduntur. Vide *Ephemerides literarias* Paris. A. 1709. mense Decembri p. 468. seq.

Specimen venustissimæ Metaphraseos *Lucretii Italianæ* auctore *Alexandro Marchetti* concinnatæ produxit nuper illustris Vir Guil. Godfridus Leibnizius in libro dignissimo lectu cui titulum fecit: *Essais de Theodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme, & l'origine du mal.* p. 511. seqq.

*Anglicam* Metaphrasin libri primi quam ante Chreæchium dedit *Jo. Evelinus* Eques, laudat Mericus Casaubonus Epistola 17. Cum *Belgica* versione profaria *Joannis de Wit* eleganter excusus *Lucretius* est Amstelod. apud Sebastianum Pezoldum 1701. 8. Libris singulis divisus in sectiones quibus argumenta præmissa, uti toti operi præfixæ breves animadversiones quibus præcipui errores poëtæ rejiciuntur, & venusta *Adriani Relandi* V. C. Oda in poësin *Lucretianam*.

*Alfarium a Cruce* Professore Patavinum An. 1632. *Lucretianis* Commentario vere Philosophico illustrandis occupatum se invenisse testatur Gabriel Naudæus pag. 231. Epist. Promisit etiam *Lucretium If. Vossius* notis ad Catullum p. 249. cujus paucas quasdam animadversiones MSS. nactus sum. Novissime cum Bero-  
lini adhuc versaretur vir cultissimæ doctrinæ *Joannes Barbeyracus*, hodie ingens gloria Academiae Lausan-  
nensis spem fecit editionis hujus Poëtæ novo studio ca-  
stigandi ad Codices MSS. ac veteres editiones, vul-  
gandique cum paraphrasi Creechii notisque suis &  
aliorum selectis atque ad examen revocatis. Consi-  
lium suum & specimen operis exposuit in diatriba in-  
serta Tomo XVII. Bibliothecæ selectæ Joannis Clerici  
V. C. p. 242. seq.

Non opus est monere eruditos quod commentitia est  
inscriptio Cæsenas obvia in Aldi Manutii Orthogra-  
phia pag. 129. & Fulvii Ursini Imaginibus atque apud  
Gruterum pag. CCCXXXII. *A. Lucretii Historici  
ac Poëtæ Conditoris verissimi, cui ob excellentiam inge-  
nii statua condonata, ac Civitati Cæsene Roman. Colonie  
deductæ in hoc sacro monte dedicata.*

Claudant præfens de *Lucretio* caput hi versus *Marul-  
liani*:

*Amor, Tibulle; Mars tibi, Maro, debet;  
Terentio foccus levis.*

*Cothurnus olim nemini satis multum;  
Horatio Satyra & chelys.*

*Natura magni versibus Lucretii  
Lepore musæo illitis.*

*Epigramma cultum, teste Rhallo, adhuc nulli;  
Docto Catullo syllabæ.*

*Hos si quis inter ceteros locat vates,  
Onerat quam honorat verius.*

*Editiones nonnullæ T. Lucretii Cari a Michaële Maistai-  
re memoratæ in Annalibus Typographicis ab Artis  
inventæ origine ad annum MD. editis  
Hagæ Comitum 1719.*

Pag. 199. Lucretius cum Argumentis rerum : per Pau-  
lum Fridenperger. (a) fol. Veronæ. 1486

Pag. 310. -- -- -- cum comment. Omniboni Vicenti-  
ni per Uldaric. Scinzenzeller. fol. Mediolani. 1491

Pag. 333. -- -- -- impress. per Theodorum de Ragazoni-  
bus de Azula dictum Bresanum (b) 4. Venetiis. 1495  
Pag. 360.

(a) Paulus hunc impressit Fridenperger in Verona Qui  
genitus est in Patavia Alemagne Ab incarnatione  
Christi M. CCCC. LXXXVI. Die Vigesimo octavo  
Septembris. Calen. Octobris.

Notandum est Alemagne hic poni pro Alemanie, i. e.  
Germanie : & Patavia significare Passavu. At diei  
& mensis notationem non (\*) intelligo.

(\*) Scilicet suam Lucretii editionem ad calcem deduxit  
die xxviii. Septembris, frontem vero libri in Calendas  
Octobris excudendam distulit ; id moris enim apud ty-  
pographos plerumque usurpatur ut librorum frontes, seu  
initia, novissime excudant. Vel typographus nativitatis  
sue diem designare voluit, quemadmodum & locum clare  
denotat, indicato tantum finis impressionis die, non  
anno ; id sui ævi hominibus sufficere arbitratus, nulla  
posterorum ratione habita ; quod passim invenire est in  
antiquis librorum editionibus. Hoc si ponamus, multo  
recentior sit editio illa quam hætenus credita est.  
C. V.

(b) Die IIII. Septemb.

- Pag. 360. Lucretius (c) 4. Venetiis. 1499  
 Pag. 366. -- -- -- per Theodorum de Ragazonibus de  
 Azula Venetiis. 1500  
 Ibid. -- -- -- Hieronymi Avantii Veronensis in-  
 genio & labore: apud Aldum 4. Venetiis. 1500

(c) *Biblioth. Heins.*






T I T I  
L U C R E T I I  
C A R I  
D E  
R E R U M N A T U R A  
L I B R I V I.



L I B R I P R I M I  
A R G U M E N T U M .

**I** N ipso operis principio Venerem invocat . II. Deinde a v. 45. ad v. 159. libros suos de Rerum Natura dedicat Memmio : Epicurum , cujus rationes sequitur , laudat ; ab illius doctrina impietatis invidiam amolitur , & hujus & sequentium librorum argumenta breviter proponit . III. Tum rem ipsam aggreditur , docetque a v. 160. ad v. 265. ex Nihilo nihil fieri , & in Nihilum nihil reverti posse . IV. a v. 265. ad v. 329. Minuta esse quædam Corpora , quæ licet sub sensum non cadant , mente tamen possunt concipi , & e quibus res omnes componuntur . V. His corpusculis a v. 330. ad v. 430. subjungit Vacuum seu Inane spatium : & VI. a v. 430. ad v. 483. probat nihil esse præter Corpus & Inane , reliqua autem quæ videntur esse ut Pondus , Calor , Paupertas , Bellum &c. esse tantum Conjuncta vel Eventa , Proprietates seu Accidentia Corporis & Inanis . VII. Docet a v. 483. ad v. 528. Prima corpuscula esse perfecte solida , ideoque a v. 528. ad v. 635. Insecabilia esse , Minima ( neque enim Corpus in infinitum dividi potest ) & æterna . VIII. Deinde , a v. 635. ad v. 712. refutat Heraclitum , qui Ignem , Aliosque qui Aërem , Aquam , aut Terram rerum omnium principium esse statuerunt . IX. Tum a v. 712. ad v. 829. contra Empedoclem demonstrat res non componi e quatuor Elementis . X. Demum a v. 829. ad v. 919. Anaxagoram refellit . XI. Postremo a v. 919. ad v. 1050. docet Universum esse ex omni parte Infinitum , Corpuscula esse numero infinita , & Inane nullis terminis comprehendi posse . XII. Et a v. 1050. ad v. 1110. deridet illos qui existimant esse aliquod Centrum in Universo , quo Gravia omnia deorsum tendant , dum Levìa sponte sua sursum ferantur .



T I T I  
L U C R E T I I C A R I  
D E R E R U M N A T U R A  
L I B E R P R I M U S .



AENEADUM genetrix, hominum  
divumque voluptas,  
Alma Venus, cæli subter labentia  
signa  
Quæ mare navigerum, quæ terras  
frugiferentibus  
Concelebras; per te quoniam ge-  
nus omne animantum

Concipitur, visitque exortum lumina solis: 5  
Te, dea, te fugiunt venti, te nubila cæli,  
Adventumque tuum: tibi suavis dædala tellus  
Summittit flores, tibi rident æquora ponti,  
Placatumque nitet diffuso lumine cælum.  
Nam simul ac species patefacta est verna dici, 10  
Et referata viget genitabilis aura Favoni;  
Aëriæ primum volucres te, diva, tuumque  
Significant initum percussæ corda tua vi.  
Inde feræ pecudes persultant pabula læta,  
Et rapidos tranant amneis; ita capta lepore, 15

Illecebrisque tuis omnis natura animantum  
 Te sequitur cupide, quo quamque inducere pergis,  
 Denique per maria, ac montes, fluviosque rapaceis,  
 Frondiferasque domos avium, camposque virentis,  
 Omnibus incutiens blandum per pectora amorem, 20  
 Efficis, ut cupide generatim sacra propagent.  
 Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas;  
 Nec sine te quidquam dias in luminis oras  
 Exoritur, neque sit lætum, neque amabile quidquam;  
 Te sociam studeo scribundis versibus esse, 25  
 Quos ego de rerum natura pangere conor  
 Memmiadæ nostro: quem tu, dea, tempore in omni  
 Omnibus ornatum voluisti excellere rebus.  
 Quo magis æternum da dictis, diva, leporem.  
 Effice, ut interea fera mœnera militiæ 30  
 Per maria, ac terras omneis sopita quiescant.  
 Nam tu sola potes tranquilla pace juvare  
 Mortaleis, quoniam belli fera mœnera Mavors  
 Armipotens regit, in gremium qui sæpe tuum se  
 Rejicit, æterno devinctus vulnere amoris; 35  
 Atque ita suspiciens tereti cervice reposta  
 Pascit amore avidos inhians in te, dea, visus:  
 Equæ tuo pendet resupini spiritus ore.  
 Hunc tu, diva, tuo recubantem corpore sancto  
 Circumfusa super, suaveis ex ore loquelas 40  
 Funde, petens placidam Romanis incluta pacem.  
 Nam neque nos agere hoc patriæ tempore iniquo  
 Possumus æquo animo: neque Memmi clara propago  
 Talibus in rebus communi deesse salutis.  
 Quod superest, vacuas aureis mihi, Memmiada, & te 45  
 Semotum a curis adhibe veram ad rationem,  
 Ne mea dona tibi studio disposta fideli,  
 Intellecta prius quam sint, contempta relinquant.  
 Nam tibi de summa cæli ratione, deumque  
 Differere incipiam, & rerum primordia pandam: 50  
 Unde

Unde omneis natura creet res, auctet, alatque:  
 Quove eadem rursum natura peremta resolvat:  
 Quæ nos materiem, & genitalia corpora rebus  
 Reddunda in ratione vocare, & semina rerum  
 Appellare suëmus, & hæc eadem usurpare 55  
 Corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.

Omnis enim per se divum natura necesse est  
 Immortali ævo summa cum pace fruatur,  
 Semota ab nostris rebus, sejunctaque longe;  
 Nam privata dolore omni, privata periculis, 60  
 Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,  
 Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Humana ante oculos fœde cum vita jaceret  
 In terris oppressa gravi sub religione;  
 Quæ caput a cæli regionibus ostendebat 65  
 Horribili super aspectu mortalibus instans;  
 Primum Grajus homo mortaleis tollere contra  
 Est oculos ausus, primusque obsistere contra:  
 Quem nec fama deum, nec fulmina, nec minitanti  
 Murmure compressit cælum, sed eo magis acrem 70  
 Virtutem irritât animi, confringere ut arcta  
 Naturæ primus portarum claustra cupiret.

Ergo vivida vis animi pervicit, & extra  
 Processit longe flammantia mœnia mundi: ( 75  
 Atque Omne immensum peragravit mente animoque:  
 Unde refert nobis victor quid possit oriri,  
 Quid nequeat; finita potestas denique quoique  
 Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens.  
 Quare religio pedibus subjecta vicissim  
 Obteritur, nos exæquat victoria cælo. 80

Illud in his rebus vereor, ne forte rearis  
 Impia te rationis inire elementa, viamque  
 Endogredi sceleris: quod contra sæpius olim  
 Religio peperit scelerosa atque impia facta:  
 Aulide quo pacto Triviai virginis aram 85

Iphianassaï turparunt sanguine fœde  
 Ductores Danaum, delecti, prima virorum.  
 Cui simul infula virgineos circumdata comtus  
 Ex utraque pari malarum parte profusa est,  
 Et mæstum simul ante aras adstare parentem 90  
 Sensit, & hunc propter ferrum celare ministros;  
 Aspectuque suo lacrimas effundere civeis:  
 Muta metu terram genibus summissa petebat:  
 Nec miseræ prodesse in tali tempore quibat,  
 Quod patrio princeps donarat nomine regem. 95  
 Nam sublata virum manibus tremebundaque ad aras  
 Deducta est, non ut, solenni more factorum  
 Perfecto, posset claro comitari hymenæo:  
 Sed casta incestu nubendi tempore in ipso,  
 Hostia concideret mactatu mæsta parentis, 100  
 Exitus ut classi felix faustusque daretur.  
 Tantum relligio potuit suadere malorum.

Tutemet a nobis jam quovis tempore vatum  
 Terriloquis victus dictis desciscere quæres;  
 Quippe etenim quam multa tibi jam fingere possum 105  
 Somnia, quæ vitæ rationes vertere possint,  
 Fortunasque tuas omneis turbare timore?  
 Et merito: nam si certam finem esse viderent  
 Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent  
 Relligionibus, atque minis obsistere vatum: 110  
 Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas;  
 Æternas quoniam pœnas in morte timendum.  
 Ignoratur enim quæ sit natura animas,  
 Nata sit, an contra nascentibus insinuetur,  
 Et simul intereat nobiscum morte dirempta, 115  
 An tenebras Orci visat, vastasque lacunas;  
 An pecudes alias divinitus insinuet se,  
 Ennius ut noster cecinit, qui primus amœno  
 Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,  
 Per genteis Italas hominum quæ clara clueret. 120

Etſi præterea tamen eſſe Acheruſia templa

Ennius æternis exponit verſibus, edens:

Quo neque permanent animæ, neque corpora noſtra;

Sed quædam ſimulacra modis pallentia miris:

Unde ſibi exortam ſemperflorentis Homeri 125

Commemorat ſpeciem, lacrumas & fundere falſas

Cœpiſſe, & rerum naturam expandere dictis.

Quapropter bene, cum, ſuperis de rebus habenda

Nobis eſt ratio; ſolis lunæque meatus

Qua ſiant ratione; & qua vi quæque genantur 130

In terris: tum, cum primis, ratione ſagaci

Unde anima, atque animi conſtet natura, videndum;

Et quæ res nobis vigilantibus obvia menteis

Terrificet, morbo affectis, ſomnoque ſepultis:

Cernere uti videamur eos, audireque coram, 135

Morte obita quorum tellus amplectitur oſſa.

Nec me animi fallit, Grajorum obſcura reperta

Difficile illuſtrare latinis verſibus eſſe,

( Multa novis verbis præſertim cum ſit agendum )

Propter egeſtatem linguæ, & rerum novitatem: 140

Sed tua me virtus tamen, & ſperata voluptas

Suavis amicitia, quemvis perferre laborem

Suadet, & inducit nocteis vigilare ſerenas,

Quærentem dictis quibus, & quo carmine demum

Clara tuæ poſſim præpandere lumina menti, 145

Res quibus occultas penitus conſiſere poſſis.

Hunc igitur terrorem animi, tenebraſque neceſſe eſt

Non radii ſolis, neque lucida tela diei

Diſcutiant, ſed naturæ ſpecies, ratioque:

Principium hinc cujus nobis exordia ſumet, 150

Nullam rem e nihilo gigni divinitus umquam.

Quippe ita formido mortaleis continet omneis,

Quod multa in terris fieri, cæloque tuentur,

Quorum operum cauſſas nulla ratione videre

Poſſunt, ac fieri divino numine rentur. 155

Quas ob res, ubi viderimus, nil posse creari  
De nihilo: tum, quod sequimur, jam rectius inde  
Perspiciemus; & unde queat res quæque creari,  
Et quo quæque modo fiant opera sine divum.

Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus 160

Omne genus nasci posset; nil semine egeret:  
E mare primum homines, e terra posset oriri  
Squamigerum genus, & volucres; erumpere cælo  
Armenta, atque aliæ pecudes: genus omne ferarum  
Incerto partu culta, ac deserta teneret. 165

Nec fructus iidem arboribus constare solerent,  
Sed mutarentur: ferre omnes omnia possent.

Quippe, ubi non essent genitalia corpora quoique,  
Qui posset mater rebus consistere certa?

At nunc feminibus quia certis quidque creatur, 170  
Inde enascitur, atque oras in luminis exit,  
Materies ubi inest cujusque & corpora prima.

Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,  
Quod certis in rebus inest secreta facultas.

Præterea, cur vere rosam, frumenta calore, 175  
Viteis autumnò fundi sudante videmus!

Si non, certa suo quia tempore semina rerum  
Cum confluerunt, patet quodcumque creatur,  
Dum tempestates adsunt, & vivida tellus

Tuto res teneras effert in luminis oras? 180

Quod si de nihilo fierent, subito exorerentur  
Incerto spatio, atque alienis partibus anni:  
Quippe ubi nulla forent primordia, quæ genitali  
Concilio possent arceri tempore iniquo.

Nec porro augendis rebus spatio foret usus 185

Seminis ad coitum, e nihilo si crescere possent.

Nam fierent juvenes subito ex infantibus parvis:

E terraque exorta repente arbuta salirent.

Quorum nil fieri manifestum est, omnia quando  
Paullatim crescunt ( ut par est ) semine certo: 190



Crescendoque genus servant; ut noscere possis  
Quæque sua de materia grandescere, alique.

Huc accedit, uti sine certis imbribus anni

Lætificos nequeat fœtus summittere tellus:

Nec porro secreta cibo natura animantum 195

Propagare genus possit, vitamque tueri:

Ut potius multis communia corpora rebus

Multa putes esse, ut verbis elementa videmus,

Quam sine principiis ullam rem existere posse.

Denique cur homines tantos natura parare 200

Non potuit, pedibus qui pontum per vada possent

Transire, & magnos manibus divellere monteis,

Multaque vivendo vitalia vincere sæcla:

Si non materies quia rebus reddita certa est

Gignundis, e qua constat quid possit oriri? 205

Nil igitur fieri de nilo posse fatendum est:

Semine quando opus est rebus, quo quæque creatæ

Aëris in teneras possint proferrier auras.

Postremo, quoniam incultis præstare videmus

Culta loca, & manibus meliores reddere fœtus: 210

Esse videlicet in terris primordia rerum,

Quæ nos fœcundas vertentes vomere glæbas,

Terraïque solum subigentes, cimus ad ortus:

Quod si nulla forent, nostro sine quæque labore

Sponte sua multo fieri meliora videres. 215

Huc accedit, uti quidque in sua corpora rursus

Dissolvat natura, neque ad nihilum interimat res.

Nam, siquid mortale e cunctis partibus esset,

Ex oculis res quæque repente erepta periret;

Nulla vi foret usus enim, quæ partibus ejus 220

Discidium parere, & nexus exsolvere posset.

At nunc, æterno quia constant semine quæque,

Donec vis obiit, quæ res diverberet ictu,

Aut intus penetret per inania, dissoluatque,

Nullius exitium patitur natura videri. 225

Præterea, quæcumque vetustate amovet ætas,  
 Si penitus perimit consumens materiem omnem,  
 Unde animale genus generatim in lumina vitæ  
 Redducit Venus? aut reductum dædala tellus  
 Unde alit, atque auget, generatim pabula præbens? 230  
 Unde mare ingenui fontes, externaque longe  
 Flumina suppeditant? unde æther sidera pascit?  
 Omnia enim debet, mortali corpore quæ sunt,  
 Infinita ætas consume anteacta diesque.  
 Quod si in eo spatium, atque anteacta ætate fuere, 235  
 E quibus hæc rerum consistit summa refecta:  
 Immortali sunt natura prædita certe.  
 Haud igitur possunt ad nilum quæque reverti.

Denique res omneis eadem vis, causaque volgo  
 Conficeret, nisi materies æterna teneret 240  
 Inter se nexus minus aut magis endopeditæ.  
 Tactus enim leti satis esset causa profecto:  
 Quippe, ubi nulla forent æterno corpore, eorum  
 Contextum vis deberet dissolvere quæque.  
 At nunc, inter se quia nexus principiorum 245  
 Dissimiles constant, æternaque materies est;  
 Incolumi remanent res corpore, dum satis acris  
 Vis obeat pro textura cujusque reperta:  
 Haud igitur redit ad nihilum res ulla; sed omnes  
 Discidio redeunt in corpora materiai. 250

Postremo pereunt imbres, ubi eos pater æther  
 In gremium matris terrai præcipitavit.  
 At nitidæ surgunt fruges, ramique virescunt  
 Arboribus; crescunt ipsæ, fœtuque gravantur.  
 Hinc alitur porro nostrum genus, atque ferarum: 255  
 Hinc lætas urbeis pueris florere videmus,  
 Frundiferasque novis avibus canere undique silvas.  
 Hinc fessæ pecudes pingues per pabula læta  
 Corpora deponunt, & candens lacteus humor  
 Uberibus manat distentis; hinc nova proles 260

Artubus infirmis teneras lasciva per herbas  
 Ludit, lacte mero menteis percussa novellas.  
 Haud igitur penitus pereunt quæcumque videntur:  
 Quando alid ex alio reficit natura, nec ullam  
 Rem gigni patitur, nisi morte adjutam aliena. 265

Nunc, age, res quoniam docui non posse creati  
 De nihilo: neque item genitas ad nil revocari;  
 Nequa forte tamen cæptes diffidere dictis,  
 Quod nequeunt oculis rerum primordia cerni;  
 Accipe præterea, quæ corpora tute necesse est 270  
 Confiteare esse in rebus, nec posse videri.

Principio, venti vis verberat incita pontum,  
 Ingenteisque ruit naveis, & nubila differt;  
 Interdum rapido percurrens turbine campos  
 Arboribus magnis sternit, monteisque supremos 275  
 Silvifragis vexat flabris: ita perfurit acri  
 Cum fremitu, sævitque minaci murmure pontus.

Sunt igitur venti nimirum corpora cæca,  
 Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cæli  
 Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant. 280

Nec ratione fluunt alia, stragemque propagant,  
 Ac cum mollis aquæ fertur natura repente  
 Flumine abundanti, quod largis imbribus auget  
 Montibus ex altis magnus decursus aquarum,  
 Fragmina conjiciens silvarum, arbustaque tota; 285

Nec validi possunt pontes venientis aquarum  
 Vim subitam tolerare: ita magno turbidus imbris  
 Molibus incurrens validis cum viribus amnis,  
 Dat sonitu magno stragem; volvitque sub undis  
 Grandia saxa, ruit qua quidquid fluctibus obstat. 290

Sic igitur debent venti quoque flamina ferri:  
 Quæ, veluti validum flumen, cum procubuere  
 Quamlibet in partem, trudunt res ante, ruuntque  
 Impetibus crebris; interdum vertice torto  
 Corripiunt, rapidoque rotantia turbine portant. 295

Qua-

Quare etiam atque etiam sunt venti corpora cæca:  
 Quandoquidem factis ac moribus, æmula magnis  
 Annibus inveniuntur, aperto corpore qui sunt.

Tum porro varios rerum sentimus odores,  
 Nec tamen ad nareis venienteis cernimus umquam: 300  
 Nec calidos æstus tuimur, nec frigora quimus  
 Usurpare oculis, nec voces cernere suemus;  
 Quæ tamen omnia corporea constare necesse est  
 Natura: quoniam sensus impellere possunt.

*Tangere enim & tangi, nisi corpus, nulla potest res.* 305  
 Denique fluctifrago suspensæ in litore vestes  
 Uvescunt, eadem dispanfæ in sole ferescunt;  
 At neque quo pacto perfederit humor aquai  
 Visum est, nec rursus quo pacto fugerit æstu;  
 In parvas igitur parteis dispergitur humor, 310  
 Quas oculi nulla possunt ratione videre.

Quin etiam multis solis redeuntibus annis  
 Annulus in digito subtertenuatur habendo:  
 Stillicidi casus lapidem cavat: uncus aratri  
 Ferreus occulte decrescit vomer in arvis: 315  
 Strataque jam volgi pedibus detrita viarum  
 Saxeæ conspiciuntur: tum portas propter athena  
 Signa manus dextræ ostendunt attenuari  
 Sæpe salutantum tactu, præterque meantum.  
 Hæc igitur minui, cum sint detrita, videmus; 320  
 Sed quæ corpora decedant in tempore quoque,  
 Invidæ præclusit speciem natura videndi.

Postremo, quæcumque dies, naturaque rebus  
 Paullatim tribuit, moderatim crescere cogens,  
 Nulla potest oculorum acies contenta tueri; 325  
 Nec porro quæcumque ævo, macieque senescunt,  
 Nec mare quæ impendent vesco fale saxa peresa,  
 Quid quoque amittant in tempore, cernere possis.  
 Corporibus cæcis igitur natura gerit res.

Nec tamen undique corporea stipata tenentur 330

Omnia

Omnia natura; namque est in rebus inane.

Quod tibi cognosse in multis erit utile rebus:

Nec finet errantem dubitare, & quærere semper.  
De summa rerum, & nostris diffidere dictis.

Quapropter locus est intactus inane, vacansque. 335

Quod si non esset, nulla ratione moveri

Res possent, namque, officium quod corporis exstat,

Officere atque obstare, id in omni tempore adesset

Omnibus: haud igitur quidquam procedere posset,

Principium quoniam cedendi nulla daret res. 340

At nunc per maria, ac terras, sublima que cæli,

Multa modis multis varia ratione moveri

Cernimus ante oculos; quæ, si non esset inane,

Non tam sollicito motu privata carerent,

Quam genita omnino nulla ratione fuissent: 345

Undique materies quoniam stipata quiesset.

Præterea quamvis solidæ res esse putentur,

Hinc tamen esse licet raro cum corpore cernas:

In faxis, ac speluncis permanat aquarum

Liquidus humor, & uberibus flent omnia guttis: 350

Dissipat in corpus sese cibus omne animantum:

Crescunt arbuſta, & fœtus in tempore fundunt,

Quod cibus in totas usque ab radicibus imis

Per truncos, ac per ramos diffunditur omneis:

Inter sæpta meant voces, & clausa domorum 355

Transvolitant: rigidum permanat frigus ad ossa.

Quod, nisi inania sint, qua possent corpora quæque

Transire, haud ulla fieri ratione videres.

Denique cur alias aliis præstare videmus

Pondere res rebus, nihilo majore figura? 360

Nam, si tantumdem est in lanæ glomere, quantum

Corporis in plumbo est, tantumdem pendere par est;

Corporis officium est quoniam premere omnia deorsum:

Contra autem natura manet sine pondere inanis.

Ergo quod magnum est æque, leuiusque videtur, 365

Nimi-

Nimirum plus esse sibi declarat inanis.  
 At contra gravius plus in se corporis esse  
 Dedicat, & multo vacui minus intus habere.  
 Est igitur nimirum id, quod ratione sagaci  
 Quærimus, admistum rebus, quod inane vocamus. 376  
 Illud in his rebus, te ne deducere vero  
 Possit, quod quidam fingunt, præcurrere cogor.  
 Cedere squamigeris latices nitentibus ajunt,  
 Et liquidas aperire vias; quia post loca pisces  
 Linqunt, quo possint cedentes confluere undæ: 375  
 Sic alias quoque res inter se posse moveri,  
 Et mutare locum; quamvis sint omnia plena.  
 Scilicet id falsa totum ratione receptum est.  
 Nam quo squamigeri poterunt procedere tandem,  
 Ni spatium dederint latices? concedere porro 380  
 Quo poterunt undæ, cum pisces ire nequibunt?  
 Aut igitur motu privandum est corpora quæque;  
 Aut esse admistum dicendum est rebus inane;  
 Unde initum primum capiat res quæque movendi.  
 Postremo duo de concursu corpora lata 385  
 Si cita dissiliant; nempe aër omne necesse est,  
 Inter corpora quod fuvat possidat inane.  
 Is porro, quamvis circum celerantibus auris  
 Confluat; haud poterit tamen uno tempore totum  
 Compleri spatium: nam primum quæque necesse est 390  
 Occupet ille locum, deinde omnia possideantur.  
 Quod si forte aliquis, cum corpora dissiluerit,  
 Tum putat id fieri, quia se condensat aër,  
 Errat; nam vacuum tunc fit, quod non fuit ante;  
 Et repletur item, vacuum quod constitit ante: 395  
 Nec tali ratione potest densari aër,  
 Nec, si jam posset, sine inani posset, opinor,  
 Se ipse in se trahere, & parteis conducere in unum.  
 Quapropter, quamvis causando multa moreris,  
 Esse in rebus inane tamen fateare necesse est. 400

Multaque præterea tibi possum commemorando  
 Argumenta, fidem dictis conradere nostris;  
 Verum animo fatis hæc vestigia parva sagaci  
 Sunt, per quæ possis cognoscere cetera tute.  
 Namque canes ut montivagæ persæpe ferai 405  
 Naribus inveniunt intestas frunde quietes,  
 Cum semel institerunt vestigia certa viai:  
 Sic alid ex alio per te tute ipse videre  
 Talibus in rebus poteris, cæcasque latebras  
 Insinuare omneis, & verum protrahere inde: 410  
 Quod si pigraris, paullumve abscesseris ab re,  
 Hoc tibi de plano possum promittere, Memmi,  
 Usque adeo largos haustus de fontibus magnis  
 Lingua meo suavissimæ diti de pectore fundet,  
 Ut verear, ne tarda prius per membra senectus 415  
 Serpat, & in nobis vitæ claustra resolvat,  
 Quam tibi de quavis una re versibus omnis  
 Argumentorum sit copia missa per aureis.  
 Sed nunc jam repetam cœptum pertexere dictis.

Omnis, ut est, igitur, per se, natura, duabus 420  
 Consistit rebus; nam corpora sunt, & inane,  
 Hæc in quo sita sunt, & qua diversa moventur:  
 Corpus enim per se communis deliquat esse  
 Sensus; quo nisi prima fides fundata valebit,  
 Haud erit occultis de rebus quo referentes 425  
 Confirmare animi quidquam ratione queamus.  
 Tum porro locus, ac spatium, quod inane vocamus,  
 Si nullum foret, haud usquam sita corpora possent  
 Esse, neque omnino quaquam diversa meare;  
 Id quod jam supera tibi paullo ostendimus ante. 430

Præterea nihil est, quod possis dicere ab omni  
 Corpore se junctum, secretumque esse ab inani:  
 Quod quasi tertia sit rerum natura reperta.  
 Nam quodcumque erit, esse aliquid debet id ipsum  
 Augmine vel grandi, vel parvo denique, dum sit; 435  
 Cui

Cui si tactus erit quamvis levis, exiguusque,  
 Corporum augebit numerum, summamque sequetur;  
 Sin intactile erit, nulla de parte quod ullam  
 Rem prohibere queat per se transire meantem:  
 Scilicet hoc id erit vacuum, quod inane vocamus. 440

Præterea per se quodcumque erit, aut faciet quid,  
 Aut aliis fungi debet agentibus ipsum;

Aut erit ut possint in eo res esse, gerique:  
 At facere & fungi sine corpore nulla potest res:  
 Nec præbere locum porro, nisi inane, vacansque. 445

Ergo præter inane, & corpora, tertia per se  
 Nulla potest rerum in numero natura relinqui;  
 Nec, quæ sub sensus cadat ullo tempore nostros,  
 Nec, ratione animi quam quisquam possit apisci.  
 Nam quæcumque cluent, aut his conjuncta duabus 450  
 Rebus ea invenies; aut horum eventa videbis.

Conjunctum est id, quod numquam sine pernicali  
 Discidio potis est sejungi, seque gregari:  
 Pondus uti saxi, calor ignibus, liquor aquæ,  
 Tactus corporibus cunctis, intactus inani. 455

Servitium contra, libertas, divitiæque,  
 Paupertas, bellum, concordia, cetera, quorum  
 Adventu manet incolumis natura, abituque,  
 Hæc soliti sumus, ut par est, eventa vocare.

Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis 460  
 Consequitur sensus, transactum quid sit in ævo,  
 Tum quæ res instet; quid porro deinde sequatur:  
 Nec per se quemquam tempus sentire fatendum est  
 Semotum ab rerum motu, placidaque quiete.

Denique Tyndaridem raptam, belloque subactas 465  
 Trojugenas genteis cum dicunt esse, videndum est,  
 Ne forte hæc per se, cogant nos, esse fateri:  
 Quando ea sæcla hominum, quorum hæc eventa fuerit  
 Irrevocabilis abstulerit jam præterita ætas.

Namque aliud rebus, aliud regionibus ipsis 470



Eventum dici poterit, quodcumque erit actum.

Denique materies si rerum nulla fuisset,  
 Nec locus, ac spatium, res in quo quæque geruntur;  
 Nunquam Tyndaridis formæ conflatus amore  
 Ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens 475  
 Clara accendisset sævi certamina belli:

Nec clam durateus Trojæ Pergama partu  
 Inflammasset equus nocturno Grajugenarum.  
 Perspicere ut possis res gestas funditus omneis,  
 Non ita uti corpus per se constare, nec esse: 480  
 Nec ratione cluere eadem, qua constat inane:  
 Sed magis ut merito possis eventa vocare  
 Corporis, atque loci, res in quo quæque gerantur.

Corpora sunt porro partim primordia rerum,  
 Partim concilio quæ constant principiorum. 485  
 Sed quæ sunt rerum primordia, nulla potest vis  
 Stringere; nam solido vincunt ea corpore demum:  
 Et si difficile esse videtur credere quidquam  
 In rebus solido reperiri corpore posse;

Transit enim fulmen cæli per sæpta domorum, 490  
 Clamor ut, ac voces: ferrum candescit in igne:  
 Diffiliuntque fero ferventia saxa vapore:  
 Conlabefactatus rigor auri solvitur æstu:

Tum glacies æris flamma devicta liquefcit:  
 Permanat calor argentum, penetrabileque frigus, 495  
 Quando utrumque, manu retinentes pocula rite,  
 Sensimus infuso lympharum rore superne:  
 Usque adeo in rebus solidi nihil esse videtur.

Sed quia vera tamen ratio, naturaque rerum  
 Cogit, ades, paucis dum versibus expediamus, 500  
 Esse ea, quæ solido, atque æterno corpore consent,  
 Semina quæ rerum, primordiaque esse docemus:  
 Unde omnis rerum nunc constet summa creata.

Principio quoniam duplex natura duarum  
 Dissimilis rerum longe constare reperta est, 505  
 B Cor-

Corporis atque loci, res in quo quæque geruntur;  
 Esse utramque sibi per se, puramque necesse est.  
 Nam quacumque vacat spatium, quod inane vocamus,  
 Corpus ea non est: qua porro cumque tenet se  
 Corpus, ea vacuum nequaquam constat inane. 510  
 Sunt igitur solida, ac sine inani corpora prima.

Præterea quoniam genitis in rebus inane est,  
 Materiem circum solidam constare necesse est:  
 Nec res ulla potest vera ratione probari  
 Corpore inane suo celare, atque intus habere; 515  
 Si non, quod cohibet, solidum constare relinquant.  
 Id porro nihil esse potest, nisi materiai  
 Concilium, quod inane queat rerum cohibere.

Materies igitur solido quæ corpore constat,  
 Esse æterna potest, cum cetera dissolvantur. 520

Tum porro si nil esset, quod inane vacaret,  
 Omne foret solidum; nisi contra corpora cæca  
 Essent, quæ loca complerent, quæcumque tenerent:  
 Omne quod est spatium, vacuum constaret inane.  
 Alternis igitur nimirum corpus inani 525  
 Distinctum est, quoniam nec plenum naviter exstat;  
 Nec porro vacuum: sunt ergo corpora cæca,  
 Quæ spatium pleno possint distinguere inane.

Hæc neque dissolvi plagis extrinsecus icta  
 Possunt: nec porro penitus penetrata retexi; 530  
 Nec ratione queunt alia tentata labare:  
 Id quod jam supera tibi paullo ostendimus ante.  
 Nam neque conlidi sine inani posse videtur  
 Quidquam, nec frangi, nec findi in bina secando:  
 Nec capere humorem, neque item manabile frigus, 535  
 Nec penetralem ignem, quibus omnia conficiuntur:  
 Et quam quæque magis cohibet res intus inane,  
 Tam magis his rebus penitus tentata labascit.  
 Ergo, si solida, ac sine inani corpora prima  
 Sunt, ita uti docui, sint hæc æterna necesse est. 540

Præterea, nisi materies æterna fuisset,  
 Antehac ad nihilum penitus res quæque redissent,  
 De nihiloque renata forent quæcumque videmus.  
 At quoniam supera docui nil posse creari  
 De nihilo, neque quod genitum est ad nil revocari: 545  
 Esse immortalia primordia corpore debent,  
 Dissolvi quo quæque supremo tempore possint;  
 Materies ut suppeditet rebus reparandis.  
 Sunt igitur solida primordia simplicitate,  
 Nec ratione queunt alia servata per ævum 550  
 Ex infinito jam tempore res reparare.

Denique, si nullam finem natura parasset  
 Frangendis rebus, jam corpora materiai  
 Usque redacta forent, ævo frangente priore,  
 Ut nihil ex illis a certo tempore posset 555  
 Conceptum, summum ætatis pervadere florem:  
 Nam quidvis citius dissolvi posse videmus,  
 Quam rursus refici. Quapropter longa diei  
 Infinitæ ætas anteaacti temporis omnis  
 Quod fregisset adhuc, disturbans, dissolvensque, 560  
 Id numquam reliquo reparari tempore posset:  
 At nunc nimirum frangendi reddita finis  
 Certa manet: quoniam refici rem quamque videmus,  
 Et finita simul generatim tempora rebus  
 Stare, quibus possint ævi contingere florem. 565

Huc accedit, uti solidissima materiai  
 Corpora cum constant, possint tamen omnia reddi  
 Mollia, quæ fiant aër, aqua, terra, vapores,  
 Quo pacto fiant, & qua vi cumque genantur,  
 Admixtum quoniam simul est in rebus inane. 570  
 At contra, si mollia sint primordia rerum,  
 Unde queant validi filices, ferrumque creari,  
 Non poterit ratio reddi. nam funditus omnis  
 Principio fundamenti natura carebit.  
 Sunt igitur solida pollentia simplicitate, 575

Quorum condense magis omnia conciliatu  
Arctari possunt, validasque ostendere vireis.

Denique jam quoniam generatim reddita finis  
Crescendi rebus constat, vitamque tuendi,  
Et quid quæque queant per fœdera naturai, 580  
Quid porro nequeant, sancitum quandoquidem exstat;  
Nec commutatur quidquam, quin omnia constant  
Usque adeo, variæ volucres ut in ordine cunctæ  
Ostendant maculas generaleis corpori inesse:  
Immutabile materiæ quoque corpus habere 585  
Debent nimirum. Nam si primordia rerum  
Commutari aliqua possent ratione revicta,  
Incertum quoque jam constet, quid possit oriri,  
Quid nequeat; finita potestas denique quoique  
Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens; 590  
Nec toties possent generatim sæcla referre  
Naturam, motus, viciū, moresque parentum.

Tum porro, quoniam extremum cuiusque cacumen  
Corporis est aliquod, nostri quod cernere sensus  
Jam nequeunt; id nimirum sine partibus exstat, 595  
Et minima constat natura; nec fuit umquam  
Per se secretum, neque posthac esse valebit:  
Alterius quoniam est ipsum pars, primaque, & ima:  
Inde aliæ, atque aliæ similes ex ordine partes  
Agmine condense naturam corporis explent. 600  
Quæ quoniam per se nequeunt constare, necesse est  
Hære, ut nequeant ulla ratione revelli.  
Sunt igitur solida primordia simplicitate:  
Quæ minimis stipata cohærent partibus arcte,  
Non ex uilorum conventu conciliata, 605  
Sed magis æterna pollentia simplicitate:  
Unde neque avelli quidquam, neque diminui jam  
Concedit natura reservans semina rebus.

Præterea nisi erit minimum, parvissima quæque  
Corpora constabunt ex partibus infinitis; 610

Quip-

Quippe ubi dimidiæ partis pars semper habebit  
 Dimidiam partem, nec res perfiniet ulla:  
 Ergo rerum inter summam, minimamque quid escit?  
 Non erit ut distent: nam quamvis funditus omnis  
 Summa sit infinita, tamen parvissima quæ sunt, 615  
 Ex infinitis constabunt partibus æque.

Quoi quoniam ratio reclamat vera, negatque  
 Credere posse animum, victus fateare necesse est,  
 Esse ea quæ nullis jam prædita partibus exsunt,  
 Et minima constant natura: quæ quoniam sunt, 620  
 Illa quoque esse tibi solida, atque æterna fatendum.

Denique ni minimas in parteis cuncta resolvi  
 Cogere consuisset rerum natura creatrix,  
 Jam nihil ex illis eadem reparare valeret:  
 Propterea quia, quæ multis sunt partibus aucta, 625  
 Non possunt ea quæ debet genitalis habere  
 Materies, varios connexus, pondera, plagas,  
 Concurfus, motus, per quæ res quæque geruntur.

Porro, si nulla est frangendis reddita finis  
 Corporibus, tamen ex æterno tempore quædam 630  
 Nunc etiam superare necesse est corpora rebus,  
 Quæ nondum clueant ullo tentata periclo:  
 At quoniam fragili natura prædita constant,  
 Discrepat æternum tempus potuisse manere  
 Innumerabilibus plagis vexata per ævum. 635

Quapropter qui materiem rerum esse putarunt  
 Ignem, atque ex igni summam consistere solo,  
 Magnopere a vera lapsi ratione videntur.  
 Heraclitus inquit quorum dux prælia primus,  
 Clarus ob obscuram linguam magis inter inaneis, 640  
 Quamde graveis inter Grajos, qui vera requirunt  
 Omnia enim stolidi magis admirantur, amantque  
 Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt:  
 Veraque constituunt, quæ belle tangere possunt  
 Aureis, & lepido quæ sunt fucata sonore. 645



Nam cur tam variæ res possent esse, requiro,  
 Ex vero si sunt igni, puroque creatæ.  
 Nil prodesset enim calidum denserier ignem,  
 Nec rarefieri, si partes ignis eamdem  
 Naturam, quam totus habet super ignis, haberent. 650  
 Acrior ardor enim conductis partibus esset:  
 Languidior porro disiectis, disque supatis.  
 Amplius hoc fieri nihil est quod posse rearis  
 Talibus in caussis, nedum variantia rerum  
 Tanta queat densis, rarisque ex ignibus esse. 655  
 Atque hi si faciant, admissum rebus inane;  
 Denferi poterunt ignes, rarique relinqui:  
 Sed, quia multa sibi cernunt contraria, mussant,  
 Et fugitant in rebus inane relinquere purum, &  
 Ardua dum metuunt, amittunt vera viai: 660  
 Nec rursus cernunt exempto rebus inani,  
 Omnia denseri, fierique ex omnibus unum  
 Corpus, nil ab se quod possit mittere raptim,  
 Æstifer ignis uti lumen jacit, atque vaporem:  
 Ut videas non e stipatis partibus esse. 665

Quod si forte ulla credunt ratione potesse  
 Igneis in cœtu stingui, mutareque corpus;  
 Scilicet ex ulla facere id si parte reparcent,  
 Occidet ad nihilum nimirum funditus ardor  
 Omnis, & ex nihilo fient quæcumque creantur. 670  
 Nam quodcumque suis mutatum finibus exit,  
 Continuo hoc mors est illius quod fuit ante:  
 Proinde aliquid superare necesse est incolume olli,  
 Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes,  
 De nihiloque renata virescat copia rerum. 675

Nunc igitur, quoniam certissima corpora quædam  
 Sunt, quæ conservant naturam semper eamdem,  
 Quorum habitu, aut aditu, mutatoque ordine mutant  
 Naturam res, & convertunt corpora sese;  
 Scire licet non esse hæc ignea corpora rerum. 680

Nil

Nil referret enim quædam decedere, abire,  
 Atque alia attribui, mutarique ordine quædam;  
 Si tamen ardoris naturam cuncta tenerent.  
 Ignis enim foret omnimodis quodcumque crearent. (685  
 Verum, ut opinor, ita est: sunt quædam corpora, quorum  
 Concurfus, motus, ordo, positura, figuræ,  
 Efficiunt igneis, mutatoque ordine mutant  
 Naturam; neque sunt igni simulata, neque ullæ  
 Præterea reij, quæ corpora mittere possit  
 Sensibus, & nostros adjectu tangere tactus. 690

Dicere porro ignem res omneis esse, neque ullam  
 Rem veram in numero rerum constare, nisi ignem,  
 Quod facit hic idem, perdelirum esse videtur.  
 Nam contra sensus ab sensibus ipse repugnat:  
 Et labefactat eos, unde omnia credita pendent: 695  
 Unde hic cognitus est ipsi, quem nominat ignem.  
 Credit enim sensus ignem cognoscere vere,  
 Cetera non credit, nihilo quæ clara minus sunt:  
 Quod mihi cum vanum, tum delirum esse videtur.  
 Quo referemus enim? quid nobis certius ipsis 700  
 Sensibus esse potest, quo vera ac falsa notemus?

Præterea, quare quisquam magis omnia tollat,  
 Et velit ardoris naturam relinquere solam,  
 Quam neget esse ignis, summam tamen esse relinquat?  
 Æqua videtur enim dementia dicere utrumque. 705

Quapropter qui materiem rerum esse putarunt  
 Ignem, atque ex igni summam consistere posse;  
 Et qui principium gignundis aëra rebus  
 Constituere: aut humorem quicumque putarunt  
 Fingere res ipsum per se: terramve creare 710  
 Omnia, & in rerum naturas vertier omneis:  
 Magnopere a vero longeque errasse videntur.

Adde etiam qui conduplicant primordia rerum,  
 Aëra jungentes igni, terramque liquori:  
 Et qui quatuor ex rebus posse omnia rentur, 715

Ex igni, terra, atque anima procreſcere, & imbri:  
 Quorum Acragantinus cum primis Empedocles eſt:  
 Inſula quem Triquetris terrarum geſſit in oris:  
 Quam fluitans circum magnis amfractibus æquor  
 Ionium glaucis aſpergit virus ab undis: 720  
 Anguſtoque fretu rapidum mare dividit undis  
 Italiæ terræ oras a finibus ejus:  
 Hic eſt vaſta Charybdis; & hic Ætnæa minantur  
 Murmura flammarum ruſum ſe conligere iras,  
 Faucibus eruptos iterum ut vis evomat igneis: 725  
 Ad cælumque ferat flammæ fulgura ruſum:  
 Quæ cum magna modis multis miranda videtur  
 Gentibus humanis regio, viſendaque fertur,  
 Rebus opima bonis, multa munita virum vi:  
 Nil tamen hoc habuiſſe viro præclarius in ſe, 730  
 Nec ſanctum magis, & mirum, carumque videtur.  
 Carmina quin etiam divini pectoris ejus  
 Vociferantur, & exponunt præclara reperta;  
 Ut vix humana videatur ſtirpe creatus.  
 Hic tamen, & ſupera quos diximus, inferiores 735  
 Partibus egregie multis, multoque minores,  
 Quamquam multa bene, ac divinitus inventientes  
 Ex adyto tamquam cordis reſponſa dedere  
 Sanctius, & multo certa ratione magis, quam  
 Pythia, quæ tripode ex Phœbi, lauroque profatur; 740  
 Principiis tamen in rerum fecere ruinas,  
 Et graviter magni magno cecidere ibi caſu:  
 Primum, quod motus, exempto rebus inani,  
 Conſtituunt, & res molleis, raræſque relinquunt,  
 Aëra, ſolem, ignem, terras, animalia, fruges: 745  
 Nec tamen admifcent in eorum corpus inane.  
 Deinde quod omnino finem non eſſe ſecandis  
 Corporibus faciunt, neque pauſam ſtare fragori;  
 Nec prorſum in rebus minimum conſiſtere quidquam:  
 Cum videamus id extremum cujuſque cacumen 750  
 Eſſe,



Esse, quod ad sensus nostros minimum esse videtur :  
 Conjicere ut possis ex hoc, quod cernere non quis,  
 Extremum quod habent, minimum consistere rebus.

Huc accedit item, quod jam primordia rerum  
 Mollia constituunt, quæ nos nativa videmus 755  
 Esse, & mortali cum corpore funditus; atqui  
 Debeat ad nihilum jam rerum summa reverti,  
 De nihiloque renata virefcere copia rerum.

Quorum utrumque quid a vero, jam, distet, habebas.

Deinde inimica modis multis sunt, atque venena 760  
 Ipsa sibi inter se; quare aut congressa peribunt,  
 Aut ita diffugient, ut tempestate coorta,  
 Fulmina diffugere; atque imbreis ventosque videmus.

Denique quatuor ex rebus si cuncta creantur,  
 Atque in eas rursus res omnia dissolvuntur, 765

Qui magis illa queunt rerum primordia dici,

Quam contra res illorum, retroque putari?

Alternis gignuntur enim, mutantque colorem,

Et totam inter se naturam tempore ab omni.

Sin ita forte putas, ignis, terræque coire 770

Corpus, & aërias auras, roremque liquorum,

Nil in concilio naturam ut mutet eorum:

Nulla tibi ex illis poterit res esse creata;

Non animans, non ex animo quid corpore, ut arbor:

Quippe suam quidque in cœtu variantis acervi 775

Naturam ostendet, mistusque videbitur aër

Cum terra simul, atque ardor cum rore manere.

At primordia gignundis in rebus oportet

Naturam clandestinam, cæcamque adhibere,

Emineat nequid, quod contra pugnet, & obstat, 780

Quo minus esse queat proprie quodcumque creatur.

Quin etiam repetunt a cælo, atque ignibus ejus,

Et primum faciunt ignem se vertere in auras

Aëris: hinc imbrem gigni, terramque creari

Ex imbri, retroque a terra cuncta reverti, 78

Humorem primum, post aëra, deinde calorem:  
 Nec cessare hæc inter se mutare, meare  
 De cælo ad terram, de terra ad sidera mundi:  
 Quod facere haud ullo debent primordia pacto.  
 Immutabile enim quiddam superare necesse est; 790  
 Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.  
 Nam quodcumque suis mutatum finibus exit,  
 Continuo hoc mors est illius quod fuit ante.  
 Quapropter, quoniam quæ paullo diximus ante,  
 In commutatum veniunt, constare necesse est 795  
 Ex aliis ea, quæ nequeant convertier umquam:  
 Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes:  
 Quin potius tali natura prædita quædam  
 Corpora constituas, ignem si forte crearent,  
 Posse eadem demtis paucis, paucisque tributis, 800  
 Ordine mutato, & motu, facere aëris auras:  
 Sic alias aliis rebus mutarier omneis.

At manifesta palam res indicat, inquis, in auras  
 Aëris e terra res omneis crescere, alique;  
 Et nisi tempestas indulget tempore fausto, 805  
 Imbribus, & tabe nimborum arbusta vacillant;  
 Solque sua pro parte fovet, tribuitque calorem:  
 Crescere non possunt fruges, arbusta, animantes  
 Scilicet: & nisi nos cibus aridus, & tener humor  
 Adjuvat, amisso jam corpore, vita quoque omnis 810  
 Omnibus e nervis atque ossibus exsolvatur:  
 Adjutamur enim dubio procul, atque alimur nos  
 Certis ab rebus, certis aliæ atque aliæ res.  
 Nimirum quia multa modis communia multis  
 Multarum rerum in rebus primordia mista 815  
 Sunt, ideo variis variæ res rebus aluntur.  
 Atque eadem magni refert primordia sæpe  
 Cum quibus, & quali positura contineantur:  
 Et quos inter se dent motus, accipiantque.  
 Namque eadem cælum, mare, terras, flumina, solem 820

Constituunt; eadem fruges, arbuta, animanteis:  
Verum aliis, alioque modo commista moventur.

Quin etiam passim nostris in versibus ipsis  
Multa elementa vides multis communia verbis:  
Cum tamen inter se versus, ac verba necesse est 825  
Confiteare & re, & sonitu distare sonanti:  
Tantum elementa queunt permutato ordine solo:  
At rerum quæ sunt primordia, plura adhibere  
Possunt, unde queant variæ res quæque creari.

Nunc & Anaxagoræ scrutemur homæomeriam, 830  
Quam Græci memorant, nec nostra dicere lingua  
Concedit nobis patrii sermonis egestas:  
Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbis,  
Principium rerum quam dicit homæomeriam:  
Ossa videlicet e paucillis atque minutis 835  
Ossibus: sic & de paucillis atque minutis  
Visceribus viscus gigni: sanguenque creari,  
Sanguinis inter se multis coëuntibus guttis:  
Ex aurique putat micis consistere posse  
Aurum: & de terris terram concreescere parvis: 840  
Ignibus ex ignem: humorem ex humoribus esse:  
Cetera consimili fingit ratione, putatque.

Nec tamen esse ulla parte idem in rebus inane  
Concedit, neque corporibus finem esse secandis:  
Quare in utraque mihi pariter ratione videtur 845  
Errare, atque illi, supera quos diximus ante.

Adde quod imbecilla nimis primordia fingit,  
Si primordia sunt, simili quæ prædita constant  
Natura, atque ipsæ res sunt; æqueque laborant,  
Et pereunt, neque ab exitio res ulla refrenat: 850  
Nam quid in oppressu valido durabit eorum,  
Ut mortem effugiat leti sub dentibus ipsis?  
Ignis? an humor? an aura? quid horum? sanguen? an ossa?  
Nil, ut opinor, ubi ex æquo res funditus omnis  
Tam mortalis erit, quam quæ manifesta videmus 855

Ex oculis nostris aliqua vi victa perire :

At neque recidere ad nihilum res posse, neque autem  
Crescere de nihilo, testor res ante probatas.

Præterea quoniam cibus auget corpus, alitque:  
Scire licet, nobis venas, & sanguen, & ossa, 860  
Et nervos alienigenis ex partibus esse:

Sive cibus omneis commisto corpore dicent  
Esse, & habere in se nervorum corpora parva,  
Ossaque, & omnino venas, parteisque cruoris;  
Fiet, uti cibus omnis & aridus, & liquor ipse, 865  
Ex alienigenis rebus constare putetur,  
Ossibus, & nervis, venisque, & sanguine misto.

Præterea quæcumque e terra corpora crescunt;  
Si sunt in terris, terras constare necesse est  
Ex alienigenis, quæ terris exoriuntur. 870

Transfer item, totidem verbis utare licebit:  
In lignis si flamma latet, fumusque, cinisque:  
Ex alienigenis consistant ligna necesse est.

Linquitur hic tenuis latitandi copia quædam:  
Id quod Anaxagoras sibi sumit, ut omnibus omneis 875  
Res putet immistas rebus latitare: sed illud  
Apparere unum, cujus sint pluria mista,  
Et magis in promptu, primaque in fronte locata:  
Quod tamen a vera longe ratione repulsum est.  
Conveniebat enim fruges quoque sæpe minutas, 880  
Robore cum saxi franguntur, mittere signum  
Sanguinis, aut aliûm nostro quæ corpore aluntur:  
Cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem.  
Consimili ratione herbas quoque sæpe decebat,  
Et laticis dulcibus guttas, similibus sapore 885  
Mittere, lanigeræ quali sunt ubera lactis:

Scilicet & glæbis terrarum sæpe friatis  
Herbarum genera, & fruges, frondeisque videri  
Dispertita, atque in terris latitare minute:  
Postremo, in lignis cinerem fumumque videri, 890

Cum

Cum præfracta forent, igneisque latere minutos.

Quorum nil fieri quoniam manifesta docet res,  
Scire licet non esse in rebus res ita mistas:

Verum semina multimodis immista latere

Multarum rerum in rebus communia debent. 895

At sæpe in magnis fit montibus, inquis, ut altis  
Arboribus vicina cacumina summa terantur

Inter se, validis facere id cogentibus Austris,

Donec fulserunt flammæ fulgore coorto:

Scilicet: & non est lignis tamen infusus ignis, 900

Verum semina sunt ardoris multa, terendo

Quæ cum confluxere, creant incendia silvis.

Quod si tanta foret silvis abscondita flamma;

Non possent ullum tempus celarier ignes:

Conficerent volgo silvas, arbuta cremarent. 905

Jamne vides igitur, paullo quod diximus ante,

Permagni referre eadem primordia sæpe

Cum quibus, & quali positura contineantur,

Et quos inter se dent motus, accipiantque,

Atque eadem paullo inter se mutata creare. 910

Igneis e lignis, quo pacto verba quoque ipsa

Inter se paullo mutatis sunt elementis,

Cum ligna, atque igneis distincta voce notemus?

Denique jam quæcumque in rebus cernis apertis,

Si fieri non posse putas, quin materiai 915

Corpora consimili natura prædita fingas,

Hac ratione tibi pereunt primordia rerum:

Fiet uti risu tremulo concussa cachinent,

Et lacrimis falsis humectent ora, genasque.

Nunc age, quod superest, cognosce, & clarius audi. 920

Nec me animi fallit quam sint obscura, sed acri

Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,

Et simul incussit suavem mi in pectus amorem

Musarum: quo nunc instinctus, mente vigenti

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante 925

Trita

Trita solo: juvat integros accedere fonteis,  
 Atque haurire: juvatque novos decerpere flores:  
 Infignemque meo capiti petere inde coronam,  
 Unde prius nulli velarint tempora Musæ:  
 Primum quod magnis doceo de rebus, & arctis 930  
 Relligionum animos nodis exsolvere pergo:  
 Deinde quod obscura de re ram lucida pango  
 Carmina, musæo contingens cuncta lepore;  
 Id quoque enim non ab nulla ratione videtur:  
 Sed veluti pueris absinthia tætra medentes 935  
 Cum dare conantur, prius oras pocula circum  
 Contingunt mellis dulci flavoque liquore,  
 Ut puerorum ætas improvida ludificetur  
 Labrorum tenuis, interea perpotet amarum  
 Absinthii laticem, deceptaque non capiatur, 940  
 Sed potius tali facto recreata valeat:  
 Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur  
 Tristior esse, quibus non est tractata, retroque  
 Volgus abhorret ab hac; volui tibi suaviloquenti  
 Carmine Pierio rationem exponere nostram, 945  
 Et quasi musæo dulci contingere melle,  
 Si tibi forte animum tali ratione tenere  
 Versibus in nostris possem, dum perspicias omnem  
 Naturam rerum, qua constet compta figura.  
 Sed quoniam docui, solidissima materiai 950  
 Corpora perpetuo volitare invicta per ævum;  
 Nunc age summaei equænam sit finis eorum,  
 Necne sit, evolvamus; item, quod inane repertum est,  
 Seu locus, ac spatium, res in quo quæque genantur,  
 Pervideamus utrum finitum funditus Omne 955  
 Constet, an immensum pateat vel adusque profundum.  
 Omne quod est, igitur, nulla regione viarum  
 Finitum est: namque extremum debebat habere.  
 Extremum porro nullius posse videtur  
 Esse, nisi ultra sit quod finiat, ut videatur, 960  
 Quo

Quo non longius hæc sensus natura sequatur.  
 Nunc extra summam quoniam nihil esse fatendum est,  
 Non habet extremum: caret ergo fine, modoque:  
 Nec refert quibus adsistas regionibus ejus,  
 Usque adeo quem quisque locum possidet, in omneis 965  
 Tantundem parteis infinitum omne relinquit.

Præterea, si jam finitum constituatur  
 Omne quod est spatium, si quis procurrat ad oras  
 Ultimus extremas, jaciatque volatile telum;  
 Id validis utrum contortum viribus ire 970  
 Quo fuerit missum mavis, longeque volare,  
 An prohibere aliquid censes, obstareque posse?  
 Alterutrum fatearis enim, sumasque necesse est.  
 Quorum utrumque tibi effugium præcludit, & omne  
 Cogit ut exemta concedas sine patere. 975  
 Nam sive est aliquid, quod prohibeat, officiatque  
 Quo minus quo missum est veniat, finique locet se,  
 Sive foras fertur, non est ea finis profecto.  
 Hoc pacto sequar, atque oras ubicumque locaris  
 Extremas, quæram quid telo denique fiat. 980  
 Fiet uti nusquam possit consistere finis:  
 Effugiumque fugæ prolatet copia semper.

Præterea spatium summam totius omne  
 Undique si inclusum certis consisteret oris,  
 Finitumque foret; jam copia materiai 985  
 Undique ponderibus solidis confluet ad imum;  
 Nec res ulla geni sub cæli tegmine posset:  
 Nec foret omnino cælum, neque lumina solis:  
 Quippe ubi materies omnis cumulata jaceret  
 Ex infinito jam tempore subsidendo. 990  
 At nunc nimirum requies data principiorum  
 Corporibus nulla est: quia nil est funditus imum,  
 Quo quasi confluere, & sedes ubi ponere possint;  
 Semper & assiduo motu res quæque genuntur  
 Partibus in cunctis, æternaque suppeditantur 995

Ex

Ex infinito cita corpora materiai.

Postremo ante oculos rem res finire videtur,  
 Aër dissæpit colleis, atque aëra montes;  
 Terra mare, & contra mare terras terminat omneis.  
 Omne quidem vero nihil est quod finiat extra: 1000  
 Est igitur natura loci, spatiumque profundi,  
 Quod neque clara suo percurrere flumina cursu  
 Perpetuo possint ævi labentia tractu:  
 Nec prorsum facere, ut restet minus ire, meando:  
 Usque adeo passim patet ingens copia rebus, 1005  
 Finibus exemptis in cunctas undique parteis.

Ipsa modum porro sibi rerum summa parare  
 Ne possit, natura tenet: quia corpus inani,  
 Et quod inane autem est, finiri corpore cogit:  
 Ut sic alternis infinita omnia reddat. 1010  
 Aut etiam alterutrum nisi terminet alterum eorum,  
 Simplice natura & pateat tantum immoderatum:  
 Nec mare, nec tellus, nec cæli lucida templa,  
 Nec mortale genus, nec divum corpora sancta  
 Exiguum possent horai sistere tempus. 1015  
 Nam dispulsa suo de cœtu materiai  
 Copia ferretur magnum per inane soluta,  
 Sive adeo potius numquam concreta creasset  
 Ullam rem, quoniam cogi disjecta nequisset.

Nam certe neque consilio primordia rerum 1020  
 Ordine se quæque, atque sagaci mente locarunt;  
 Nec quos quæque darent motus pepigere profecto:  
 Sed quia multimodis, multis, inutata, per Omne  
 Ex infinito vexantur percita plagis,  
 Omne genus motus, & cœtus experiundo, 1025  
 Tandem deveniunt in taleis disposituras,  
 Qualibus hæc rebus consistit summa creata:  
 Et multos etiam magnos servata per annos,  
 Ut semel in motus coniecta est convenienteis,  
 Efficit, ut largis avidum mare fluminis undis 1030

Inte-



Integrent amnes, & solis terra vapore  
 Fota novet fœtus, summissaque gens animantum  
 Floreat, & vivant labentes ætheris ignes.  
 Quod nullo facerent pacto, nisi materiai  
 Ex infinito suboriri copia posset: 1035  
 Unde amissa solent reparari in tempore quoque.

Nam veluti privata cibo natura animantum  
 Diffluit amittens corpus, sic omnia debent  
 Dissolvi, simul ac defecit suppeditare  
 Materies recta regione averfa viai. 1040

Nec plagæ possent extrinsecus undique summam  
 Conservare omnem, quæcumque est conciliata.  
 Cudere enim crebro possunt, partemque morari,  
 Dum veniant aliæ, ac suppleri summa queatur;  
 Interdum resilire tamen coguntur, & una 1045  
 Principiis rerum spatium, tempusque fugai  
 Largiri, ut possint a cœtu libera ferri.

Quare etiam atque etiam suboriri multa necesse est.  
 Et tamen ut plagæ quoque possint suppetere ipsæ,  
 Infinita opus est vis undique materiai. 1050

Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,  
 In medium summæ (quod dicunt) omnia niti,  
 Atque ideo mundi naturam stare sine ullis  
 Ictibus externis, neque quoquam posse resolvi (1055  
 Summa atque ima, quod in medium sint omnia nixa,  
 (Ipsam si quidquam posse in se sistere credis:  
 Et quæ pondera sunt sub terris omnia sursum  
 Nitier, in terraque retro requiescere posta:

Ut per aquas quæ nunc rerum simulacra videmus:)  
 Et simili ratione animalia subtus vagari 1060

Contendunt, neque posse e terris in loca cæli  
 Recidere inferiora magis, quam corpora nostra  
 Sponte sua possint in cæli templa volare:  
 Illi cum videant solem, nos sidera noctis  
 Gernere, & alternis nobiscum tempora cæli 1065

Dividere, & nocteis parileis agitare, diesque.

Sed vanus stolidis hæc omnia finxerit error,  
 Amplexi quod habent perverse prima viai.  
 Nam medium nihil esse potest, ubi inane, locusque  
 Infinita: neque omnino, si jam medium sit, 1070  
 Possit ibi quidquam hac potius consistere causa,  
 Quam quavis alia longe regione manere.  
 Omnis enim locus, ac spatium, quod inane vocamus,  
 Per medium, per non medium concedat oportet  
 Æquis ponderibus, motus quacumque feruntur. 1075  
 Nec quisquam locus est, quo corpora cum venere,  
 Ponderis amissa vi possint stare in inani:  
 Nec quod inane autem est, illis subsistere debet,  
 Quin, sua quod natura petit, concedere pergat.  
 Haud igitur possunt tali ratione teneri 1080  
 Res in concilio, medii cuppedine victæ.  
 Præterea quoque jam non omnia corpora fingunt  
 In medium niti, sed terrarum, atque liquorum,  
 Humorem ponti, magnisque e montibus undas,  
 Et quasi terreno quæ corpore contineantur: 1085  
 At contra tenuis exponunt aëris auras,  
 Et calidos simul a medio differrier igneis:  
 Atque ideo totum circumtremere æthera signis,  
 Et solis flammam per cæli cærule pasci,  
 Quod calor a medio fugiens ibi colligat igneis. 1090  
 ( Quippe etiam vesci e terra mortalia sæcla:  
 Nec prorsum arboribus summos frundescere ramos  
 Possent, nisi a terris paullatim cuique cibatum  
 Terra det ) at supra circumtegere omnia cælum,  
 Ne volucrum ritu flammaram mœnia mundi 1095  
 Diffugiant subito magnum per inane soluta,  
 Et ne cetera consimili ratione sequantur:  
 Neve ruant cæli tonitralia templa superne,  
 Terraque se pedibus raptim subducatur, & omnes  
 Inter permistas terræ, cælique ruinas 1100

Corpora solventes, abeant per inane profundum,  
 Temporis ut puncto nihil existet reliquiarum,  
 Desertum præter spatium, & primordia cæca.

Nam quacumque prius de parti corpora cæsse

Constitues, hæc rebus erit pars janua leti: 1105

Hac se turba foras dabit omnia materiai.

Hæc si pernosces, parva perfunctus opella,  
 ( Namque alid ex alio clarescet ) non tibi cæca

Nox iter eripiet, quin ultima naturaï

Pervideas; ita res accendent lumina rebus. 1110

### CREECHII CENSURA.

**I**nterpretationem primi libri, & in illum notas absolvi:  
 labore meo fruatur lector, & erroribus ignoscat. Sed  
 quid ego candidos judices exposcerem, cum acrem & ini-  
 quam forsan in ipsum Lucretium censuram in animo insti-  
 tuam? Inquiram enim quid recte, quid perperam com-  
 mentus est Poëta, & ut non omnia rejiciam, sic non o-  
 mnia probabo. Qui laudem ingenii Lucretio denegavit, ar-  
 tem concessit: & quis invidabit illi istum honorem quem  
 summa malignitas agnovit? Opus igitur optime dispositum  
 asserimus: ubique nitet ordo, & ita se invicem adjuvant  
 argumenta, ut nisi in Epicuri opinionibus quædam fuisset  
 deformitas quæ nulla venustate cohonestari, quædam in-  
 firmitas quæ nullis ingenii viribus sustentari possit; pul-  
 cherrimam simul & firmissimam Philosophiam Poëta ex-  
 hibuisset.

Felicitatis non minimam partem existimat Epicurus sine  
 metu vivere, & hanc felicitatem sola naturæ cognitione  
 acquiri posse;

-- -- terrores animi tenebrasque necesse est

Non radii solis, non lucida tela diei

Discutiant, sed naturæ species, ratioque. *Lucr.*

Μὴ ἀλλό τι τέλος ἐκ τῆς περὶ μετεώρων γνώσεως, εἴτε κατὰ σιναφίαν λεγομένων, εἴτε αὐτοτελῶς, νομίζειν δεῖ εἶναι, ἢ περ ἀποραξίαν, ἢ πῖσιν βέβριον, καθ' ἅπερ ἔ' ἐπὶ ἰψῶ λοιπῶν. *Epicurus ad Pythoclem.*

*Omniū natura cognita, levamur superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa existunt horribiles sæpe formidines. Cicero l. 1. de Fin.*

*Omniem istam formidinem, quæ homines molestia afficit, Epicurus existimat oriri ex opinione de Providentia, & de Pœnis, quæ alteram necessario consequitur, post mortem futuris. Quis enim potest, cum existimet a Deo se curari, non & dies & noctes divinum Numen horrere? Vide Ciceronem in Lucullo. Ita iste insanientis Sapientie consultus Erro: contra quem si quis disputet, rem profecto ageret ridiculam. Communi enim sensu caret istius sententiae fautor, & est medico committendus. Cura benevoli principis, aut parentis, metu & tristitia liberat; nec benignos horremus. Unde igitur iste horror, cum nos a beneficentissimo & potentissimo Numine curari existimemus?*

*Absurdam hanc opinionem in primo libro proponit Lucretius, & post præparatum artificioso exordio lectorem, argumentum, quod infeliciter elegerat, exornat. Vers. 160. Nihil e nihilo fieri, & Nihil in nihilum reverti decem argumentis probare nititur. Ingeniose, fateor, invenit, copiose explicat, at rem ipsam minime attingit. Concedamus enim quodlibet e quolibet oriri non posse, certis temporibus res nasci, opus esse tempore quo crescant, & materia qua augeantur, denique certos esse ætatis viriumque terminos, & agros industria & cultura hominum fertiliores reddi; supponamus insuper nihil interire nisi vi aliqua dissolvatur, animalia quotidie nasci non posse nisi ex certis seminibus reficerentur; supponamus unam eandemque vim res cunctas dissolvere non valere, nec Naturam aliquid producere, nisi morte aliena adjuvetur: quid efficiet Lucretius?*

tius? *Semina ipsa non fuisse e nihilo producta? aut nihil Numinis nutu & Providentia fieri? Neutrum concludet; ideoque decem argumenta perierunt, licet non tam ingenii sui, quam causse vitio. V. 266. Semina sua exilia & minuta contra illos qui solis oculis credunt, egregie tuetur; & v. 330. Inane esse argumentis quatuor, quibus nemo umquam meliora protulit, evincit: quorum primo & quarto (secundum enim ac tertium non sunt ejusdem firmitatis) numquam vidi quod reponi possit.*

V. 420. *Nihil esse præter Corpus & Inane duobus argumentis confirmat, reliquaque omnia quæ alii inter res numerant, detrudit in classem Accidentium, quæ sola opinione a Corpore & Inani distinguuntur, & subsistunt. Hic vero callide supponit quod probare debuit, solum Corpus agere & pati, tangere & tangi posse; hanc enim definitionem humane Animæ, omnesque immateriales substantiæ averfantur.*

V. 484. *Seminibus suis perfectam soliditatem attribuit multis argumentis; nec repugno. At vero ideo illa dissolvi non posse nulla suadet ratio. Soliditas enim Seminum oritur ex partium quæ concipi possunt, contactu. At in omnibus concretis Corporibus datur partium contactus, æqualis saltem isti qui est inter partes Seminum, contactui: ideoque Corpora concreta essent æque indissolubilia ac ipsa Semina. Reliqua argumenta quibus suis Seminibus æternitatem adstruit, vitiosa suppositione innituntur: assumit quod probare debuit. Et cum demum ad Minimum quod vocant Mathematicum fugit v. 609. magnis difficultatibus, fateor, adversarios premit, sed ipse non minoribus tenetur.*

V. 630. *De Heraclito, Empedocle, Anaxagora, & aliis triumphos agit, & demum v. 950. Universo, quod ex Corpore & Inani constat, Infinitionem longa disputatione attribuit, ubi multa contra Stoicos in Universo Infinito Medium statuentes copiose, multa secundum Epicu-*

*ri placita ornate; sed illa falsis suppositionibus subnixa corruunt. Deinde Antipodas exiorres agit, quos in veteres sedes olim restituit sanior Philosophia, & experientia. Utcumque tamen suis argumentis adblanditur hominum imaginationi, quæ in Infinitum deferri amat, nec umquam spatium fixit terminos, nec figere audebit.*




## LIBRI SECUNDI

## ARGUMENTUM.

**A**D studium Philosophiæ, quæ sola lenire curas, & animum metu liberare potest, Memmium suum a v. 1. ad v. 61. Lucretius hortatur. Inde II. de Seminum seu Atomorum affectionibus disputat, quarum prima est Motus. Moveri Semina ex rerum generatione demonstratur. Motus vero hic est deorsum; omnia enim Semina sunt gravia; cum autem concurrant Semina solida, necesse est quoquo versum a se invicem dissiliant. Ita quædam Semina aliis implicantur: quæ arctius junguntur, res duras & densas constituunt; quæ laxius, res molles & raras. Quædam autem Semina numquam coalescunt; sed, uti ramenta pulveris in radiis Solis videmus, perpetuo motu per Inane feruntur, & alia corpora subinde percutiunt & agitant, ad v. 140. III. Celeritatem motus Seminum deorsum tendentium explicat ad v. 166. IV. Inde pro more suo quædam scommata contra illos qui Providentiam agnoscunt, intexit ad v. 182. V. Tum argumentum repetit, asseritque omnia Corpora deorsum tendere ad v. 215. VI. Deinde Semina deorsum tendentia a recta linea paullulum declinare; nisi enim declinarent Semina, nihil umquam, saltem nullum liberum agens, oriretur, ad v. 293. VII. Demum docet eodem motu Semina jam ferri quo ab æterno ferebantur, nec quemquam huic opinioni diffidere debere, quia motus non videt, cum ipsa Semina percipi non possunt, ad v. 332. Secunda Seminum affectio est Figura: docet autem VIII. Semina non esse ejusdem figure, quædam vero rotunda, quædam quadrata, quædam levia, & alia aspera, hamata, &c. fuseque ostendit quæ Figure amara, quæ dulcia, quæ dura, quæ mollia corpora componant, ad v. 476. IX. Hanc Figurarum varietatem non esse infinitam, Se-

mina tamen ejusdem Figure infinita ; videlicet rotunda infinita , quadrata infinita , &c. ad v. 580. X. Demum ostendit res non componi e Seminibus ejusdem figure , & variis argumentis probat Concreta omnia , Semina variarum figurarum continere ad v. 728. XI. Deinde docet Semina nullas habere qualitates , quas sensibiles vocamus , colorem videlicet , saporem , frigus , calorem &c. Item sensu non donari , quamvis res coloratæ , sapidæ , calidæ , frigidæ , & sensibiles ex iis componantur , ad v. 1201. XII. Demum Infinita Semina per Infinitum Inane voluntaria Infinitos Mundos constituere , eosque Mundos augeri aliquando a Seminibus ex Infinito delapsis , aliquando etiam avolantibus in Infinitum Seminibus diminui & dissolvi , ut plantæ , & animalia nascuntur , adolescunt , senescunt , & demum intereunt .







T I T I

LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBER SECUNDUS.



SUA VE, mari magno turban-  
 tibus æquora ventis,  
 E terra magnum alterius specta-  
 re laborem;  
 Non quia vexari quemquam est  
 jucunda voluptas,  
 Sed, quibus ipse malis careas,  
 quia cernere suave est.

Suave etiam belli certamina magna tueri 5  
 Per campos instructa, tua sine parte pericli;  
 Sed nil dulcius est, bene quam munita tenere  
 Edita doctrina sapientum templa serena;  
 Despicere unde queas alios, passimque videre  
 Errare, atque viam palanteis quærere vitæ; 10  
 Certare ingenio; contendere nobilitate;  
 Nocteis atque dies niti præstante labore  
 Ad summas emergere opes, rerumque potiri.

O miseras hominum menteis! o pectora cæca!  
 Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis 15  
 Degi-

Degitur hoc ævi, quodcumque est! nonne videre  
 Nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, cum  
 Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur  
 Jucundo sensu, cura semota, metuque?

Ergo corpoream ad naturam pauca videmus 20  
 Esse opus omnino, quæ demant quemque dolorem,  
 Delicias quoque uti multas substernere possint;  
 Gratius interdum neque natura ipsa requirit.  
 Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædeis  
 Lampadas igniferas manibus retinentia dextris, 25  
 Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur;  
 Nec domus argento fulget, auroque renidet;  
 Nec citharis reboant laqueata aurataque templa:  
 Attamen inter se prostrati in gramine molli  
 Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ, 30  
 Non magnis opibus jucunde corpora curant;  
 Præsertim cum tempestas arridet, & anni  
 Tempora conspergunt viridanteis floribus herbas.  
 Nec calidæ citius decedunt corpore febres,  
 Textilibus si in picturis, ostroque rubenti 35  
 Jactaris, quam si plebeja in veste cubandum est.

Quapropter quoniam nil nostro in corpore gazæ  
 Proficiunt, neque nobilitas, neque gloria regni:  
 Quod superest, animo quoque nil prodesse putandum.  
 Si non forte tuas legiones per loca campi 40  
 Fervere cum videas belli simulacra cientis;  
 Fervere cum videas classem, lateque vagari;  
 His tibi tum rebus timefactæ religiones  
 Effugiunt animo pavidæ, mortisque timores:  
 Tum vacuum pectus linquunt, curaque solutum. 45

Quod si ridicula hæc, ludibriaque esse videmus,  
 Re veraque metus hominum, curæque sequaces,  
 Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela:  
 Audacterque inter reges, rerumque potentis  
 Versantur, neque fulgorem reverentur ab auro, 50

Nec

Nec clarum vestis splendorem purpureâi:

Quid dubitas, quin omne sit hoc rationis egestas,  
Omnis cum in tenebris præsertim vita laboret?

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis

In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus 55

Interdum nihilo quæ sunt metuenda magis, quam

Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.

Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse est

Non radii solis, neque lucida tela diei

Discutiant, sed naturæ species, ratioque. 60

Nunc age, quo motu genitalia materiai

Corpora res varias gignant, genitasque resolvant;

Et qua vi facere id cogantur; quæve sit ollis

Reddita mobilitas magnum per inane meandi,

Expediam: tu te dictis præbere memento. 65

Nam certe non inter se stipata cohæret

Materies, quoniam minui rem quamque videmus;

Et quasi longinquo fluere omnia cernimus ævo,

Ex oculisque vetustatem subducere nostris:

Cum tamen incolumis videatur summa manere. 70

Propterea quia, quæ decedunt corpora cuique,

Unde abeunt, minuunt: quo venire, augmine donant:

Illa senescere, at hæc contra florescere cogunt.

Nec remorantur ibi: sic rerum summa novatur

Semper, & inter se mortales mutua vivunt. 75

Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur:

Inque brevi spatio mutantur sæcla animantium;

Et, quasi cursores, vitæ lampada tradunt.

Si cessare putas rerum primordia posse,

Cessandoque novos rerum progignere motus: 80

Avius a vera longe ratione vagaris.

Nam, quoniam per inane vagantur, cuncta necesse est

Aut gravitate sui ferri primordia rerum,

Aut ictu forte alterius: nam cita superne

Obvia cum fluxere, fit, ut diversa repente 85

Diffi-

Diffiliant: neque enim mirum, durissima quæ sint,  
Ponderibus solidis: neque quidquam a tergis obster.

Et quo jactari magis omnia materiai

Corpora pervideas, reminiscere totius imum  
Nil esse in summa, neque habere ubi corpora prima 90  
Consistant: quoniam spatium sine fine, modoque est.  
Immensumque patere in cunctas undique parteis,  
Pluribus ostendi, & certa ratione probatum est.

Quod quoniam constat, nimirum nulla quies est  
Reddita corporibus primis per inane profundum: 95

Sed magis assiduo, varioque exercita motu,  
Partim intervallis magnis conflicta resultant:

Pars etiam brevibus spatiis nexantur ab ictu.

Et quæcumque magis condense conciliatu,

Exiguis intervallis connexa resultant, 100

Endopedita suis perplexis ipsa figuris;

Hæc validas saxi radices, & fera ferri

Corpora constituunt, & cetera de genere horum

Paucula: Quæ porro magnum per inane vagantur,

Et cita diffiliunt longe, longeque recurfant 105

In magnis intervallis; hæc aëra rarum

Sufficiunt nobis, & splendida lumina solis.

Multaque præterea magnum per inane vagantur,

Conciliis rerum quæ sunt rejecta, nec usquam

Consociare etiam motus potuere recepta: 110

Cujus, uti memoro, reii simulacrum, & imago

Ante oculos semper nobis versatur, & instat.

Contemplator enim, cum solis lumina cumque

Infertim fundunt radios per opaca domorum:

Multa minuta modis multis per inane videbis 115

Corpora misceri radiorum lumine in ipso:

Et velut æterno certamine prælia, pugnasque

Edere turmatim certantia, nec dare pausam,

Conciliis, & discidiis exercita crebris:

Conjicere ut possis ex hoc, primordia rerum, 120

Quale sit, in magno jactari semper inani.

Dumtaxat rerum magnarum parva potest res  
Exemplare dare, & vestigia notitiaï.

Hoc etiam magis hæc animum te advertere par est  
Corpora, quæ in solis radiis turbare videntur: 125

Quod tales turbæ motus quoque materiaï  
Significant clandestinos, cæcosque subesse.

Multa videbis enim plagis ibi percita cæcis  
Commutare viam, retroque repulsa reverti

Nunc huc, nunc illuc, in cunctas denique parteis. 130  
Scilicet hic a principiis est omnibus error.

Prima moventur enim per se primordia rerum:

Inde ea, quæ parvo sunt corpora conciliatu,

Et quasi proxima sunt ad vireis principiorum,

lætibis illorum cæcis impulsa cientur; 135

Ipsaque, quæ porro paullo majora, laceffunt.

Sic a principiis ascendit motus, & exit

Paullatim nostros ad sensus; ut moveantur

Illa quoque, in solis quæ lumine cernere quimus:

Nec quibus id faciant plagis apparet aperte. 140

Nunc, quæ mobilitas sit reddita materiaï

Corporibus, paucis licet hinc cognoscere, Memmi.

Primum Aurora novo cum spargit lumine terras,

Et variæ volucres nemora avia pervolitantes

Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent: 145

Quam subito soleat sol ortus tempore tali

Convectire sua perfundens omnia luce,

Omnibus in promptu, manifestumque esse videmus.

At vapor is, quem sol mittit, lumenque serenum,

Non per inane meat vacuum; quo tardius ire 150

Cogitur, aërias quasi cum diverberet undas:

Nec singillatim corpuscula quæque vaporis,

Sed complexa meant inter se, conque globata:

Quapropter simul inter se retrahuntur, & extra

Officiuntur, uti cogantur tardius ire. 155

At,

At, quæ sunt solida primordia simplicitate,  
 Cum per inane meant vacuum, nec res remoratur  
 Ulla foris; atque ipsa suis e partibus unum,  
 Unum in quem cœpere locum, connixa feruntur:  
 Debent nimirum præcellere mobilitate; 160  
 Et multo citius ferri, quam lumina solis,  
 Multiplexque loci spatium transcurrere eodem  
 Tempore, quo solis pervolgant fulgura cælum:  
 Nam neque consilio debent tardata morari;  
 Nec perscrutari primordia singula quæque, 165  
 Ut videant, qua quidque geratur cum ratione.

At quidam contra hæc ignari, materiai  
 Naturam non posse deum sine numine rentur  
 Tantopere humanis rationibus, ac moderatis,  
 Tempora mutare annorum, frugesque creare: 170  
 Nec jam cetera, mortaleis quæ suadet adire,  
 Ipsaque deducit dux vitæ dia voluptas;  
 Ut res per veneris blanditum sæcla propagent;  
 Ne genus occidat humanum: quorum omnia causa  
 Constituisse deos fingunt: sed in omnibus rebus 175  
 Magnopere a vera lapsi ratione videntur.  
 Nam quamvis rerum ignorem primordia quæ sint,  
 Hoc tamen ex ipsis cæli rationibus ausim  
 Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis;  
 Nequaquam nobis divinitus esse creatam 180  
 Naturam mundi, quæ tanta est prædita culpa:  
 Quæ tibi posterius, Memmi, faciemus aperta.  
 Nunc id quod superest de motibus expediemus.

Nunc locus est, ut opinor, in his illud quoque rebus  
 Confirmare tibi, nullam rem posse sua vi 185  
 Corpoream sursum ferri, sursumque meare.  
 Ne tibi dent in eo flammaram corpora fraudem;  
 Surfus enim vorsus gignuntur, & augmina sumunt:  
 Et sursum nitidæ fruges, arbustaque crescunt: ( 190  
 Pondera, quantum in se est, cū deorsum cuncta ferantur.  
 Nec

Nec cum subsiliunt ignes ad tecta domorum,  
 Et celeri flamma degustant tigna, trabeisque;  
 Sponte sua facere id sine vi subigente putandum est.  
 Quod genus, e nostro cum missus corpore sanguis  
 Emicat exultans alte, spargitque cruorem. 195

Nonne vides etiam, quanta vi tigna, trabeisque  
 Respuat humor aquæ? nam quam magis merfimus altum  
 Directa, & magna vi multi pressimus ægre;

Tam cupide sursum revomit magis, atque remittit,  
 Plus ut parte foras emergant, exsulantque. 200

Nec tamen hæc, quantum est in se, dubitamus, opinor,  
 Quin vacuum per inane deorsum cuncta ferantur.

Sic igitur debent flammæ quoque posse per auras  
 Aëris expressæ sursum succedere; quamquam ( 205  
 Pondera, quantum in se est, deorsum deducere pugnent.

Nocturnasque faces cæli sublimi volanteis,  
 Nonne vides longos flammaram ducere tractus,  
 In quascumque dedit parteis natura meatum?  
 Non cadere in terram stellas, & sidera cernis?

Sol etiam summo de vertice dissipat omnis 210  
 Ardorem in parteis, & lumine conferit arva:

In terras igitur quoque solis vergitur ardor.  
 Transversosque volare per imbres fulmina cernis:

Nunc hinc, nunc illinc abrupti nubibus ignes  
 Concurfant, cadit in terras vis flammea volgo. 215

Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus:  
 Corpora cum deorsum rectum per inane feruntur,  
 Ponderibus propriis, incerto tempore ferme,  
 Incertisque locis, spatio decedere paullum;  
 Tantum quod momen mutatum dicere possis. 220

Quod nisi declinare solerent, omnia deorsum,  
 Imbris uti guttæ, caderent per inane profundum:

Nec foret offensus natus, nec plaga creata  
 Principiis: ita nil umquam natura creasset.

Quod si forte aliquis credit graviora potesse 225

Corpora, quo citius rectum per inane feruntur,  
 Incidere e supero levioribus, atque ita plagas  
 Gignere, quæ possint genitaleis reddere motus:  
 Avius a vera longe ratione recedit. ( 230

Nam per aquas quæcumque cadunt, atque aëra deorsum,  
 Hæc pro ponderibus casus celerare necesse est:  
 Propterea, quia corpus aquæ, naturaque tenuis  
 Aëris haud possunt æque rem quamque morari:  
 Sed citius cedunt gravioribus exsuperata.

At contra nulli de nulla parte, neque ullo 235  
 Tempore, inane potest vacuum subsistere reii,  
 Quin, sua quod natura petit, concedere pergat.  
 Omnia quapropter debent per inane quietum  
 Æque ponderibus non æquis concita ferri.

Haud igitur poterunt levioribus incidere umquam 240  
 Ex supero graviora; neque ictus gignere per se,  
 Qui variant motus, per quos natura genat res.

Quare etiam atque etiam paullum clinare necesse est  
 Corpora, nec plusquam minimum: ne fingere motus  
 Obliquos videamur, & id res vera refutet. 245

Namque hoc in promptu, manifestumque esse videmus;  
 Pondera, quantum in se est, non posse obliqua meare,  
 Ex supero cum præcipitant: quod cernere possis.

Sed nihil omnino recta regione viai  
 Declinare, quis est, qui possit cernere sese? 250

Denique si semper motus connectitur omnis,  
 Et vetere exoritur semper novus ordine certo;  
 Nec declinando faciunt primordia motus  
 Principium quoddam, quod fati fœdera rumpat;  
 Ex infinito ne causam causa sequatur: 255  
 Libera per terras unde hæc animantibus exstat,  
 Unde est hæc (inquam) fati avolsa voluntas,  
 Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas?  
 Declinamus item motus, nec tempore certo,  
 Nec regione loci certa, sed ubi ipsa tulit mens. 260

Nam



Nam dubio procul his rebus sua cuique voluntas  
Principium dat; & hinc motus per membra rigantur.

Nonne vides etiam patefactis tempore puncto

Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum  
Vim cupidam tam desubito, quam mens avet ipsa? 265

Omnis enim totum per corpus materiai

Copia conquiri debet, concita per artus.

Omneis, ut studium mentis connexa sequatur.

Ut videas initium motus a corde creari;

Ex animique voluntate id procedere primum: 270

Inde dari porro per totum corpus, & artus.

Nec simile est, ut cum impulsi procedimus ictu,

Viribus alterius magnis, magnoque coactu;

Nam tum materiem totius corporis omnem

Perspicuum est, nobis invitis, ire, rapique, 275

Donicum eam refrenavit per membra voluntas.

Jamne vides igitur, quamquam vis externa multos

Pellit, & invitos cogit procedere sæpe,

Præcipiteisque rapit, tamen esse in pectore nostro

Quiddam, quod contra pugnare, obstareque possit; 280

Cujus ad arbitrium quoque copia materiai

Cogitur interdum flecti per membra, per artus;

Et projecta refrenatur, retroque residit?

Quare in feminibus quoque idem fateare necesse est,

Esse aliam præter plagas, & pondera causam 285

Motibus, unde hæc est nobis innata potestas:

De nihilo quoniam fieri nil posse videmus.

Pondus enim prohibet ne plagis omnia fiant,

Externa quasi vi: sed ne mens ipsa necessum

Intestinum habeat cunctis in rebus agendis; 290

Et devicta quasi cogatur ferre, patique;

Id facit exiguum clinamen principiorum,

Nec regione loci certa, nec tempore certo.

Nec stipata magis fuit umquam materiai.


Copia; nec porro majoribus intervallis. 295

D

Nam

Nam neque adaugefcit quidquam, neque deperit inde.  
 Quapropter quo nunc in motu principiorum  
 Corpora funt, in eodem anteaéta ætate fuere;  
 Et poſthac ſemper ſimili ratione ferentur:  
 Et quæ conſuerunt gigni, gignentur eadem 300  
 Conditione; & erunt, & creſcent, inque valebunt,  
 Quantum cuique datum eſt per fœdera naturai.  
 Nec rerum ſummam commutare ulla poteſt vis.  
 Nam neque quo poſſit genus ullum materiai (305  
 Effugere ex Omni, quidquam eſt: neque rurfus, in Omne  
 Unde coorta queat nova vis irrupere; & omnem  
 Naturam rerum mutare, & vertere motus.

Illud in his rebus non eſt mirabile, quare,  
 Omnia cum rerum primordia ſint in motu,  
 Summa tamen ſumma videatur ſtare quiete; 310  
 Præterquam ſi quid proprio dat corpore motus.  
 Omnis enim longe noſtris ab ſenſibus infra  
 Primorum natura jacet: quapropter ubi illa  
 Cernere jam nequeas, motus quoque ſurpere debent:  
 Præſertim cum, quæ poſſimus cernere, celent 315  
 Sæpe tamen motus, ſpatio diducta locoram.  
 Nam sæpe in colli tondentes pabula læta  
 Lanigeræ reptant pecudes, quo quamque vocantes  
 Invitant herbæ gemmantès rore recenti:  
 Et fatiati agni ludunt, blandeque conſcant: 320  
 Omnia quæ nobis longe confuſa videntur;  
 Et veluti in viridi candor conſiſtere colli.  
 Præterea magnæ legiones cum loca curſu  
 Camporum complent, belli ſimulacra cientes;  
 Et circumvolitant equites, mediosque repente 325  
 Transmittunt valido quatièntes impete campos;  
 Fulgur ibi ad cælum ſe tollit; totaque circum  
 Ære renideſcit tellus; ſubterque virum vi  
 Excitur pedibus ſonitus; clamoreque montes  
 Iſti rejectant voces ad ſidera mundi: 330



Et tamen est quidam locus altis montibus, unde  
Stare videtur, & in campis consistere fulgur.

Nunc age jam deinceps cunctarum exordia rerum,  
Qualia sint, & quam longe distantia formis,  
Percipe, multigenis quam sint variata figuris: 335  
Non quod multa parum simili sint prædita forma,  
Sed quia non volgo paria omnibus omnia constant.  
Nec mirum: nam cum sit eorum copia tanta,  
Ut neque finis, uti docui, neque summa sit ulla:  
Debent nimirum non omnibus omnia prorsum 340  
Esse pari filo, similique affecta figura.

Præterea genus humanum, mutæque natantes  
Squamigerum pecudes, & læta armenta, feræque,  
Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum  
Concelebrant, circum ripas, fonteisque, lacusque; 345  
Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes:  
Horum unum quodvis generatim sumere perge:  
Invenies tamen inter se distare figuris.

Nec ratione alia proles cognoscere matrem,  
Nec mater posset prolem; quod posse videmus, 350  
Nec minus atque homines inter se nota cluere.

Nam sæpe ante deum vitulus delubra decora  
Turicremas propter mactatus concidit aras,  
Sanguinis exspirans calidum de pectore flumen:  
At mater virideis saltus orbata peragrans, 355

Linqvit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,  
Omnia convivens oculis loca, si queat usquam  
Conspicere amissum fœtum; completque querelis  
Frundiferum nemus adhistens; & crebra revisit  
Ad stabulum, desiderio perfixa juvenci: 360

Nec teneræ salices, atque herbæ rore vigentes,  
Fluminaque ulla queunt summis labentia ripis  
Oblectare animum, subitamque avertere curam:  
Nec vitulorum aliæ species per pabula læta  
Derivare queunt alio, curaque levare: 365

Usque adeo quiddam proprium, notumque requirit.  
 Præterea teneri tremulis cum vocibus hædi  
 Cornigeras norunt matres, agnique petulci  
 Balatum pecudes: ita, quod natura reposcit,  
 Ad sua quisque fere decurrunt ubera lactis. 370

Postremo quodvis frumentum, non tamen omne  
 Quodque suo in genere inter se simile esse videbis,  
 Quin intercurrat quædam distantia formis.  
 Concharumque genus parili ratione videmus  
 Pingere telluris gremium, qua mollibus undis 375  
 Litoris incurvi bibulam pavit æquor arenam.  
 Quare etiam atque etiam simili ratione necesse est,  
 Natura quoniam constant, neque facta manu sunt,  
 Unius ad certam formam primordia rerum,  
 Dissimili inter se quædam volitare figura. 380

Perfacile est jam animi ratione exsolvere nobis,  
 Quare fulmineus multo penetratior ignis,  
 Quam noster fluat e tædis terrestribus ortus.  
 Dicere enim possis cælestem fulminis ignem  
 Subtilem magis e parvis constare figuris: 385  
 Atque ideo transire foramina, quæ nequit ignis  
 Noster hic e lignis ortus, tædaque creatus.

Præterea lumen per cornu transit; at imber  
 Respuitur: quare? nisi luminis illa minora (390  
 Corpora sunt, quam de quibus est liquor almus aquarû.

Et quamvis subito per colum vina videmus  
 Perfluere; at contra tardum cunctatur olivum:  
 Aut quia nimirum majoribus est elementis;  
 Aut magis hamatis inter se, perque plicatis.  
 Atque ideo fit, uti non tam deducta repente 395  
 Inter se possint primordia singula quæque  
 Singula per cujusque foramina permanare.

Huc accedit, uti mellis lactisque liquores  
 Jucundo sensu linguæ tractentur in ore:  
 At contra tætra absinthii natura, ferique 400

Centauri, fædo pertorquent ora sapore:

Ut facile agnoscas e lævibus, atque rotundis

Esse ea, quæ sensus jucunde tangere possunt:

At contra quæ amara, atque aspera cumque videntur,

Hæc magis hamatis inter se nexa teneri; 405

Proptereaque solere vias rescindere nostris

Sensibus, introituque suo perrumpere corpus.

Omnia postremo bona sensibus, & mala tactu,

Dissimili inter se pugnant perfecta figura:

Ne tu forte putes ferræ stridentis acerbum 410

Horrorem constare elementis lævibus æque,

Ac musæa mele, per chordas organici quæ

Mobilibus digitis expergefacta figurant.

Neu simili penetrare putes primordia forma

In nareis hominum, cum tætra cadavera torrent, 415

Et cum scena croco Cilici perfusa recens est,

Araque Panchæos exhalat propter odores.

Neve bonos rerum simili constare colores

Semine constituas, oculos qui pascere possunt;

Et qui compungunt aciem, lacrimareque cogunt; 420

Aut fœda specie tætri, turpesque videntur.

Omnis enim, sensus quæ mulcet caussa, juvatque,

Haud sine principali aliquo lævore creata est:

At contra, quæcumque molesta, atque aspera constat,

Non aliquo sine materiæ squalore reperta est. 425

Sunt etiam quæ jam nec lævia jure putantur

Esse, neque omnino flexis mucronibus unca;

Sed magis angululis paululum prostantibus; & quæ

Titillare magis sensus, quam lædere possunt:

Fæcula jam quo de genere est, inulæque sapes. 430

Denique jam calidos igneis, gelidamque pruinam,

Dissimili dentata modo compungere sensus

Corporis, indicio nobis est tactus uterque.

Tactus enim, tactus (pro divum numina sancta!)

Corporis est sensus, vel cum res externa sese 435

Insinuat; vel cum lædit, quæ in corpore nata est;  
 Aut juvat egrediens genitales per Veneris res;  
 Aut ex offensus cum turbant corpore in ipso  
 Semina, confunduntque inter se concita sensum:  
 Ut si forte manu quamvis jam corporis ipse 440  
 Tute tibi partem ferias, æque experiare.  
 Quapropter longe formas distare necesse est  
 Principiis, varios quæ possint edere sensus.

Denique, quæ nobis durata ac spissa videntur,  
 Hæc magis hamatis inter sese esse necesse est, 445  
 Et quasi ramosis alte compacta teneri.  
 In quo jam genere in primis adamantina saxa,  
 Prima acie constant, ictus contemnere sueta;  
 Et validi filices, ac duri roborata ferri,  
 Æraque quæ claustris restantia vociferantur. 450

Illa autem debent ex lævibus atque rotundis  
 Esse magis, fluido quæ corpore liquida constant.  
 Nec retinentur enim inter se glomeramina quæque;  
 Et procurfus item in proclive volubilis exstat.

Omnia postremo, quæ puncto tempore cernis 455  
 Diffugere, ut fumum, nebulas, flammæque, necesse est,  
 Si minus omnibus sunt e lævibus atque rotundis,  
 At non esse tamen perplexis endopedita,  
 Pungere uti possint corpus, penetrareque saxa:  
 Nec tamen hæere inter se, quod quisque videmus 460  
 Sentibus esse datum: facile ut cognoscere possis  
 Non e perplexis, sed acutis esse elementis.

Sed quod amara vides eadem, quæ fluvida constant,  
 Sudor uti maris est, minime id mirabile habendum.  
 Nam quod fluvidum est, e lævibus atque rotundis 465  
 Est: at lævibus atque rotundis mista doloris  
 Corpora; nec tamen hæc retineri hamata necessum:  
 Scilicet esse globosa, tamen cum squalida constant;  
 Provolvi simul ut possint, & lædere sensus.

Et quo mista putes magis aspera lævibus esse 470  
 Prin-

Principiis, unde est Neptuni corpus acerbum;  
 Est ratio secernendi, seorsumque videndi.  
 Humor dulcit, ubi per terras crebrius idem  
 Percolatur, ut in foveam fluat, ac mansuescat.  
 Linqvit enim supra tætri primordia viri 475  
 Aspera, quo magis in terris hærescere possunt.

Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ  
 Ex hoc apta fidem ducit: primordia rerum

Finita variare figurarum ratione.  
 Quod si non ita sit, rursus jam semina quædam 480  
 Esse infinito debebunt corporis auctu.

Namque in eadem una cujuscuq; brevitate  
 Corporis, inter se multum variare figuræ  
 Non possunt. Fac enim minimis e partibus esse  
 Corpora prima: tribus, vel paullo pluribus auge: 485

Nempe ubi eas parteis unius corporis omneis,  
 Summa atque ima locans, transmutans dextera lævis,  
 Omnimodis expertus eris, quam quisque det ordo  
 Formæ speciem totius corporis ejus;

Quod superest, si forte voles variare figuras, 490  
 Addendum parteis alias erit; inde sequetur

Adsimili ratione, alias ut postulet ordo,  
 Si tu forte voles etiam variare figuras.

Ergo formæ novitatem corporis augmen  
 Subsequitur: quare non est ut credere possis, 495

Esse infinitis distantia semina formis:

Ne quædam cogas immani maximitate  
 Esse; supra quod jam docui non posse probari.

Jam tibi barbaricæ vestes, Melibæaque fulgens  
 Purpura, Thessalico concharum tincta colore, & 500

Aurea pavonum ridenti imbuta lepore  
 Sæcla, novo rerum superata colore jacerent:  
 Et contemptus odor myrrhæ, mellisque saporis;

Et cycnea mele, Phœbeaque dædala chordis  
 Carmina, consimili ratione oppressa silerent. 505

Namque aliis aliud præstantius exoreretur.

Cedere item retro possent in deteriores

Omnia sic parteis; ut diximus in meliores:

Namque aliis aliud retro quoque tætrius esset

Naribus, auribus, atque oculis, orisque saporis. 510

Quæ quoniam non sunt in rebus reddita, certa &

Finis utrimque tenet summam: fateare necesse est

Materiam quoque finitis differre figuris.

Denique, ab ignibus ad gelidas hiemisque pruinas

Finitum est, retroque pari ratione remensum est. 515

Finit enim calor, ac frigus; mediique tepores

Inter utrumque jacent, explentes ordine summam.

Ergo finita distant ratione creata;

Ancipiti quoniam mucrone utrimque notantur,

Hinc flammis, illinc rigidis infessa pruinis. 520

Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ

Ex hoc apta fidem ducit: primordia rerum,

Inter se simili quæ sunt perfecta figura,

Infinita cluere: etenim distantia cum sit

Formarum finita, necesse est, quæ similes sint, 525

Esse infinitas: aut summam materiai

Finitam constare: id quod non esse probavi.

Quod quoniam docui, nunc suaviloquis, age, paucis

Versibus ostendam, corpuscula materiai

Ex infinito summam rerum usque tenere, 530

Undique protelo plagarum continuato.

Nam quod rara vides magis esse animalia quædam,

Fœcundamque minus naturam cernis in illis;

At regione, locoque alio, terrisque remotis,

Multa licet genere esse in eo, numerumque repleti. 535

Sicuti quadrupedum cum primis esse videmus

In genere anguimanos elephantos, India quorum

Millibus e multis vallo munitur eburno,

Ut penitus nequeat penetrari; tanta ferarum

Vis est, quarum nos perpauca exempla videmus. 540

Sed



Sed tamen id quoque uti concedam, quamlibet esto  
 Unica res quædam, nativo corpore sola,  
 Cui similis toto terrarum non sit in orbe:  
 Infinita tamen nisi erit vis materiai,  
 Unde ea progigni possit concepta; creari 545  
 Non poterit: neque, quod superest, procreescere, alicue.  
 Quippe etenim sumant oculi, finita per Omne  
 Corpora jactari unius genitalia reii;  
 Unde, ubi, qua vi, & quo pacto congressa coibunt  
 Materiae tanto in pelago, turbaque aliena? 550  
 Non ( ut opinor ) habent rationem conciliandi:  
 Sed quasi, naufragiis magnis multisque coortis,  
 Dissectare solet magnum mare transra, gubernas,  
 Antennas, proram, malos, tonsasque natanteis;  
 Per terrarum omneis oras fluitantia aplustra 555  
 Ut videantur; & indicium mortalibus edant,  
 Infidi maris insidias, vtreisque, dolunque  
 Ut vitare velint; neve ullo tempore credant,  
 Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.  
 Sic tibi si finita semel primordia quædam 560  
 Constitues, ævum debebunt sparsa per omne  
 Dissectare æstus diversi materiai:  
 Numquam in concilium ut possint compulsas coire;  
 Nec remorari in concilio; nec crescere adaucta.  
 Quorum utrumque palam fieri manifesta docet res; 565  
 Et res progigni; & genitas procreescere posse.  
 Esse igitur genere in quovis primordia rerum  
 Infinita palam est, unde omnia suppeditantur.  
 Nec superare queunt motus utique exitiales  
 Perpetuo, neque in æternum sepelire salutem: 570  
 Nec porro rerum genitales, auctificique  
 Motus perpetuo possunt servare creata.  
 Sic æquo geritur certamine principiorum  
 Ex infinito contractum tempore bellum:  
 Nunc hic, nunc illic superant vitalia rerum; 575  
 Et

Et superantur item: miscetur funere vago,  
 Quem pueri tollunt visentes luminis oras.  
 Nec nox ulla diem, neque noctem Aurora secuta est,  
 Quæ non audierit mistos vagitibus ægris  
 Ploratus, mortis comites, & funeris atri. 580

Illud in his obsignatum quoque rebus habere  
 Convenit, & memori mandatum mente tenere:  
 Nil esse, in promptu quorum natura tenetur,  
 Quod genere ex uno consistat principiorum:  
 Nec quidquam, quod non permisto semine constet. 585  
 Et quam quidque magis multas vis possidet in se,  
 Atque potestates, ita pluria principiorum  
 In sese genera, ac varias docet esse figuras.

Principio, tellus habet in se corpora prima,  
 Unde mare immensum volventes flumina fontes 590  
 Assidue renovent: habet, ignes unde oriantur:  
 Nam multis succensa locis ardent sola terræ;  
 Eximiis vero furit ignibus impetus Ætnæ.  
 Tum porro nitidas fruges, arbustaque læta  
 Gentibus humanis habet unde extollere possit: 595  
 Unde etiam fluidas frondeis, & pabula læta  
 Montivago generi possit præbere ferarum.

Quare magna deum mater, materque ferarum,  
 Et nostri genetrix hæc dicta est corporis una.  
 Hanc veteres Grajum docti cecinere poëtæ 600  
 Sublimem in curru bijugos agitare leones:  
 Aëris in spatio magnam pendere docentes  
 Tellurem; neque posse in terra sistere terram.  
 Adjungere feras, quia quamvis effera proles  
 Officiis debet molliri victa parentum. 605  
 Muralique caput summum cinxere corona;  
 Eximiis munita locis quod sustinet urbeis.  
 Quo nunc insigni per magnas prædita terras  
 Horrifice fertur divinæ matris imago.

Hanc variæ gentes, antiquo more sacrorum, 610  
 Idæam

Idæam vocitant matrem, Phrygiasque catervas  
 Dant comites; quia primum ex illis finibus edunt  
 Per terrarum orbem fruges cœpisse creati.  
 Gallos attribuunt, quia numen qui violarint  
 Matris, & ingrati genitoribus inventi sint, 615  
 Significare volunt indignos esse putandos,  
 Vivam progeniem qui in oras luminis edant.  
 Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum  
 Concava; raucifonoque minantur cornua cantu;  
 Et Phrygio stimulat numero cava tibia menteis, 620  
 Telaque præportant violenti signa furoris;  
 Ingratos animos, atque impia pectora volgi  
 Conterrere metu quæ possint numine divæ.

Ergo cum primum magnas invec̄ta per urbeis  
 Munificat tacita mortaleis muta salute: 625  
 Ære atque argento sternunt iter omne viarum,  
 Largifica stipe ditantes; ninguntque rosarum  
 Floribus, umbrantes matrem, comitumque catervas.  
 Hic armata manus (Curetas nomine Graji  
 Quos memorant Phrygios) inter se forte catenas 630  
 Ludunt, in numerumque exsultant, sanguine læti, &  
 Terrificas caputū quatientes numine cristas:  
 Dictæos referunt Curetas: qui Jovis illum  
 Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur;  
 Cum pueri circum puerum pernice chorea 635  
 Armati in numerum pulsarent æribus æra,  
 Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,  
 Æternumque daret matri sub pectore volnus.  
 Propterea magnam armati matrem comitantur:  
 Aut quia significant divam prædicere, ut armis, 640  
 Ac virtute velint patriam defendere terram;  
 Præsidioque parent, decorique parentibus esse.

Quæ bene, & eximie quavis disposita ferantur,  
 Longe sunt tamen a vera ratione repulsa.

Omnis enim per se divum natura necesse est 645

Immortali ævo, summa cum pace fruatur,  
 Semota a nostris rebus, sejunctaque longe.  
 Nam privata dolore omni, privata periclis,  
 Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,  
 Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira. 650

Terra quidem vero caret omni tempore sensu:  
 Sed quia multarum potitur primordia rerum,  
 Multa modis multis effert in lumina solis.  
 Hic si quis mare Neptunum, Cereremque vocare  
 Constituet fruges, & Bacchi nomine abuti 655  
 Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen:  
 Concedamus ut hic terrarum dicat orbem  
 Esse deum matrem, dum re non sit tamen apse.

Sæpe itaque ex uno tondentes gramina campo  
 Lanigeræ pecudes, & equorum duellica proles, 660  
 Buceriarque greges, sub eodem tegmine cæli,  
 Ex unoque sitim sedantes flumine aquai,  
 Dissimili vivunt specie; retinentque parentum  
 Naturam; & mores generatim quæque imitantur:  
 Tanta est in quovis genere herbæ materiai 665  
 Dissimilis ratio: tanta est in flumine quoque.

Jam vero quamvis animantem ex omnibus unam  
 Ossa, cruor, venæ, calor, humor, viscera, nervi  
 Constituunt; quæ sunt porro distantia longe  
 Dissimili perfecta figura principiorum. 670

Tum porro quæcumque igni flammata cremantur;  
 Si nil præterea, tamen ex se ea corpora tradunt,  
 Unde ignem jacere, & lumen summittere possint;  
 Scintillasque agere, ac late differre favillam.  
 Cetera consimili mentis ratione peragrans 675  
 Invenies intus multarum semina rerum  
 Corpore celare, & varias cohibere figuras.

Denique multa vides, quibus est odor, & sapor una  
 Reddita sunt cum odore; in primis pleraque dona,  
 Relligione animum turpi cum tangere parto. 680

Hæc

Hæc igitur variis debent constare figuris,  
Nidor enim penetrat, qua succus non it in artus:  
Succus item seorsum, & rerum sapor insinuatur  
Sensibus; ut noscas primis differre figuris.

Diffimiles igitur formæ glomeramen in unum 685  
Conveniunt: & res permisto semine constant.

Quinetiam passim nostris in versibus ipsis  
Multa elementa vides multis communia verbis;  
Cum tamen inter se versus, ac verba necesse est  
Confiteare alia ex aliis constare elementis. 690

Non quod multa parum communis litera currat;  
Aut nulla inter se duo sint ex omnibus iisdem:  
Sed quia non volgo paria omnibus omnia constant.  
Sic aliis in rebus item communia multa,  
Multarum rerum cum sint primordia, longe 695  
Diffimili tamen inter se consistere summa  
Possunt: ut merito ex aliis constare ferantur  
Humanum genus, ac fruges, arbustaque læta.

Nec tamen omnimodis connecti posse putandum est  
Omnia: nam volgo fieri portenta videres; 700

Semiferas hominum species existere; & altos  
Interdum ramos eigni corpore vivo;  
Multaque connecti terrestria membra marinis:  
Tum flammam tætro spiranteis ore Chimæras  
Pascere naturam per terras omniparenteis. 705

Quorum nil fieri manifestum est: omnia quando  
Seminibus certis, certa genetrice creata  
Conservare genus crescentia posse videmus.

Scilicet id certa fieri ratione necesse est.

Nam sua cuique cibus ex omnibus intus in artus 710

Corpora discedunt; connexaque convenientis

Efficiunt motus: at contra aliena videmus

Rejicere in terras naturam: multaque cæcis

Corporibus fugiunt e corpore percita plagis;

Quæ neque connecti cuiquam potuere, neque intra 715

Vita-

Vitaleis motus consentire, atque animari.

Sed ne forte putes animalia sola teneri

Legibus his: eadem ratio res terminat omneis.

Nam veluti tota natura dissimiles sunt

Inter se genitæ res quæque; ita quamque necesse est 720

Dissimili constare figura principiorum.

Non quod multa parum simili sint prædita forma;

Sed quia non vulgo paria omnibus omnia consent.

Semina cum porro distent, differre necesse est

Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas, 725

Concurfus, motus: quæ non animalia solum

Corpora sejungunt, sed terras, ac mare totum

Secernunt, cælumque a terris omne retentant.

Nunc age, dicta meo dulci quæsita labore

Percipe: ne forte hæc albis ex alba rearis 730

Principiis esse, ante oculos quæ candida cernis:

Aut ea, quæ nigrant, nigro de semine nata:

Neve alium quemvis quæ sunt induta colorem,

Propterea gerere hunc credas, quod materiai

Corpora consimili sint ejus tincta colore: 735

Nullus enim color est omnino materiai

Corporibus, neque par rebus, neque denique dispar.

In quæ corpora si nullus tibi forte videtur

Posse animi injectus fieri, procul avius erras.

Nam cum cæcigeni, solis qui lumina numquam 740

Aspexere, tamen cognoscant corpora tactu,

Ex ineunte ævo, nullo continctâ colore:

Scire licet, menti quoque nostræ corpora posse

Verti in notitiam nullo circumlita fuco.

Denique nos ipsi cæcis quæcumque tenebris 745

Tangimus, haud ullo sentimus tincta colore.

Quod quoniam vinco fieri, nunc esse docebo.

Omnis enim color omnino mutatur in omneis:

Quod facere haud ullo debent primordia pacto.

Immutabile enim quiddam superare necesse est; 750

Ne

Ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.  
 Nam quodcumque suis mutatum finibus exit,  
 Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.  
 Proinde colore cave contingas semina rerum:  
 Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes. 755

Præterea, si nulla coloris principiis est  
 Reddita natura: at variis sunt prædita formis,  
 E quibus omnigenos gignunt, variantque colores.  
 Præterea magni quod refert, semina quæque  
 Cum quibus, & quali positura contineantur, 760  
 Et quos inter se dent motus, accipiantque:  
 Perfacile extemplo rationem reddere possis,  
 Cur ea, quæ nigro fuerint paullo ante colore,  
 Marmoreo fieri possint candore repente.

Ut mare, cum magni commorunt æquora venti, 765  
 Vertitur in canos candenti marmore fluctus.

Dicere enim possis nigrum, quod sæpe videmus,  
 Materies ubi permista est illius, & ordo  
 Principiis mutatus, & addita, demtaque quædam,  
 Continuo id fieri ut candens videatur, & album: 770

Quod si cæruleis constarent æquora ponti  
 Seminibus, nullo possent albescere pacto.

Nam quocumque modo perturbes, cærulea quæ sint  
 Numquam in marmoreum possunt migrare colorem.

Sin alio, atque alio sunt semina tincta colore, 775

Quæ maris efficiunt unum, purumque nitorem:

Ut sæpe ex aliis formis, variisque figuris

Efficitur quiddam quadratum, unæque figuræ:

Conveniebat, uti in quadrato cernimus esse

Diffimileis formas; ita cernere in æquore ponti, 780

Aut alio in quovis uno, puroque nitore,

Diffimileis longe inter se, variosque colores.

Præterea, nihil officiant, obstantque figuræ

Diffimiles, quo quadratum minus omne sit extra:

At varii rerum impediunt, prohibentque colores, 785

Quo

Quo minus esse uno possit res tota nitore.

Tum porro, quæ ducit, & inlicit, ut tribuamus  
Principiis rerum nonnumquam, causa, colores,  
Occidit, ( ex albis quoniam non alba creantur;  
Nec quæ nigra cluent, de nigris; sed variis de. ) 790

Quippe etenim multo proclivius exorientur  
Candida de nullo, quam de nigrante colore,  
Aut alio quovis, qui contra pugnet, & obstet.

Præterea, quoniam nequeunt sine luce colores  
Esse, neque in lucem existunt primordia rerum: 795  
Scire licet quam sint nullo velata colore.

Qualis enim cæcis poterit color esse tenebris  
Lumine qui mutatur in ipso, propterea quod  
Recta aut obliqua percussus luce refulget?

Pluma columbarum quo pacto in sole videtur, 800

Quæ sita cervices circum, collumque coronat:  
Namque alias fit, uti rubro fit clara pyropo;  
Interdum quodam sensu fit, uti videatur

Inter cæruleum virideis miscere zmaragos.

Caudaque pavonis, larga cum luce repleta est, 805  
Consimili mutat ratione obversa colores:

Qui, quoniam quodam gignuntur luminis ictu,  
Scilicet, id sine eo fieri non posse putandum est.

Et quoniam plagæ quoddam genus excipit in se  
Pupula, cum sentire colorem dicitur album; 810

Atque aliud porro, nigrum cum, & cetera sentit;

Nec refert ea, quæ tangas, quo forte colore  
Prædita sint, verum quali magis apta figura:

Scire licet, nil principiis opus esse colores:

Sed variis formis varianteis edere tactus. 815

Præterea, quoniam non certis certa figuris

Est natura coloris, & omnia principiorum

Formamenta queunt in quovis esse nitore:

Cur ea, quæ constant ex illis, non pariter sunt

Omnigenis perfusa coloribus in genere omni? 820



Conveniebat enim corvos quoque sæpe volanteis  
 Ex albis album pennis jactare colorem;  
 Et nigros fieri nigro de femine cyncnos,  
 Aut alio quovis uno, varioque colore. ( 825

Quin etiam quanto in parteis res quæque minutas  
 Distrahitur magis, hoc magis est ut cernere possis  
 Evanescere paullatim, stinguique colorem:  
 Ut fit ubi in parvas parteis discerpitur aurum,  
 Purpura, pœniceusque color clarissimus multo,  
 Filatim cum distractus disperditur omnis: 830  
 Noscere ut hinc possis, prius omnem efflare colorem  
 Particulas, quam discedant ad semina rerum.

Postremo, quoniam non omnia corpora vocem  
 Mittere concedis, neque odorem: propterea fit,  
 Ut non omnibus attribuas sonitus, & odores: 835  
 Sic, oculis quoniam non omnia cernere quimus,  
 Scire licet, quædam tam constare orba colore,  
 Quam sine odore ullo quædam, sonituque remota.  
 Nec minus hæc animum cognoscere posse sagacem,  
 Quam quæ sunt aliis rebus privata, notisque. 840

Sed ne forte putes solo spoliata colore  
 Corpora prima manere: etiam secreta teporis  
 Sunt, ac frigoris omnino, calidique vaporis:  
 Et sonitu sterila, & succo jejuna feruntur:  
 Nec jaciunt ullum proprio de corpore odorem. 845  
 Sicut amaracini blandum, stactæque liquorem,  
 Et nardi florem, nectar qui naribus halant,  
 Cum facere instituas: cum primis quærere par est,  
 ( Quoad licet, ac potis es reperire ) inolentis olivi  
 Naturam, nullam quæ mittat naribus auram: 850  
 Quam minime ut possit mistos in corpore odores,  
 Concoctosque, suo contactos perdere viro.

Propterea demum debent primordia rerum  
 Non adhibere suum gignundis rebus odorem,  
 Nec sonitum, quoniam nihil ab se mittere possunt: 855

Nec simili ratione saporem denique quemquam;  
 Nec frigus; neque item calidū, tepidumque vaporem; &  
 Cetera, quæ cum ita sunt tandem, ut mortalia consent,  
 Molli lenta, fragosa putri, cava corpore raro,  
 Omnia sint a principiis sejuncta necesse est. 860

Immortalia si volumus subjungere rebus  
 Fundamenta, quibus nitatur summa salutis:  
 Ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.

Nunc ea, quæ sentire videmus cumque necesse est  
 Ex insensilibus tamen omnia confiteare 865  
 Principiis constare: neque id manifesta refutant,  
 Nec contra pugnant, in promptū cognita quæ sunt:  
 Sed magis ipsa manu ducunt, & credere cogunt,  
 Ex insensilibus, quod dico, animalia gigni.

Quippe videre licet, vivos existere vermeis 870  
 Stercore de tætro, putrorem cum sibi nacta est  
 Intempestivis ex imbris humida tellus.

Præterea cunctas itidem res vertere sese.  
 Vertunt se fluvii, frondes, & pabula læta  
 In pecudes: vertunt pecudes in corpora nostra 875  
 Naturam: & nostro de corpore sæpe ferarum  
 Augescunt vires, & corpora pennipotentum.  
 Ergo omneis natura cibos in corpora viva  
 Vertit, & hinc sensus animantium procreat omneis:  
 Non alia longe ratione, atque arida ligna 880  
 Explicat in flammis, & in igneis omnia versat.

Jamne vides igitur, magni primordia rerum  
 Referre in quali sint ordine quæque locata,  
 Et commista quibus dent motus, accipiantque? (885

Tum porro quid id est, animum quod percutit ipsum?  
 Quod movet? & varios sensus expromere cogit,  
 Ex insensilibus ne credas sensibile gigni?  
 Nimirum lapides, & ligna, & terra quod una  
 Mista, tamen nequeunt vitalem reddere sensum.  
 Illud in his igitur fœdus meminisse decebit; 890

Non

Non ex omnibus omnino quæcumque creant res,  
 Sensilia extemplo, & sensus me dicere gigni:  
 Sed magni referre, ea primum quantula constant,  
 Sensile quæ faciunt, & qua sint prædita forma,  
 Motibus, ordinibus, posituris denique quæ sint: 895  
 Quarum nil rerum in lignis, glæbisque videmus.  
 Et tamen hæc cum sunt quasi putrefacta per imbreis,  
 Vermiculos pariunt; quia corpora materialia.

Antiquis ex ordinibus permota nova re,  
 Conciliantur ita, ut debent animalia gigni. 900

Deinde ex sensilibus cum sensile posse creari  
 Constituunt, porro ex aliis sentire sūetis;  
 Mollia tum faciunt: nam sensus jungitur omnis  
 Visceribus, nervis, venis, quæcumque videmus  
 Mollia mortali consistere corpore creta. 905

Sed tamen esto jam posse hæc æterna manere:  
 Nempe tamen debent aut sensum partis habere,  
 Aut similia totis animalibus esse putari.

At nequeant per se partes sentire, nec esse:  
 Namque aliūm sēsus membrorum respuit omnium: 910  
 Nec manus a nobis potis est secreta, neque ulla  
 Corporis omnino sensum pars sola tenere.

Linquntur, ut totis animalibus adsimulentur;  
 Vitali ut possint consentire undique sensu.  
 Qui poterunt igitur rerum primordia dici, 915

Et leti vitare vias, animalia cum sint,  
 Atque animalibus sint mortalibus una, eademque?

Quod tamen ut possint: ab cœtu concilioque,  
 Nil facient, præter volgum, turbamque animantum:  
 Scilicet ut nequeant homines, armenta, feræque 920  
 Inter sese ullam rem gignere conveniendo

Per Veneris res, extra homines, armenta, feræque.  
 Sic itidem quæ sunt minimis sentire necesse est.

Quod si forte suum dimittunt corpore sensum,  
 Atque aliūm capiunt: quid opus fuit attribui, quod 925

Detrahitur? Tum præterea, ( quod fugimus ante )  
 Quatinus in pullos animaleis vertier ova  
 Cernimus alituum, vermeisque effervere, terram  
 Intempestivos cum putror cepit ob imbreis:  
 Scire licet gigni posse ex non-sensibus sensus. 930

Quod si forte aliquis dicet, dumtaxat oriri  
 Posse ex non-sensu sensus, sed mobilitate  
 Ante aliqua tamquam partum, quam proditur extra:  
 Huic satis illud erit planum facere, atque probare,  
 Non fieri partum, nisi concilio ante coacto: 935

Nec commutari quidquam sine conciliatu  
 Primorum; ut nequeunt ullius corporis esse  
 Sensus ante ipsam genitam naturam animantis.

Nimirum quia materies disjecta tenetur  
 Aëre, fluminibus, terris, flammaque creatis: 940

Nec congressa modo vitaleis convenienti  
 Contulit inter se motus, quibus omnituentes  
 Accensi sensus animantem quamque tuentur.

Præterea quamvis animantem grandior ictus,  
 Quam patitur natura, repente adffigit, & omneis 945  
 Corporis, atque animi pergit confundere sensus.

Dissolvuntur enim posituræ principiorum;  
 Et penitus motus vitales impediuntur;

Donec materies omneis concussa per artus  
 Vitaleis animæ nodos e corpore solvit, 950  
 Dispersamque foras per caulas ejicit omneis.

Nam quid præterea facere ictum posse reamur  
 Oblatum, nisi discutere, ac dissolvere quæque?

Fit quoque, uti soleant minus oblato acriter ictu,  
 Reliquiæ motus vitalis vincere sæpe, 955

Vincere, & ingenteis plagæ sedare tumultus,  
 Inque suos quidquid rursus revocare meatus,

Et quasi jam leti dominantem in corpore motum  
 Discutere, ac pæne amissos accendere sensus.

Nam, quare potius leti jam limine ab ipso 960

Ad vitam possint conlecta mente reverti,  
 Quam quo decursum prope jam fiet, ire, & abire?

Præterea, quoniam dolor est ubi materiai  
 Corpora vi quadam per viscera viva, per artus  
 Sollicitata suis trepidant in sedibus intus: 965

Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas:  
 Scire licet, nullo primordia posse dolore

Tentari; nullamque voluptatem capere ex se:  
 Quandoquidem non sunt ex ullis principiorum  
 Corporibus, quorum motus novitate laborent; 970

Aut aliquem fructum capiant dulcedinis almæ.  
 Haud igitur debent esse ullo prædita sensu.

Denique uti possint sentire animalia quæque,  
 Principiis si etiam est sensus tribuendus eorum: ( 975

Quid? genus humanum proprium de quibus factum est?  
 Scilicet & risu tremulo concussa cachinnant,

Et lacrimis spargunt rorantibus ora, genasque,  
 Multaque de rerum mistura dicere callent,

Et sibi proporro quæ sint primordia quærunt.

Quandoquidem totis mortalibus adsimulata 980  
 Ipsa quoque ex aliis debent constare elementis;

Inde alia ex aliis, nusquam consistere ut ausis.

Quippe sequar, quodcumque loqui, ridereque dices,  
 Et sapere, ex aliis eadem hæc facientibus, ut sit.

Quod si delira hæc, furiosaque cernimus esse; 985  
 Et ridere potest ex non ridentibus factus,

Et sapere, & doctis rationem reddere dictis,  
 Non ex seminibus sapientibus, atque disertis:

Qui minus esse queant ea, quæ sentire videmus  
 Seminibus permista carentibus undique sensu? 990

Denique cælesti sumus omnes semine oriundi:

Omnibus ille idem pater est, unde alma liquenteis  
 Humoribus guttas mater cum terra recepit,

Fœta parit nitidas fruges, arbustaque læta,

Et genus humanum, & parit omnia sæcla ferarum, 995

Pabula cum præbet, quibus omnes corpora pascunt,  
 Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant.  
 Quapropter merito maternum nomen adepta est.  
 Cedit item retro de terra quod fuit ante,  
 In terras: & quod missum est ex ætheris oris, 1000  
 Id rursus cæli rellatum templa receptant.  
 Nec sic interimit mors res, ut materiai  
 Corpora conficiat, sed cœtum dissipat ollis:  
 Inde aliis aliud conjungit, & efficit, omnes  
 Res ut convertant formas, mutantque colores, 1005  
 Et capiant sensus, & puncto tempore reddant:  
 Ut noscas referre, eadem primordia rerum  
 Cum quibus, & quali positura contineantur,  
 Et quos inter se dent motus, accipiantque:  
 ( Neve putes æterna penes residere potesse 1010  
 Corpora prima, quod in summis fluitare videmus  
 Rebus, & interdum nasci, subitoque perire: )  
 Quin etiam refert nostris in versibus ipsis,  
 Cum quibus, & quali sint ordine quæque locata. ( 1015  
 Namque eadem cælum, mare, terras, flumina, solem  
 Significant; eadem fruges, arbuta, animanteis;  
 Si non omnia sint, at multo maxima pars est  
 Consimilis: verum positura discrepant hæc.  
 Sic ipsis in rebus item jam materiai  
 Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ, 1020  
 Concurfus, motus, ordo, positura, figuræ  
 Cum permutantur, mutari res quoque debent.  
 Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.  
 Nam tibi vehementer nova res molitur ad aureis  
 Accidere, & nova se species offendere rerum. 1025  
 Sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primum  
 Difficilis magis ad credendum constet: itemque  
 Nil adeo magnum, nec tam mirabile quidquam  
 Principio, quod non minuant mirarier omnes  
 Paullatim: ut cæli clarum purumque colorem, 1030  
 Quem-

Quemque in se cohibent palantia sidera passim,  
 Lunæque, & solis præclara luce nitorem:  
 Omnia quæ si nunc primum mortalibus adsint,  
 Ex improvise ceu sint objecta repente;  
 Quid magis his rebus poterat mirabile dici, 1035  
 Aut minus ante quod auderent fore credere gentes?  
 Nil, ut opinor; ita hæc species miranda fuisset:  
 Quom tibi jam nemo fessus fatiate videndi  
 Susplicere in cæli dignatur lucida templa.  
 Desine quapropter novitate exterritus ipsa 1040  
 Exspuere ex animo rationem: sed magis acri  
 Judicio perpende, & si tibi vera videtur,  
 Dede manus: aut si falsa est, accingere contra.

Quærit enim ratione animus, cum summa loci sit  
 Infinita foris hæc extra mœnia mundi, 1045  
 Quid sit ibi porro, quo prospicere usque velit mens;  
 Atque animi jactus liber quo pervolet ipse.

Principio, nobis in cunctas undique parteis,  
 Et latere ex utroque, infra, superaue, per Omne  
 Nulla est finis, (uti docui) res ipsaque per se 1050  
 Vociferatur, & elucet natura profundi.

Nullo jam pacto verisimile esse putandum est,  
 (Undique cum vorsus spatium vacet infinitum,  
 Seminaque innumero numero, summaque profunda  
 Multimodis volitent æterno percita motu: ) 1055

Hunc unum terrarum orbem, cælumque creatum,  
 Nil agere illa foris tot corpora materiai:  
 Cum præsertim hic sit natura factus; & ipsa  
 Sponte sua forte offensando semina rerum

Multimodis, temere, incassum, frustraue coacta 1060  
 Tandem cooluerint ea, quæ coniecta repente  
 Magnarum rerum fierent exordia semper,  
 Terrai, maris, & cæli, generisque animantium.

Quare etiam atque etiam taleis fateare necesse est  
 Esse alios alibi congressus materiai, 1065

Qualis hic est, avido complexu quem tenet æther.

Præterea, cum materies est multa parata;  
Cum locus est præsto; nec res, nec caussa moratur  
Ulla; geni debent nimirum, & confieri res.

Nunc & feminibus si tanta est copia, quantam 1070  
Enumerare ætas animantium non queat omnis;

Visque eadem, & natura manet, quæ semina rerum  
Conjicere in loca quæque queat simili ratione,

Atque huc sunt conjecta: necesse est confiteare  
Esse alios aliis terrarum in partibus orbeis, 1075

Et varias hominum genteis, & sæcla ferarum.

Huc accedit, ut in summa res nulla sit una,

Unica quæ gignatur, & unica solaque crescat:

Quin cujusque sient sæcli, permultaque eodem  
Sint genere: in primis animalibus, indice mente. 1080

Invenies sic montivagum genus esse ferarum,

Sic hominum genitam prolem, sic denique mutas

Squamigerum pecudes, & corpora cuncta volantum.

Quapropter cælum simili ratione fatendum est, (1085

Terramque, & solem, lunam, mare, cetera, quæ sunt,

Non esse unica, sed numero magis innumerali:

Quandoquidem vitæ depactus terminus alte

Tam manet his, & tam nativo hæc corpore constant,

Quam genus omne, quod his generatim rebus abundat.

Quæ bene cognita si teneas: natura videtur 1090

Libera continuo, dominis privata superbis,

Ipsa sua per se sponte omnia diis agere experts.

Nam ( pro sancta deum tranquilla pectora pace,

Quæ placidum degunt ævum, vitamque serenam! )

Quis regere immensi summâ? quis habere profundi 1095

Endo manu validas potis est moderanter habenas?

Quis pariter cælos omneis convertere? & omneis

Ignibus ætheriis terras suffire feraceis?

Omnibus inque locis esse omni tempore præsto?

Nubibus ut tenebras faciat, cælique serena 1100



Concutiat sonitu? tum fulmina mittat, & ædeis  
 Sæpe suas disturbet, & in deserta recedens  
 Sæpiat, exercens telum, quod sæpe nocentis  
 Præterit, exanimatque indignos, inque merentis?

Multaque post mundi tempus genitale, diemque 1105  
 Primigenum maris, & terræ, solisque coortum,  
 Addita corpora sunt extrinsecus; addita circum  
 Semina, quæ magnum jaculando contulit Omne;  
 Unde mare, & terræ possent auferere; & unde  
 Adpareret spatium cæli domus, altaque tecta 1110  
 Tolleret a terris procul; & consurgeret ær.

Nam sua cuique locis ex omnibus omnia plagis  
 Corpora distribuuntur, & ad sua sæcla recedunt:  
 Humor ad humorem; terreno corpore terra (1115  
 Crescit; & ignem ignes procidunt, ætheraque æther:  
 Domicum ad extremum crescendi perfica finem  
 Omnia perduxit rerum natura creatrix.

Ut fit, ubi nihilo jam plus est, quod datur intra  
 Vitaleis venas, quam quod fluit, atque recedit:  
 Omnibus his ætas debet consistere rebus: 1120  
 His natura suis refrenat viribus auctum.

Nam, quæcumque vides hilaro grandescere adauctu,  
 Paullatimque gradus ætatis scandere adultæ;  
 Plura sibi adsumunt, quam de se corpora mittunt.  
 Dum facile in venas cibus omnis diditur; & dum 1125  
 Non ita sunt late dispersa, ut multa remittant;  
 Et plus dispendi faciant, quam vescitur ætas.

Nam certe fluere, ac decedere corpora rebus  
 Multa, manus dandum est: sed plura accedere debent,  
 Domicum olefcendi summum tetigere cacumen. 1130

Inde minutatim vireis, & robur adultum  
 Frangit; & in partem pejorem liquitur ætas.  
 Quippe etenim quanto est res amplior, augmine demto,  
 Et quo latior est, in cunctas undique parteis  
 Pluria eo dispergit, & a se corpora mittit: 1135

Nec

Nec facile in venas cibus omnis deditur eii:  
 Nec satis est, pro quam largos exæstuat æstus,  
 Unde queat tantum suboriri, ac suppeditare,  
 Quantum opus est: & quod satis est, natura novare.  
 Jure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo 1140  
 Sunt; & cum externis succumbunt omnia plagis:  
 Quandoquidem grandi cibus ævo denique defit;  
 Nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam  
 Corpora conficere, & plagis infesta domare.

Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi 1145  
 Expugnata dabunt labem, putresque ruinas.  
 Omnia debet enim cibus integrare novando:  
 Nequidquam: quoniam nec venæ perpetiuntur  
 Quod satis est, neque quantū opus est, natura ministrat.  
 Jamque adeo affecta est ætas; effœtaque tellus 1150  
 Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit  
 Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.  
 Haud (ut opinor) enim mortalia sæcla superne  
 Aurea de cælo demisit funis in arva:  
 Nec mare, nec fluctus plangentes saxa crearunt: 1155  
 Sed genuit tellus eadem, quæ nunc alit ex se.  
 Præterea nitidas fruges, vinetaque læta  
 Sponte sua primum mortalibus ipsa creavit;  
 Ipsa dedit dulcis fœtus, & pabula læta:  
 Quæ nunc vix nostro grandescunt aucta labore: 1160  
 Conterimusque boves, & vireis agricolarum:  
 Conficimus ferrum: vix arvis suppeditati  
 Usque adeo pereunt fœtus, augentque labores.  
 Jamque caput quassans grandis suspirat arator  
 Crebrius incassum magnum cecidisse laborem. 1165  
 Et cum tempora temporibus præsentia confert  
 Præteritis, laudat fortunas sæpe parentis:  
 Et crepat, antiquum genus ut pietate repletum  
 Perfacile angustis tolerarit finibus ævum;  
 Cum minor esset agri multo modus ante viritum. 1170

Nec

Nec tenet, omnia paullatim tabescere, & ire  
Ad scopulum spatio ætatis defessa vetusto.

## CREECHII CENSURA.

**I**N hoc libro positæ sunt omnes Epicuri fortunæ, exiguæ quidem istæ; quas tamen multi olim affligerunt, & Tullius diripuit: instaurare demum magno conatu nititur Lucretius, eo successu quem meretur. Id enim Epicuri opinionibus accidit quod fœtui mali staminis, cui copiosum licet, & saluberrimum alimentum ingeras, debilis tamen manet & infirmus.

A v. 66. ad v. 82. docet Poëta Motum esse; nec diffitemur. Motum etiam rerum omnium e Motu Seminum oriri, illud quoque agnoscimus. Sed dum v. 82. Pondus Seminibus, & inde Motum attribuit, nimium sibi, & suis Atomis indulget. Quis pondus omni Materiæ, & quis Corporibus ejusdem molis idem pondus concedat? Sensus enim & experientia reclamant. Vidit autem Epicurus lapides, ligna, cuncta denique intra Mundi hujus ambitum contenta, deorsum tendere, atque ideo credidit omnia ab æterno descendisse; quam opinionem qui amplectitur, næ ille erit nitidissimus de grege Epicuri Philosophus. Idem enim ac si diceret, rotas, elateres, & reliqua machinæ alicujus membra id factura seorsim, quod conjunctim faciunt. Sed ut hoc quoque largiamur, habemus tandem infinita Semina per Inane infinitum pari passu & æquali velocitate deorsum tendentia. In immensitate Latitudinum, Longitudinum, Altitudinum, infinita vis innumerabilium volitat Atomorum, quæ interjecto Inani coherescunt tamen inter se, & aliæ alias apprehendentes continuantur; ex quo efficiuntur hæ rerum formæ & figuræ. Unde vero aliæ alias apprehendant, cum pari velocitate omnes ferantur? videlicet,

licet paululum, & quam minimum declinant, v. 221. Sed ipsa hæc declinatio ad libidinem fingitur (ait enim Lucretius declinare Atomos sine causa, quo nihil turpius Physico) & illum motum naturalem omnium ponderum e regione inferiorem locum petentium, sine causa eripuit Atomis. Nec tamen id cujus causa hæc finxerat, assecutus est; nam sive omnes Atomis declinabunt, nullæ unquam coherescunt; sive aliæ declinabunt, aliæ suo nutu recte ferentur, erit hoc quasi provincias Atomis dare, quæ recte, quæ oblique ferantur. Tullius primo de Finibus.

Hanc difficultatem sensit ipse Lucretius v. 225. ubi non tam solvit, quam vi ejus succumbit oppressus & prostratus. Sed v. 251. aliam difficultatem movet, cujus opem vim prioris effugere conatur; vel, ut sepia, tenebras & caliginem offundit, ut difficiliter inveniri & capi possit. Afferit enim, sine ista Seminum Declinatione Libertatem voluntatis, quam in omnibus Animalibus sentimus, explicari non posse. Respondet Cicero lib. 1. de Natura Deorum: Hoc persæpe facitis, Epicurei, ut cum aliquid non verisimile dicatis, & reprehensionem effugere velitis, offeratis aliquid quod omnino nec fieri possit: ut satius fuerit illud ipsum de quo ambigebatur, concedere, quam tam impudenter resistere. Velut Epicurus, cum videret, si Atomis ferrentur in locum inferiorem suo pte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset eorum motus certus & necessarius; invenit quo modo necessitatem effugeret, quod videlicet Democritum fugerat. Ait Atomum, cum pondere & gravitate directo deorsum feratur, declinare paululum. Hoc dicere turpius est, quam illud quod vult non posse defendere. Et libro de Fato: Epicurus uno tempore res duas suscipit inenodabiles, unam, ut sine causa fiat aliquid, ex quo consistet ut de nihilo quippiam fiat; quod nec ipsi, nec cuiquam Physico placet: alteram, ut cum duo Individua per Inanitatem ferantur, alterum e regione movetur, alterum declinet. Fusius deinde hanc causam

agit in eodem libro. Quæ ergo nova caussa in Natura est quæ declinat Atomum? Aut num sortiuntur inter se, quæ declinet, quæ non? Aut cur minimo declinet intervallo, majore non? Aut cur declinet uno minimo, non declinet duobus, aut tribus? Optare hoc quidem est, non disputare; nam neque extrinsecus impulsam Atomum loco moveri & declinari dicis, neque in illo Inani per quod feratur Atomus, quidquam fuisse caussæ cur ea non e regione ferretur, nec in ipsa Atomo mutationis aliquid factum est, quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. Ita cum attulisset Epicurus nullam caussam quæ istam declinationem efficeret, tamen aliquid sibi dicere videtur, quum id dicat quod omnium mentes aspernentur & respuant. Ita hortos Epicuri vastat Cicero, & evertit totam illam quæ Providentiæ iniquior est, Philosophiam.

Melius tamen succedit longa illa a v. 333. ad v. 580. disputatio de varietate Figurarum quæ in Seminibus invenitur: similiter illa de Seminibus diversimode figuratis in unoquoque Composito contentis, a v. 581. ad v. 728. Argumentum enim fabulis subinde introductis ornat, & sententiam suam variis, usque firmissimis rationibus confirmat.

Nec ullus umquam Epicuræ Philosophiæ adversarius effugiet ista argumenta, quibus a v. 729. ad v. 1021. demonstrat, Semina coloris, odoris, caloris, omnis denique qualitatis, & sensus esse expertia: originem sensus ipse, fateor, non recte explicat, at sensum animalium sensilibus principiis (quod unum in hoc libro agit) minime deberi, eo quo Lucretium decuit, acumine persuadet.

Quod denique a v. 1022. ad v. 1103. innumerabiles Mundos exstruit, hoc etiam ferri posset, si aliquem Architectum adhibuisset. Sed quis credat ex Atomorum concursione fortuita hunc Mundi pulcherrimum ornatum esse perfectum? An cum machinatione quadam aliquid moveri videmus, ut Sphæram, ut Horas, ut alia permulta,

*non dubitamus quin sint opera illa rationis: cum autem impetum celi cum admirabili celeritate moveri, & vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anni-  
versarias cum summa salute & conservatione rerum om-  
nium, dubitamus quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione? Quod si Mun-  
dos efficere potest concursus Atomorum, cur Porticum, cur Templum, cur Domum non potest, quæ sunt minus ope-  
rosa, & multo quidem faciliora? Hæc Cicero Providentiæ gratissimus vindex.*

*Demum a v. 1104. ad v. 1172. Mundos innumerabiles quotidie nascentes, & intereuntes contemplare, & beatum te judicabis, Lector, qui inter tot tantasque ruinas integer manes & illesus. Interim ridebis lactentes istos, & senescentes Mundos, modo fame enectos, modo pinguedine nimis obesos. Certo enim certius, tum perire omne Lucretii acumen cum Providentiæ adversatur.*



## LIBRI TERTII

## ARGUMENTUM.

**H**Ætenus, duobus nempe superioribus libris, naturam & affectiones quas dicimus Atomorum, rite explicasse sibi visus est Poëta. Nunc quatuor reliquis libris eaque ex Atomis istis fiunt, attentius speculatur. Atque, uti par fuit, primas detulit partes Animæ & Animo, de quibus hoc toto libro jam disputat. Hunc autem auspiciatur librum ab Epicuri laudibus, quem a v. 1. ad v. 94. predicat primum docuisse non a Deo, sed ex fortuito Atomorum concursu Mundum hunc & omnia fuisse facta; atque inde hominum mentes Deorum, Mortis, & Pœnarum post mortem metu liberasse. Hoc autem unus Epicurus feliciter perfecit, quod alii Philosophi frustra conati sunt. Pauca hæc de Epicuro præfatus, docet a v. 94. ad v. 137. Animum & Animam partem esse hominis æque ac pedes, manus, brachia, caput, & reliqua membra, & non habitum vitalem totius corporis, seu omnium partium corporis intentionem, & concentum, quam quidam veteres Philosophi Harmoniam dixerunt. Ne vero minus distincte disputare videatur, dum vocibus Animus & Anima promiscue utitur, a v. 138. ad v. 161. docet Animum & Animam unam quidem rem esse, Animum vero præcipuam esse partem, & in corde residere, quippe ibi metus, gaudium, & reliquæ passiones quæ Animum sequuntur, sese ostentant; dum Anima, in qua loco-motiva facultas unice sita est, per totum corpus diffusa ad nutum Animi movetur. Inde a v. 162. ad v. 177. demonstrare conatur Animi & Animæ naturam esse corpoream: Animus enim tangit Animam, quam movet, Anima autem corpus; nullus vero nisi inter corpora Contactus. A. v. 178. ad v. 323. docet corporeum hunc Animum componi e Seminibus minutissimis qui-

quidem, tenuissimis, & maxime rotundis: & si rem ipsam spectemus, e Calore, Vento, seu Vapore, & Aère; & alia insuper re, quæ ex tenuissimis, minutissimis, & maxime mobilibus Seminibus constans, est sensus principium & origo. Quo vero modo Calor, Ventus, Aër, & quarta illa res innominata misceantur, explicare se non posse liquido fatetur. A v. 324. ad v. 350. asserit Animam & Corpus ita conjuncta esse, ut sine utriusque pernicie separari non possint. Deinde a v. 351. ad v. 370. non solum Animum, sed etiam Corpus sentire affirmat, seu potius totum Animal, rem e Corpore & Anima compositam. Post hæc a v. 371. ad v. 417. refutat opinionem Democriti, qui singulas Animæ partes singulis Corporis partibus appositas & conjunctas esse docuit. Et ut olim affirmasset Animum esse potius totius Compositi partem, sic ab Anima potius quam ab Anima vitam dependere, & salutem Animalis conservari asserit. Deinde a v. 418. ad v. 842. Animos & Animas nasci & interire cum Corporibus, viginti octo argumentis demonstrare conatur, & Transmigrationem Pythagoræ obiter deridet. Demum a v. 842. ad v. 882. Mortem nihil esse docet, cum post Mortem nihil est mortali Animæ timendum; immo si Anima immortalis (ut Platoni visum est) concedatur, Mortem tamen nihil esse, cum Anima separata non meminerit se umquam antea existisse. Proinde ad v. 906. ridet hominum vanam de sepultura sollicitudinem. Deinde demonstrat Mortem non esse malum, quia mortui non indigent istis bonis quibus vivi gaudent, neque istis doloribus afficiuntur qui miseros mortales cruciant, ad v. 943. Vitam etiam ipsam non esse desiderabilem, quippe quæ nihil novi afferat, sed easdem semper voluptates usque ad nauseam subministret, ad v. 988. Ne vero istæ fabulæ quas Poëtæ narrant, de Inferis & Pœnis post Mortem, terreant mortales, ad v. 1036. omnes illas commoda interpretatione elevat. Deinde usque ad finem bujus libri monet, plerosque mortalium inepte & absurde de



Morte queri, cum sapientissimi hominum, & potentissimi ducum & imperatorum vim diræ necessitatis senserint. Docet, ideo mortales vitam sollicitam & inquietam agere, quod hanc Mortis contemplationem refugiant, & inepte votis omnibus vitam expetere, quam aliquando amissuri sunt, quæ nullam novam voluptatem afferat, innumeris vero doloribus & periculis obnoxia reddatur; præsertim cum vivendo nihil detrahunt de tempore Mortis, quæ omnes manet æterna.





T I T I  
L U C R E T I I C A R I  
D E R E R U M N A T U R A  
L I B E R T E R T I U S .



Tenebris tantis tam clarum extol-  
lere lumen  
Qui primus potuisti, illustrans com-  
moda vitæ ;  
Te sequor o Grajæ gentis decus ;  
inque tuis nunc  
Fixa pedum pono pressis vestigia  
signis ;

Non ita certandi cupidus, quam propter amorem, 5  
Quod te imitari aveo. Quid enim contendat hirundo  
Cycnis ? aut quidnam tremulis facere artibus hædi  
Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis ?  
Tu pater, & rerum inventor: tu patria nobis  
Suppeditas præcepta: tuisque ex, inclute, chartis, 10  
Floriferis ut apes in saltibus omnia limant,  
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,  
Aurea, perpetua semper dignissima vita.  
Nam simul ac ratio tua cœpit vociferari  
Naturam rerum haud divina mente coortam; 15

Diffugiunt animi terrores; mœnia mundi  
 Discedunt; totum video per inane geri res.  
 Apparet divum numen, sedesque quietæ;  
 Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis  
 Adspargunt, neque nix acri concreta pruina 20  
 Cana cadens violat: semperque innubilus æther  
 Integit, & large diffuso lumine ridet.

Omnia suppeditat porro natura; neque ulla  
 Res animi pacem delibrat tempore in ullo.  
 At contra nusquam apparent Acherusia templa: 25  
 Nec tellus obstat, quin omnia dispiciantur,  
 Sub pedibus quæcumque infra per inane geruntur.  
 His tibi me rebus quædam divina voluptas  
 Percipit, atque horror, quod sic natura tua vi  
 Tam manifesta patens ex omni parte resecta. 30

Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum  
 Qualia sint; & quam variis distantia formis  
 Sponte sua volitent æterno percita motu;  
 Quoque modo possint ex his res quæque creari:  
 Hasce secundum res animi natura videtur, 35  
 Atque animæ claranda meis jam versibus esse:  
 Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus  
 Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo;  
 Omnia suffundens mortis nigrore; neque ullam  
 Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit. 40

Nam, quod sæpe homines morbos magis esse timendos  
 Infamemque ferunt vitam, quam tartara leti;  
 Et se scire animi naturam sanguinis esse;  
 Nec prorsum quidquam nostræ rationis egere:  
 Hic licet advertas animum, magis omnia laudis, 45  
 Aut etiam venti, si fert ita forte voluntas,  
 Jactari causa, quam quod res ipsa probetur.  
 Extorres iidem patria, longeque fugati  
 Conspectu ex hominum, scædati crimine turpi,  
 Omnibus ærumnis affecti denique vivunt: 50

Et quocumque tamen miseri venere, parentant,  
 Et nigras mactant pecudes, & Manibus divis  
 Inferias mittunt: multoque in rebus acerbis  
 Acrius advertunt animos ad religionem.

Quo magis in dubiis hominem spectare periculis 55  
 Convenit; adversisque in rebus noscere qui sit.  
 Nam veræ voces tum demum pectore ab imo  
 Ejiciuntur; & eripitur persona, manet res.

Denique avarities, & honorum cæca cupido,  
 Quæ miseros homines cogunt transcendere fineis 60  
 Juris, & interdum socios scelerum, atque ministros  
 Nocteis atque dies niti præstante labore  
 Ad summas emergere opes: hæc vulnera vitæ  
 Non minimam partem mortis formidine aluntur.  
 Turpis enim fama, & contemptus, & acris egestas 65  
 Semota ab dulci vita stabilique videntur;  
 Et quasi jam leti portas cunctarier ante:  
 Unde homines dum se falso terrore coacti  
 Refugisse volunt longe, longèque recessu;  
 Sanguine civili rem conflant; divitiasque 70  
 Conduplicant avidi, cædem cædi accumulantes.  
 Crudeles gaudent in tristi funere fratris:  
 Et consanguineum mensas odere, timentque.

Consimili ratione ab eodem sæpe timore  
 Macerat invidia: ante oculos illum esse potentem, 75  
 Illum aspectari, claroque incedere honore:  
 Ipsi se in tenebris volvi, cænoque queruntur.  
 Intereunt partim statuarum, & nominis ergo:  
 Et sæpe usque adeo, mortis formidine, vitæ  
 Percipit humanos odium, lucisque videndæ, 80  
 Ut sibi consciscant mœrenti pectore letum;  
 Obliti fontem curarum hunc esse timorem,  
 Hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiaï  
 Rumpere, & in summa pietatem evertere fundo.  
 Nam jam sæpe homines patriam, carosque parenteis 85

Prædiderunt, vitare Acherusia templa petentes.

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis  
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus.

Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam  
Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura. 90  
Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse est  
Non radii solis, neque lucida tela diei  
Discutiant, sed naturæ species, ratioque.

Primum animum dico (mentem quem sæpe vocamus),  
In quo consilium vitæ, regimenque locatum est, 95  
Esse hominis partem nihilo minus, ac manus, & pes,  
Atque oculi partes animantis totius existant.

Quamvis multa quidem sapientum turba putarunt  
Sensum animi certa non esse in parte locatum:  
Verum habitum quemdam vitalem corporis esse, 100  
Harmoniam Graji quam dicunt; quod faciat nos  
Vivere cum sensu, nulla cum in parte fiet mens:  
Ut bona sæpe valetudo cum dicitur esse  
Corporis, & non est tamen hæc pars ulla valentis:  
Sic animi sensum non certa parte reponunt: 105  
Magnopere in quo mi diversi errare videntur.

Sæpe utique in promptu corpus, quod cernitur, ægri,  
Cum tamen ex alia lætamur parte latenti:  
Et retro fit, uti contra fit sæpe vicissim,  
Cum miser ex animo, lætatur corpore toto: 110  
Non alio pacto, quam si pes cum dolet ægri,  
In nullo caput interea sit forte dolore.

Præterea molli cum somno dedita membra,  
Effusumque jacet sine sensu corpus onustum:  
Est aliud tamen in nobis, quod tempore in illo 115  
Multimodis agitatur, & omneis accipit in se  
Lætitiæ motus, & curas cordis inaneis.

Nunc animam quoque ut in mēbris cognoscere possis  
Esse, neque harmoniam corpus retinere solere:

Principio fit, uti detracto corpore multo, 120

Sæpe tamen nobis in membris vita moretur.  
 Atque eadem rursus cum corpora pauca calor  
 Diffugere, forasque per os est editus aër;  
 Deserit extemplo venas, atque ossa relinquit:  
 Noscere ut hinc possis, non æquas omnia parteis 125  
 Corpora habere, neque ex æquo fulcire salutem:  
 Sed magis hæc, venti quæ sunt, calidique vaporis  
 Semina, curare in membris ut vita moretur.  
 Est igitur calor, ac ventus vitalis in ipso  
 Corpore, qui nobis moribundos deserit artus. 130

Quapropter, quoniam est animi natura reperta,  
 Atque animæ, quasi pars hominis: redde harmoniam  
 Nomen ab organico saltu delatum Heliconis;  
 Sive aliunde ipsi porro traxere, & in illam  
 Transfulerunt, proprio quæ tum res nomine egebat; 135  
 Quidquid id est, habeant: tu cetera percipe dicta.

Nunc animum, atque animam dico conjuncta teneri  
 Inter se, atque unam naturam conficere ex se:  
 Sed caput esse quasi, & dominari in corpore toto (140  
 Consilium, quod nos animum, mentemque vocamus:  
 Idque situm media regione in pectoris hæret.  
 Hic exsultat enim pavor, ac metus; hæc loca circum  
 Lætitiæ mulcent; hic ergo mens animusque est.  
 Cetera pars animæ per totum diffusa corpus  
 Paret; & ad numen mentis, momenque movetur: 145  
 Idque sibi solum per se sapit, & sibi gaudet:  
 Cum neque res animam, neque corpus commoveret ulla.  
 Et quasi cum caput aut oculus, tentante dolore,  
 Læditur in nobis, non omni concruciamur  
 Corpore: sic animus nonnunquam læditur ipse, 150  
 Lætitiæque viger, cum cetera pars animam  
 Per membra, atque artus nulla novitate cietur.  
 Verum ubi vehementi magis est commota metu mens,  
 Consentire animam totam per membra videmus:  
 Sudores itaque, & pallorem existere toto

Corpore, & infringi linguam, vocemque aboriri;  
Caligare oculos, sonere aureis, succidere artus.

Denique concidere ex animi terrore videmus  
Sæpe homines: facile ut quivis hinc noscere possit, (160  
Esse animam cum animo conjunctam; quæ cum animi vi  
Percussa est, exin corpus propellit, & icit.

Hæc eadem ratio naturam animi, atque animam  
Corpoream docet esse: ubi enim propellere membra,  
Conripere ex somno corpus, mutareque voltum,  
Atque hominem totum regere ac versare videtur: 165  
( Quorum nil fieri sine tactu posse videmus;  
Nec tactum porro sine corpore ) nonne fatendum est  
Corporea natura animum constare, animamque?

Præterea pariter fungi cum corpore; & una  
Consentire animum nobis in corpore cernis. 170  
Si minus offendit vitam vis horrida teli,  
Ossibus ac nervis disclusis intus adacta;  
Attamen insequitur languor, terræque petitus  
Suavis, & in terra mentis qui gignitur æstus,  
Interdumque quasi exurgendi incerta voluntas. 175  
Ergo corpoream naturam animi esse necesse est:  
Corporeis quoniam telis, icluque laborat.

Is tibi nunc animus quali sit corpore, & unde  
Constiterit, pergam rationem reddere dictis.  
Principio esse ajo persubtilem atque minutis 180  
Perquam corporibus factum constare: id ita esse,  
Hinc licet advertas animum, ut pernoscere possis.  
Nil adeo fieri celeri ratione videtur,  
Quam si mens fieri proponit, & inchoat ipsa.  
Ocyus ergo animus, quam res se perciet ulla, 185  
Ante oculos quarum in promptu natura videtur.  
At quod mobile tantopere est, constare rotundis  
Perquam feminibus debet, perquamque minutis;  
Momine uti parvo possint impulsa moveri.  
Namque movetur aqua, & tantillo momine flutat; 190

Quippe volubilibus, parvisque creata figuris.  
 At contra mellis constantior est natura,  
 Et pigri latices magis, & cunctantior actus;  
 Hæret enim inter se magis omnis materiai  
 Copia: nimirum quia non tam lævibus exstat 195  
 Corporibus, neque tam subtilibus atque rotundis.  
 Namque papaverum, aura potest suspensa, levisque  
 Cogere, ut ab summo tibi diffluat altus acervus:  
 At contra lapidum coniectum, spiclorumque  
 Nenu potest: igitur parvissima corpora quanto 200  
 Et lævissima sunt, ita mobilitata feruntur.  
 At contra quo quæque magis cum pondere magno,  
 Aspera que inveniuntur, eo stabilita magis sunt.  
 Nunc igitur, quoniam est animi natura reperta  
 Mobilis egregie; perquam constare necesse est 205  
 Corporibus parvis & lævibus atque rotundis.  
 Quæ tibi cognita res in multis, o bone, rebus  
 Utilis invenietur, & opportuna cluebit.

Hæc quoque res etiam naturam deliquat ejus,  
 Quam tenui constet textura; quamque loco se 210  
 Contineat parvo, si possit conglomerari;  
 Quod simul atque hominem leti secura quies est  
 Indepta, atque animi natura, animæque recessit:  
 Nil ibi limatum de toto corpore cernas  
 Ad speciem, nil ad pondus: mors omnia præstat, 215  
 Vitalem præter sensum, calidumque vaporem.  
 Ergo animam totam perparvis esse necesse est  
 Seminibus, nexam per venas, viscera, nervos:  
 Quatinus omnis ubi e toto jam corpore cessit,  
 Extima membrorum circum-cæsurâ tamen se 220  
 Incolumem præstat; nec desit ponderis hilum:  
 Quod genus est, Bacchi cum flos evanuit, aut cum  
 Spiritus unguenti suavis diffugit in auras;  
 Aut aliquo cum jam succus de corpore cessit:  
 Nil oculis tamen esse minor res ipsa videtur 225



Propterea, neque detractum de pondere quidquam.  
Nimirum, quia multa, minutaque semina succos  
Efficiunt, & odorem in toto corpore rerum.

Quare etiam atque etiam mentis naturam, animæque  
Scire licet perquam paucillis esse creatam 230  
Seminibus: quoniam fugiens nil ponderis aufert.

Nec tamen hæc simplex nobis natura putanda est.  
Tenuis enim quædam moribundos deserit aura,  
Mista vapore; vapor porro trahit aëra secum;  
Nec calor est quisquam, cui non sit mistus & aër. 235  
Rara quod ejus enim constat natura, necesse est  
Aëris inter eum primordia multa cieri.

Jam triplex animi est igitur natura reperta.  
Nec tamen hæc fat sunt ad sensum cuncta creandum:  
Nil horum quoniam recipit mens posse creare 240  
Sensiferos motus, quædam qui mente voluent.

Quarta quoque his igitur quædam natura necesse est  
Attribuatur; (ea est omnino nominis experts: )  
Qua neque mobilius quidquam, neque tenuius exstat,  
Nec magis e parvis, aut lævibus ex elementis; 245  
Sensiferos motus quæ didit prima per artus.

Prima cietur enim parvis perfecta figuris;  
Inde calor motus, & venti cæca potestas  
Accipit; inde aër; inde omnia mobilitantur:  
Tum quatitur sanguis; tum viscera perferunt 250  
Omnia; postremo datur ossibus, atque medullis,  
Sive voluptas est, sive est contrarius ardor. (acre

Nec temere huc dolor usque potest penetrare, neque  
Parmanare malum, quin omnia perturbentur:  
Usque adeo ut vitæ desit locus; atque animam 255  
Diffugiant partes per caulas corporis omneis.  
Sed plerumque fit in summo quasi corpore finis  
Motibus: hanc ob rem vitam retinere valemus.

Nunc, ea quo pacto inter sese mista, quibusque  
Comta modis vigeant, rationem reddere aventem 260

Abstrahit invitum patrii sermonis egestas.  
 Sed tamen, ut potero summatim attingere, tangam.  
 Inter enim cursant primordia principiorum  
 Motibus inter se, nihil ut secernier unum  
 Possit; nec spatio fieri divisa potestas: 265  
 Sed quasi multæ vis unius corporis exstant.  
 Quod genus in quovis animantium viscere volgo  
 Est odor, & quidam calor, & sapor; & tamen ex his  
 Omnibus est unum perfectum corporis augmen.  
 Sic calor, atque aër, & venti cæca potestas 270  
 Mistra creant unam naturam, & mobilis illa  
 Vis, initium motus ab se quæ dividit ollis;  
 Sensifer unde oritur primum per viscera motus.  
 Nam penitus prorsum latet hæc natura, subestque;  
 Nec magis hac infra quidquã est in corpore nostro: 275  
 Atque anima est animæ proporro totius ipsa.  
 Quod genus in nostris membris, & corpore toto  
 Mistra latens animi vis est, animæque potestas;  
 Corporibus quia de parvis, paucisque creata est.  
 Sic tibi nominis hæc expers vis, facta minutis 280  
 Corporibus latet; atque animæ totius ipsa  
 Proporro est anima, & dominatur corpore toto.  
 Consimili ratione necesse est ventus, & aër,  
 Et calor inter se vigeant commista per artus;  
 Atque aliis aliud subsit magis, emineatque; 285  
 Ut quiddam fieri videatur de omnibus unum:  
 Ne calor, ac ventus seorsum, seorsumque potestas  
 Aëris interimant sensum, diductaque solvant.  
 Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira;  
 Cum ferviscit, & ex oculis micat acribus ardor. 290  
 Est & frigida multa comes formidinis aura;  
 Quæ ciet horrorem in membris, & concitat artus.  
 Est etiam quoque pacati status aëris ille,  
 Pectore tranquillo qui fit, voltuque sereno.  
 Sed calidi plus est illis, quibus acria corda, 295  
 Ira-

Iracundaque mens facile efferviscit in ira:

Quo genere in primis vis est violenta leonum;

Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes,

Nec capere irarum fluctus in pectore possunt.

At ventosa magis cervorum frigida mens est, 300

Et gelidas citius per viscera concitat auras;

Quæ tremulum faciunt membris existere motum.

At natura bouum placido magis aëre vivit;

Nec nimis irarum fax umquam subdita percit

Fumida, suffundens cæcæ caliginis umbras; 305

Nec gelidis torpet telis perfixa pavoris:

Inter utrosque sita est, cervos, sævosque leones.

Sic hominum genus est: quamvis doctrina politos

Constituatur pariter quosdam, tamen illa relinquit

Naturæ cujusque animæ vestigia prima. 310

Nec radicitus evelli mala posse putandum est,

Quin proclivius hic iras decurrat ad acreis;

Ille metu citius paullo tentetur; at ille

Tertius accipiat quædam clementius æquo.

Inque aliis rebus multis differre necesse est 315

Naturas hominum varias, moresque sequaceis:

Quorum ego nunc nequeo cæcas exponere causas,

Nec reperire figurarum tot nomina, quot sunt

Principiis, unde hæc oritur variantia rerum.

Illud in his rebus video firmare potesse, 320

Usque adeo naturarum vestigia linqui

Parvola, quæ nequeat ratio depellere dictis:

Ut nihil impediatur dignam diis degere vitam.

Hæc igitur natura tenetur corpore ab omni;

Ipsaque corporis est custos, & causa salutis; 325

Nam communibus inter se radicibus hærent:

Nec sine pernicie divelli posse videntur.

Quod genus, e turis glæbis evellere odorem

Haud facile est, quin intereat natura quoque ejus.

Sic animi, atque animæ naturam corpore toto 330

Extrahere haud facile est, quin omnia dissolvantur.  
 Implexis ita principiis ab origine prima  
 Inter se fiunt consorti prædita vita:  
 Nec sine vi quidquam alterius sibi posse videtur  
 Corporis, atque animi seorsum sentire potestas: 335  
 Sed communibus inter eos conflatur utrimque  
 Motibus accensus nobis per viscera sensus.

Præterea, corpus per se nec gignitur umquam,  
 Nec crescit, nec post mortem durare videtur.  
 Non enim, ut humor aquæ dimittit sæpe vaporem, 340  
 Qui datus est, neque ab hac causa convellitur ipse,  
 Sed manet incolumis: non, inquam, sic animai  
 Discidium possunt artus perferre relicti:  
 Sed penitus pereunt convolsi, conque putrescunt.  
 Ex ineunte ævo sic corporis atque animai 345  
 Mutua vitaleis discunt contagia motus,  
 Maternis etiam in membris, alvoque reposita;  
 Discidium ut nequeat fieri sine peste, maloque:  
 Ut videas, quoniam conjuncta est causa salutis,  
 Conjunctam quoque naturam consistere eorum. 350

Quod superest, si quis corpus sentire renutat;  
 Atque animam credit permixtam corpore toto  
 Suscipere hunc motum, quem sensum nominamus;  
 Vel manifestas res contra, verasque repugnat.  
 Quid sit enim corpus sentire quis afferet umquam? 355  
 Si non ipsa palam quod res dedit ac docuit nos?  
 At dimissa anima corpus caret undique sensu:  
 Perdit enim quod non proprium fuit ejus in ævo:  
 Multaque præterea perdit, cum expellitur ævo.

Dicere porro oculos nullam rem cernere posse; 360  
 Sed per eos animum ut foribus spectare reclusis;  
 Desipere est: contra cum sensus dicat eorum:  
 Sensus enim trahit, atque acies detrudit ad ipsas;  
 Fulgida præsertim cum cernere sæpe nequimus,  
 Lumina luminibus quia nobis præpediuntur: 365

Quod

Quod foribus non fit: neque enim, qua cernimus ipsi,  
Ostia suscipiunt ullum reclusa laborem.

Præterea, si pro foribus sunt lumina nostra,  
Jam magis exemptis oculis debere videtur

Cernere res animus sublatis postibus ipsis. 370

Illud in his rebus nequaquam sumere possis,  
Democriti quod sancta viri sententia ponit,

Corporis atque animi primordia singula primis  
Adposita alternis variare, ac neçtere membra.

Nam cum multo sunt animai elementa minora, 375

Quam quibus e corpus nobis & viscera constant;

Tum numero quoque concedunt, & rara per artus

Diffita sunt; dumtaxat ut hoc promittere possis,

Quantula prima queant nobis injecta ciere

Corpora sensiferos motus in corpore, tanta 380

Intervalla tenere exordia prima animai.

Nam neque pulveris interdum sentimus adhæsum

Corpore, nec membris incussam insidere cretam;

Nec nebulam noctu; nec aranei tenuia fila

Obvia sentimus, quando obretimur euntes; 385

Nec supra caput ejusdem cecidisse vietam

Vestem, nec plumas avium, papposque volanteis,

Qui nimia levitate cadunt plerumque gravatim:

Nec repentis itum cujusviscumque animantis

Sentimus; nec priva pedum vestigia quæque, 390

Corpore quæ in nostro culices, & cetera ponunt.

Usque adeo prius est in nobis multa ciendum

Semina, corporibus nostris immista per artus,

Quam primordia sentiscant concussa animai;

Et quam intervallis tantis tuditantia possint 395

Concurrare, coire, & dissultare vicissim.

Et magis est animus vitai claustra coercens,

Et dominantior ad vitam, quam vis animai.

Nam sine mente, animoque nequit residere per artus

Temporis exiguam partem pars ulla animai: 400

Sed

Sed comes insequitur facile, & discedit in auras;  
 Et gelidos artus in leti frigore linquit.  
 At manet in vita, cui mens animusque remansit,  
 Quamvis est circum-cæsis lacer undique membris: (405  
 Truncus, adempta anima circum, membrisque remotis,  
 Vivit, & ætherias vitaleis suscipit auras:  
 Si non omnimodis, at magna parte animæ  
 Privatus, tamen in vita cunctatur, & hæret.  
 Ut lacerato oculo circum si pupula mansit  
 Incolumis, stat cernendi vivata potestas; 410  
 Dummodo ne totum corrumpas luminis orbem,  
 Sed circumcidas aciem, solamque relinquas:  
 Id quoque enim sine pernicie confiet eorum.  
 At si tantula pars oculi media illa peresa est,  
 Incolumis quamvis alioqui splendidus orbis, 415  
 Occidit extemplo lumen, tenebræque sequuntur:  
 Hoc anima atque animus victi sunt fœdere semper.  
 Nunc age, nativos animantibus, & mortaleis  
 Esse animos, animasque leveis, ut noscere possis;  
 Conquisita diu, dulcique reperta labore, 420  
 Digna tua pergam disponere carmina vita.  
 Tu fac utrumque uno subjungas nomen eorum;  
 Atque animam, verbi causa, cum dicere pergam,  
 Mortalem esse docens; animum quoque dicere credas:  
 Quatinus est unum inter se, conjunctaque res est. 425  
 Principio, quoniam tenuem constare minutis  
 Corporibus docui, multoque minoribus esse  
 Principiis factam, quam liquidus humor aquæ est,  
 Aut nebula, aut fumus: nam longe mobilitate  
 Præstat, & a tenui causa magis icta movetur: 430  
 Quippe ubi imaginibus fumi, nebulæque movetur:  
 Quod genus, in somnis sopiti ubi cernimus alta  
 Exhalare vapore altaria, ferreque fumum:  
 Nam procul hæc dubio nobis simulacra genuntur:  
 Nunc igitur quoniam quassatis undique vasis 435

Diffluere humorem, & laticem discedere cernis:  
 Et nebula, ac fumus quoniam discedit in auras,  
 Crede animam quoque diffundi, multoque perire  
 Ocyus, & citius dissolvi corpora prima,  
 Cum semel omnibus e membris ablata recessit. 440  
 Quippe etenim corpus, quod vas quasi consistit ejus,  
 Cum cohibere nequit conquassatum ex aliqua re,  
 Ac rarefactum detracto sanguine venis;  
 Aëre qui credas posse hanc cohiberier ullo?  
 Corpore qui nostro rarus magis am cohibessit? 445

Præterea, gigni pariter cum corpore, & una  
 Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.  
 Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur  
 Corpore, sic animi sequitur sententia tenuis.  
 Inde ubi robustis adolevit viribus ætas; 450  
 Consilium quoque majus, & auctior est animi vis.  
 Post ubi jam validis quassatum est viribus ævi  
 Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus:  
 Claudicat ingenium, delirat linguaque, mensque;  
 Omnia deficiunt, atque uno tempore defunt. 455  
 Ergo dissolvi quoque convenit omnem animam  
 Naturam, ceu fumus in altas aëris auras:

Quandoquidem gigni pariter, pariterque videmus  
 Crescere, & ( ut docui ) simul ævo fessa fatiscit.  
 Huc accedit, uti videamus, corpus ut ipsum 460  
 Suscipere immane morbos, durumque dolorem:  
 Sic animum curas acris, luctumque, metumque.  
 Quare participem leti quoque convenit esse.

Quin etiam morbis in corporis avius errat  
 Sæpe animus; dementit enim; deliraque fatur: 465  
 Interdumque gravi lethargo fertur in altum,  
 Æternumque soporem, oculis, nutuque cadenti:  
 Unde neque exaudit voces, neque noscere vultus  
 Illorum potis est, ad vitam qui revocantes  
 Circumstant, lacrimis rorantes ora, genasque. 470

Qua-

Quare animum quoque dissolvi fateare necesse est:  
 Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.  
 Nam dolor, ac morbus, leti fabricator uterque est;  
 Multorum exitio perdocti quod sumus ante.

Denique cur, hominem cum vini vis penetravit 475  
 Acris, & in venas discessit diditus ardor;  
 Consequitur gravitas membrorum? præpediuntur  
 Crura vacillanti? tardescit lingua? madet mens?  
 Nant oculi? clamor, singultus, jurgia gliscunt?  
 Et jam cetera de genere hoc quæcumque sequuntur? 480  
 Cur ea sunt, nisi quod vehemens violentia vini  
 Conturbare animam consuevit corpore in ipso?  
 At quæcumque queunt conturbari, inque pediri,  
 Significant, ( paullo si durior insinuarit  
 Caussa, ) fore ut pereant, ævo privata futuro. 485

Quinetiam, subita vi morbi sæpe coactus  
 Ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu,  
 Concidit, & spumas agit, ingemit, & tremit artus;  
 Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat  
 Inconstanter, & in jactando membra fatigat: 490  
 Nimirum, quia vis morbi distracta per artus  
 Turbat agens animum, spumans ut in æquore falso  
 Ventorum validis ferviscit viribus unda.

Exprimitur porro gemitus, quia membra dolore  
 Afficiuntur; & omnino quod semina vocis 495  
 Ejiciuntur, & ore foras glomerata feruntur,  
 Qua quasi consuerunt, & sunt munita viai.  
 Desipientia fit, quia vis animi, atque animai  
 Conturbatur, & ( ut docui ) divisa seorsum  
 Disjectatur, eodem illo distracta veneno. 500

Inde, ubi jam morbi se flexit caussa, reditque  
 In latebras ater corrupti corporis humor,  
 Tum quasi talipedans primum consurgit; & omneis  
 Paullatim redit in sensus, animamque receptat.  
 Hæc igitur tantis ubi morbis corpore in ipso 505  
 Jacte-



Jactetur, miserisque modis distracta laboret:

Cur eandem credis sine corpore, in aëre aperto,  
Cum validis ventis ætatem degere posse?

Et quoniam mentem sanari, corpus ut ægram,  
Cernimus, & flecti medicina posse videmus: 510

Id quoque præfagit mortalem vivere mentem.

Addere enim parteis, aut ordine trajicere æquum est,  
Aut aliud prorsum de summa detrahere illū;

Commutare animum quicumque adoritur, & infit;  
Aut aliam quamvis naturam flectere quærit. 515

At neque transferri sibi parteis, nec tribui vult,  
Immortale quod est quidquam, neque defluere hilum.

Nam quodcumque suis mutatum finibus exit,  
Continuo hoc mors est illius quod fuit ante.

Ergo animus sive ægrescit, mortalia signa 520  
Mittit (uti docui;) seu flectitur a medicina:

Usque adeo falsæ rationi vera videtur

Res occurrere, & effugium præcludere eunti;

Ancipitique refutatu convincere falsum.

Denique sæpe hominem paullatim cernimus ire, 525  
Et membratim vitalem deperdere sensum:

In pedibus primum digitos livescere, & ungueis;

Inde pedes, & crura mori: post inde per artus

Ire alios tractim gelidi vestigia leti.

Scinditur atqui animæ quoniam natura, nec uno 530

Tempore sincera existit, mortalis habenda est.

Quod si forte putas ipsam se posse per artus

Introrsum trahere, & parteis conducere in unum;

Atque ideo cunctis sensum deducere membris:

At locus ille tamen, quo copia tanta animæ 535

Cogitur, in sensu debet majore videri.

Qui quoniam nusquam est, nimirum (ut diximus ante)

Dilaniata foras dispergitur; interit ergo.

Quin etiam, si jam libeat concedere falsum,

Et dare, posse animam glomerari in corpore eorum, 540

Lumina qui linqunt moribundi particulatim:  
 Mortalem tamen esse animam fateare necesse est.  
 Nec refert, utrum pereat dispersa per auras,  
 An contractis in se partibus obbrutescat: (545  
 Quando hominē totum magis, ac magis undique sensus  
 Deficit; & vitæ minus, & minus undique restat.  
 Et quoniam mens est hominis pars una, locoque  
 Fixa manet certo, velut aures, atque oculi sunt,  
 Atque alii sensus, qui vitam cumque gubernant:  
 Et veluti manus, atque oculus, nare sive seorsum 550  
 Secreta a nobis nequeant sentire, neque esse:  
 Sed tamen in parvo linquntur tempore tali:  
 Sic animus per se non quit sine corpore, & ipso  
 Esse homine; illius quasi quod vas esse videtur:  
 Sive aliud quidvis potis es conjunctius eii 555  
 Fingere; quandoquidem connexus corpori adhæret.  
 Denique corporis, atque animi vivata potestas  
 Inter se conjuncta valent, vitæque fruuntur.  
 Nec sine corpore enim vitales edere motus  
 Sola potest animi per se natura; nec autem 560  
 Cassum anima corpus durare, & sensibus uti.  
 Scilicet, avulsus radicitus ut nequit ullam  
 Displicere ipse oculus rem, seorsum corpore toto:  
 Sic anima atque animus per se nil posse videntur:  
 Nimirum, quia per venas, & viscera mistim 565  
 Per nervos, atque ossa tenentur corpore ab omni.  
 Nec magnis intervallis primordia possunt  
 Libera dissultare; ideo conclusa moventur  
 Sensiferos motus; quos extra corpus in auras  
 Aëris haud possunt post mortem ejecta moveri: 570  
 Propterea quia non simili ratione tenentur.  
 Corpus enim atque animans erit aër, si cohibere  
 Sese anima, atque in eo poterit concludere motus,  
 Quos ante in nervis, & in ipso corpore agebat.  
 Quare etiam atque etiam resoluta corporis omni 575  
 Tegmi-

Tegmine, & ejectionis extra vitalibus auris,  
 Dissolvi sensus animi fateare necesse est,  
 Atque animam, quoniam conjuncta est causa duobus.

Denique cum corpus nequeat perferre animam  
 Discidium, quin id tætro tabescat odore: 580  
 Quid dubitas, quin ex imo, penitusque coorta  
 Emanarit, uti fumus, diffusa animæ vis?

Atque ideo tanta mutatum putre ruina  
 Conciderit corpus penitus, quia mota loco sunt  
 Fundamenta foras animæ; manantque per artus, 585  
 Perque viarum omneis flexus, in corpore qui sunt,

Atque foramina? multimodis ut noscere possis  
 Disperitam animæ naturam exisse per artus:  
 Et prius esse sibi distractam corpore in ipso,  
 Quam prolapsa foras enaret in aëris auras. 590

Quin etiam sineis dum vitæ vertitur intra,  
 Sæpe aliqua tamen e causa labefacta videtur  
 Ire anima, & toto solvi de corpore membra;  
 Et quasi supremo languescere tempore voltus,  
 Molliaque exsanguini cadere omnia corpore membra: 595  
 Quod genus est, animo male factum cum perhibetur,  
 Aut animam liquisse, ubi jam trepidatur, & omnes  
 Extremum cupiunt vires reprendre vinculum.

Conquassatur enim tum mens, animæque potestas  
 Omnis: & hæc ipso cum corpore collabescunt: 600  
 Ut gravior paullo possit dissolvere causa.

Quid dubitas, tandem quin extra prodita corpus  
 Imbecilla foras, in aperto, tegmine demto,  
 Non modo non omnem possit durare per ævum,  
 Sed minimum quodvis nequeat consistere tempus? 605

Nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur  
 Ire foras animam incolumem de corpore toto;  
 Nec prius ad jugulum, & superas succedere fauceis:  
 Verum deficere in certa regione locatam:

Ut sensus alios, in parti quemque sua, scit 610

Dissolvi: quod si immortalis nostra foret mens,  
 Non jam se moriens dissolvi conquereretur:  
 Sed magis ire foras, vestemque relinquere, ut anguis,  
 Gauderet, prælonga senex aut cornua cervus. ( 615

Denique cur animi numquam mens, consiliumque  
 Gignitur in capite, aut pedibus, manibusve; sed unis  
 Sedibus, & certis regionibus omnis inhæret:

Si non certa loca ad nascendum reddita cuique  
 Sunt: & ubi quidquid possit durare creatum:

Atque ita multimodis pro totis artibus esse, 620

Membrorum ut numquam existat præposterus ordo?

Usque adeo sequitur res rem; neque flamma creati in

Fluminibus solita est, neque in igni gignier alior.

Præterea, si immortalis natura animæ est;

Et sentire potest secreta a corpore nostro: 625

Quinque (ut opinor) eam faciendum est sensibus auctâ:

Nec ratione alia nosmet proponere nobis

Possimus infernas animas Acherunte vagare.

Pictores itaque, & scriptorum sæcla priora

Sic animas introduxerunt sensibus auctas. 630

At neque seorsum oculi, neque nares, nec manus ipsa

Esse potest anima: neque seorsum lingua, nec aures

Absque anima per se possunt sentire, nec esse.

Et quoniam toto sentimus corpore inesse

Vitalem sensum, & totum esse animale videmus: 635

Si subito medium celeri præciderit ictu

Vis aliqua, ut seorsum partem fecernat utramque;

Dispertita proculdubio quoque vis animæ,

Et discissa, simul cum corpore disjicietur:

At quod scinditur, & parteis discedit in ulla, 640

Scilicet æternam sibi naturam abnuit esse.

Falciferos memorant currus abscindere membra

Sæpe ita desubito permista cæde calenteis,

Ut tremere in terra videatur ab artibus id, quod ( 645

Decidit abscissum: cum mens tamen, atque hominis vis

Mobilitate mali non quit sentire dolorem:

Et simul, in pugnae studio quod dedita mens est,

Corpore cum reliquo pugnam, caedeisque petissit:

Nec tenet; amissam laevam cum tegmine saepe

Inter equos abstraxe rotas, falceisque rapaceis: 650

Nec cecidisse alius dextram, cum scandit, & instat.

Inde alius conatur adempto surgere crure,

Cum digitos agit propter moribundus humi pes:

Et caput abscissum calido, viventeque trunco,

Servat humi voltum vitalem, oculosque patenteis; 655

Donec reliquias animae reddidit omneis.

Quin etiam tibi si lingua vibrante minantis

Serpentis caudam procero corpore, utrimque

Sit libitum in multas partes discindere ferro;

Omnia jam seorsum cernes amcisa recenti 660

Volnere tortari, & terram conspergere tabo;

Ipsam seque retro partem petere ore priorem,

Volneris ardenti ut morsu premat ista dolore.

Omnibus esse igitur totas dicemus in illis

Particulis animas? at ea ratione sequetur, 665

Unam animantem animas habuisse in corpore multas.

Ergo divisa est ea, quae fuit una simul cum

Corpore: quapropter mortale utrumque putandum est,

In multas quoniam partes discinditur aequae.

Præterea, si immortalis natura animae 670

Constat, & in corpus nascentibus insinuat:

Cur super anteaetam aetatem meminisse nequimus?

Nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus?

Nam si tantopere est animi mutata potestas,

Omnis ut actarum exciderit retinentia rerum: 675

Non ( ut opinor ) id ab leto jam longiter errat.

Quapropter fateare necesse est, quae fuit ante,

Interiisse: & quae nunc est, nunc esse creatam.

Præterea, si jam perfecto corpore nobis

Inferri solita est animi vivata potestas, 680

Tum cum gignimur, & vitæ cum limen inimus.  
 Haud ita conveniebat, uti cum corpore, & una  
 Cum membris videatur in ipso sanguine cresse:  
 Sed velut in cavea, per se sibi vivere solam  
 Convenit; ut sensu corpus tamen affluat omne. 685  
 Quare etiam atque etiam nec originis esse putandum est  
 Experteis animas, nec leti lege solutas.  
 Nam neque tantopere adnecti potuisse putandum est  
 Corporibus nostris extrinsecus insinuatæ:  
 Quod fieri totum contra manifesta docet res. 690  
 Namque ita connexa est per venas, viscera, nervos,  
 Ossaque, uti dentes quoque sensu participantur:  
 Morbus ut indicat, & gelidæ stringor aquæ,  
 Et lapis oppressus sub dente e frugibus asper:  
 Nec tam contextæ cum sint, exire videntur 695  
 Incolumes posse, & salvas exsolvere sese  
 Omnibus e nervis, atque ossibus, articulisque.  
 Quod si forte putas extrinsecus insinuatam  
 Permanare animam nobis per membra solere;  
 Tanto quæque magis cum corpore fusa peribit. 700  
 Quod permanat enim, dissolvitur: interit ergo.  
 Dispertitur enim per caulas corporis omneis:  
 Ut cibus in membra atque artus cum diditur omneis,  
 Disperit; atque aliam naturam sufficit ex se:  
 Sic anima atque animus quamvis integra recens in 705  
 Corpus eunt, tamen in manando dissolvuntur:  
 Dum quasi per caulas omneis diduntur in artus  
 Particulæ, quibus hæc animi natura creatur,  
 Quæ nunc in nostro dominatur corpore, nata  
 Ex illa, quæ tunc peritat partita per artus. 710  
 Quapropter neque natali privata videtur  
 Esse die natura animæ, nec funeris experts.

Semina præterea linquntur, necne, animam  
 Corpore in exanimo? quod si linquntur, & insunt,  
 Haud erit, ut merito immortalis possit haberi: 715

Partibus amissis quoniam libata recessit.  
 Sin ita sinceris membris ablata profugit,  
 Ut nullas parteis in corpore liquerit ex se;  
 Unde cadavera rancenti jam viscere vermeis  
 Exspirant? atque unde animantum copia tanta 720  
 Exos, & exanguis tumidos perfluctuat artus?

Quod si forte animas extrinsecus insinuari  
 Vermibus, & privas in corpora posse venire  
 Credis; nec reputas, cur millia multa animarum  
 Conveniant, unde una recesserit: hoc tamen est ut 725  
 Quærendum videatur, & in discrimen agendum:  
 Utrum tandem animæ venentur semina quæque  
 Vermiculorum, ipsæque sibi fabricentur ubi sint:  
 An jam corporibus perfectis insinuentur.

At neque cur faciant ipsæ, quareve laborent, 730  
 Dicere suppeditat; neque enim sine corpore cum sint,  
 Sollicitæ volitant morbis, algoque, fameque.

Corpus enim magis his vitiis ad fine laborat:  
 Et mala multa animus contage fungitur ejus.  
 Sed tamen his esto quamvis facere utile corpus, 735

Quod subeant: at qua possint, via nulla videtur.  
 Haud igitur faciunt animæ sibi corpora, & artus.  
 Nec tamen est ut jam perfectis insinuentur

Corporibus, neque enim poterunt subtiliter esse  
 Connexæ; neque consensu contagia fient. 740

Denique cur actis violentia triste leonum  
 Seminium sequitur: dolus volpibus, & fuga cervis  
 A patribus datur, & patrius pavor incitat artus?

Et jam cetera de genere hoc, cur omnia membris  
 Ex ineunte ævo ingenerascunt, inque genuntur; 745

Si non certa suo quia semine, seminioque  
 Vis animi pariter crescit cum corpore toto?

Quod si immortalis foret, & mutare soleret  
 Corpora, permistis animantes moribus essent:

Effugeret canis Hyrcano de semine sæpe 750

Cornigeri incursum cervi; tremetque per auras  
Aëris accipiter fugiens veniente columba:

Despererent homines; saperent fera sæcla ferarum.

Illud enim falsa fertur ratione, quod ajunt,  
Immortalem animam mutato corpore flecti: 755

Quod mutatur enim, dissolvitur: interit ergo.

Trajiciuntur enim partes, atque ordine migrant;

Quare dissolvi quoque debent posse per artus,

Denique ut intereant una cum corpore cunctæ.

Sin animas hominum dicent in corpora semper 760

Ire humana; tamen quæram cur e sapienti

Stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus?

Nec tam doctus equæ pullus, quam fortis equi vis?

Si non certa suo quia semine, seminioque

Vis animi pariter crescit cum corpore toto. 765

Scilicet in tenero tenerascere corpore mentem

Confugient; quod si jam sit, fateare necesse est,

Mortalem esse animam; quoniam mutata per artus

Tantopere amittit vitam, sensumque priorem.

Quove modo poterit pariter cum corpore quoque 770

Confirmata cupitum ætatis tangere florem

Vis animi, nisi erit consors in origine prima?

Quidve foras sibi vult membris exire senectis?

An metuit conclusa manere in corpore putri?

Et domus ætatis spatium ne fessa vetusto 775

Obruat? at non sunt immortalis ulla pericla.

Denique connubia ad Veneris, partusque ferarum

Esse animas præsto, deridiculum esse videtur;

Et spectare immortales mortalia membra

Innumero numero; certareque præproperanter 780

Inter se quæ prima, potissimaque insinuetur:

Si non forte ita sunt animarum fœdera pacta,

Ut quæ prima volans advenerit, insinuetur

Prima; neque inter se contendant viribus hilum.

Denique in æthere non arbor, non æquore in alto 785

Nu-



Nubes esse queunt, nec pisces vivere in arvis;  
Nec cruor in lignis, nec faxis succus inesse:

Certum ac dispositum est, ubi quidquid crescat, & insit:

Sic animi natura nequit sine corpore oriri

Sola, neque a nervis, & sanguine longius esse. 790

Hoc si posset enim, multo prius ipsa animi vis

In capite, aut humeris, aut imis calcibus esse

Posset; & innasci quavis in parte soleret:

Tandem in eodē homine, atque in eodem vase maneret.

Quod quoniam in nostro quoque constat corpore certum;

Dispositumque videtur, ubi esse, & crescere possit

Seorsum anima, atque animus: tanto magis inficiandum

Totum posse extra corpus durare, genique.

Quare, corpus ubi interiit, periisse necesse est

Confiteare animam distractam in corpore toto. 800

Quippe etenim mortale æterno jungere, & una

Consentire putare, & fungi mutua posse,

Desipere est: quid enim diversius esse putandum est,

Aut magis inter se disjunctum, discrepansque,

Quam, mortale quod est, immortalī, atque perenni 805

Junctum, in concilio sævas tolerare procellas?

Præterea, quæcumque manent æterna, necesse est,

Aut quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,

Nec penetrare pati sibi quidquam, quod queat arctas

Dissociare intus parteis; ut materiai 810

Corpora sunt; quorum naturam ostendimus ante:

Aut ideo durare ætatem posse per omnem,

Plagarum quia sunt expertia; sicut inane est;

Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:

Aut ideo, quia nulla loci sit copia circum, 815

Quo quasi res possint discedere, dissolvique:

Sicut summarum summa est æterna, neque extra

Quis locus est, quo diffugiat: neque corpora sunt, quæ

Possint incidere, & valida dissolvere plaga.

At neque (uti docui) solido cum corpore mentis 820

Natura est; quoniam admistum est in rebus inane:  
 Nec tamen est ut inane: neque autem corpora desunt,  
 Ex infinito quæ possint forte coorta  
 Proruere hanc mentis violento turbine molem;  
 Aut aliam quamvis cladem importare pericli: 825  
 Nec porro natura loci, spatiumque profundi  
 Deficit, exspergi quo possit vis animæ;  
 Aut alia quavis possit vi pulsa perire.  
 Haud igitur leti præclusa est janua menti.

Quod si forte ideo magis immortalis habenda est, 830  
 Quod letalibus ab rebus munita tenetur;  
 Aut quia non veniunt omnino aliena salutis;  
 Aut quia quæ veniunt, aliqua ratione recedunt  
 Pulsa prius, quam, quid noceant, sentire queamus:  
 Scilicet a vera longe ratione remotum est. 835  
 Præter enim quam quod morbis tum corporis ægrit,  
 Advenit id, quod eam de rebus sæpe futuris  
 Macerat, inque metu male habet, curisque fatigat:  
 Præteritisque admissa annis peccata remordent. (840  
 Adde furorem animi proprium, atque obliviam rerum;  
 Adde quod in nigras lethargi mergitur undas.

Nil igitur mors est; ad nos neque pertinet hilum;  
 Quandoquidem natura animi mortalis habetur:  
 Et velut anteacto nil tempore sensimus ægri,  
 Ad confligendum venientibus undique Pænis; 845  
 Omnia cum belli trepido concussa tumultu  
 Horrida contremuere sub altis ætheris auris:  
 In dubioque fuit sub utrorum regna cadendum  
 Omnibus humanis esset, terraque marique:  
 Sic ubi non erimus, cum corporis, atque animæ 850  
 Discidium fuerit, quibus e sumus uniter apti;  
 Scilicet haud nobis quidquam, qui non erimus tum,  
 Accidere omnino poterit, sensumque movere:  
 Non si terra mari miscebitur, & mare cælo.

Et, si jam nostro sentit de corpore, postquam 855

Distracta est animi natura, animæque potestas;  
 Nil tamen hoc ad nos, qui cœtu, conjugioque  
 Corporis, atque animæ consistimus uniter apti.  
 Nec, si materiam nostram conlegerit ætas  
 Post obitum, rursusque redegerit, ut sita nunc est; 860  
 Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ;  
 Pertineat quidquam tamen ad nos id quoque factum,  
 Interrupta semel cum sit repetentia nostra.  
 Et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante  
 Qui fuimus; nec jam de illis nos afficit angor, 865  
 Quos de materia nostra nova proferet ætas.  
 Nam cum respicias immensi temporis omne  
 Præteritum spatium; tum motus materiai  
 Multimodi quam sint; facile hoc adcredere possis,  
 Semina sæpe in eodem, ut nunc sunt, ordine posita: 870  
 Nec memori tamen id quimus deprendere mente.  
 Inter enim jecta est vitæ pausa, vageque  
 Deerrarunt passim motus ab sensibus omnes.

Debet enim, misere quoi forte ægreque futurum est,  
 Ipse quoque esse in eo tum tempore, cum male possit 875  
 Accidere: At quoniam mors eximit im, prohibetque  
 Illum, cui possint incommoda conciliari  
 Hæc eadem, in quibus & nunc nos sumus, ante fuisse;  
 Scire licet nobis nihil esse in morte timendum:  
 Nec miserum fieri, qui non est, posse: neque hilum 880  
 Differre, an nullo fuerit jam tempore natus,  
 Mortalem vitam mors cui immortalis ademit.

Proinde ubi se videas hominem miserarier ipsum,  
 Post mortem fore, ut aut putrescat corpore posto,  
 Aut flammis interfiat, malisve ferarum: 885  
 Scire licet, non sincerum sonere; atque subesse  
 Cæcum aliquem cordi stimulum, quamvis neget ipse  
 Credere se quemquam sibi sensum in morte futurum.  
 Non (ut opinor) enim dat, quod promittit; & inde  
 Nec radicitus e vita se tollit, & eicit; 890

Sed

Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.  
 Vivus enim sibi cum proponit quisque, futurum  
 Corpus uti volucres lacerent in morte, feræque;  
 Ipse sui miseret: neque enim se vindicat hilum,  
 Nec removet satis a projecto corpore; & illud 895  
 Se fingit, sensuque suo contaminat adstans.  
 Hinc indignatur se mortalem esse creatum;  
 Nec videt, in vera nullum fore morte alium se;  
 Qui possit vivus sibi se lugere peremtum;  
 Stansque jacentem; nec lacerari, urive dolore. 900  
 Nam si in morte malum est malis morsuque ferarum  
 Tractari; non invenio qui non sit acerbum  
 Ignibus impositum calidis torrescere flammis;  
 Aut in melle situm suffocari; atque rigere  
 Frigore cum in summo gelidi cubat æquore saxi: 905  
 Urgerive superne obtritum pondere terræ.

At jam non domus accipiet te læta; neque uxor  
 Optima, nec dulces occurrent oscula nati  
 Præripere, & tacita pectus dulcedine tangent:  
 Non poteris factis tibi fortibus esse, tuisque 910  
 Præsidio: Miser! o miser! ajunt, omnia ademit  
 Una dies infesta tibi tot præmia vitæ.  
 Illud in his rebus non addunt, Nec tibi earum  
 Jam desiderium rerum super infidet una.  
 Quod bene si videant animo, dictisque sequantur, 915  
 Dissolvant animi magno se angore, metuque.  
 Tu quidem ut es leto sopitus, sic eris ævi  
 Quod superest, cunctis privatus doloribus ægris:  
 At nos horrifico cinectum te prope busto  
 Infatiabiliter deflebimus; æternumque 920  
 Nulla dies nobis mœrorem e pectore demet.  
 Illud ab hoc igitur quærendum est, quid sit amari  
 Tantopere, ad somnum si res redit, atque quietem,  
 Cur quisquam æterno possit tabescere luctu?

Hoc etiam faciunt, ubi discubuerè, tenentque 925  
 Pocu-

Pocula sæpe homines, & inumbrant ora coronis,  
 Ex animo ut dicant, Brevis hic est fructus homullis:  
 Jam fuerit, neque post unquam revocare licebit.

Tamquam in morte mali cum primis hoc sit eorum,  
 Quod sitis exurat miseros, atque arida torreat; 930  
 Aut aliæ cuius desiderium infideat rei.

Nec sibi enim quisquam tum se, vitamque requirit,  
 Cum pariter mens & corpus sopita quiescunt:

( Nam licet æternum per nos sic esse soporem )

Nec desiderium nostri nos adrigit ullum: 935

Et tamen haudquaquam nostros tunc illa per artus  
 Longe ab sensiferis primordia motibus errant:

Quin conreptus homo ex somno se conligit ipse.

Multo igitur mortem minus ad nos esse putandum;  
 Si minus esse potest, quam quod nihil esse videmus. 940

Major enim turbæ disiectus materiai

Consequitur leto; nec quisquam expergitus exstat,  
 Frigida quem semel est vitæ pausa secuta.

Denique si vocem rerum natura repente

Mittat, & hoc aliquoi nostrum sic increpet ipsa: 945

Quid tibi tantopere est, mortalis, quod nimis ægris  
 Luctibus indulges? quid mortem congemis, ac fles?

Nam si grata fuit tibi vita antea, priorque;

Et non omnia, pertusum congesta quasi in vas,

Commoda perfluxere, atque ingrata interiere: 950

Cur non, ut plenus vitæ conviva, recedis?

Æquo animoque capis securam, stulte, quietem?

Sin ea, quæ fructus cumque es, periere profusa;

Vitaque in offensus est; cur amplius addere quæris,

Rursum quod pereat male, & ingratum occidat omne?

Non potius vitæ finem facis, atque laboris?

Nam tibi præterea quod machiner, inveniamque

Quod placeat, nihil est: eadem sunt omnia semper.

Si tibi non annis corpus jam marcet, & artus

Confecti languent, eadem tamen omnia restant, 960

Omnia

Omnia si pergas vivendo vincere sæcla:  
 Atque etiam potius, si numquam sis moriturus.  
 Quid respondeamus, nisi justam intendere litem  
 Naturam? & veram verbis exponere causam?  
 At qui obitum lamentetur miser amplius æquo, 965  
 Non merito inclamet magis, & voce increpet acri?  
 Aufer ab hinc lacrimas, barathro, & compesce querelas.  
 Grandior hic vero si jam, seniorque queratur:  
 Omnia perfructus vitæ præmia, marces: (970  
 Sed quia semper aves, quod abest, præsentia temnis,  
 Imperfecta tibi elapsa est, ingrataque vita:  
 Et nec opinanti mors ad caput adstitit ante,  
 Quam satur, ac plenus possis discedere rerum.  
 Nunc aliena tua tamen ætate omnia mitte; (975  
 Æquo animoque, agedum, jam aliis concede: necesse est.  
 Jure (ut opinor) agat, jure increpet, incilietque:  
 Cedit enim rerum novitate extrusa vetustas  
 Semper; & ex aliis aliud reparare necesse est:  
 Nec quidquam in barathrum, nec tartara decidit atra.  
 Materies opus est, ut crescant postera sæcla: 980  
 Quæ tamen omnia te, vita perfuncta, sequentur.  
 Nec minus ergo ante hæc, quam nunc, cecidere, cadentque.  
 Sic aliud ex alio numquam desistet oriri;  
 Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.  
 Respice item quam nil ad nos antea cta vetustas 985  
 Temporis æterni fuerit, quam nascimur ante.  
 Hoc igitur speculum nobis natura futuri  
 Temporis exponit, post mortem denique nostram.  
 Numquid ibi horribile apparet? num triste videtur  
 Quidquam? nonne omni somno securius exstat? 990  
 Atque ea nimirum, quæcumque Acherunte profundo  
 Proditæ sunt esse, in vita sunt omnia nobis.  
 Nec miser impendens magnum timet aëre saxum  
 Tantalus, ut fama est, cassa formidine torpens:  
 Sed magis in vita divum metus urget inanis 995

Mortaleis; casumque timent, quemcumque ferat fors.

Nec Tityon volucres ineunt Acherunte jacentem;  
Nec, quod sub magno scrutentur pectore, quidquam  
Perpetuam ætatem poterunt reperire profecto,

Quamlibet immani projectu corporis exstet: 1000

Qui non sola novem dispensis jugera membris  
Obtineat, sed qui terrarum totius orbem:

Non tamen æternum poterit perferre dolorem,

Nec præbere cibum proprio de corpore semper:

Sed Tityos nobis hic est, in amore jacentem 1005

Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor,

Aut alia quavis scindunt cuppedine curæ.

Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,

Qui petere a populo fasceis, sævasque secureis

Imbibit, & semper victus, tristisque recedit: 1010

Nam petere imperium, quod inane est, nec datur umquam;

Atque in eo semper durum sufferre laborem;

Hoc est adverso nixantem trudere monte

Saxum; quod tamen a summo jam vertice rursus

Volvitur, & plani raptim petit æquora campi. 1015

Deinde animi ingratham naturam pascere semper,

Atque explere bonis rebus, satiareque numquam:

Quod faciunt nobis annorum tempora, circum

Cum redeunt, fœtusque ferunt, variosque lepores;

Nec tamen explemur vitam fructibus umquam: 1020

Hoc (ut opinor) id est, ævo florente puellas

Quod memorant, laticem pertusum congerere in vas;

Quod tamen expleri nulla ratione potestur.

Cerberus, & Furiarum jam vero, & lucis egenus

Tartarus, horriferos eructans faucibus æstus, 1025

Hæc neque sunt usquam, neque possunt esse profecto.

Sed metus in vita pœnarum pro malefactis

Est insignibus insignis, scelerisque luela

Carcer, & horribilis de saxo jactus deorsum;

Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ: 1030

Quæ

Quæ tamen etsi absunt, at mens sibi conscia facti,  
 Præmetuens, adhibet stimulos, torretque flagellis;  
 Nec videt interea, qui terminus esse malorum  
 Possit, nec quæ sit pœnarum denique finis: (1035  
 Atque eadem metuit, magis hæc ne in morte gravescant:  
 Hinc Acherusia fit stultorum denique vita.

Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis:  
 Lumina sis oculis etiam bonus Ancus reliquit,  
 Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus.  
 Inde alii multi reges, rerumque potentes 1040  
 Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.

Ille quoque ipse, viâ qui quondam per mare magnum  
 Stravit, iterque dedit legionibus ire per altum,  
 Ac pedibus falsas docuit super ire lacunas,  
 Et contempsit aquis insultans murmura ponti; 1045  
 Lumine adempto, animam moribundo corpore fudit.

Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror,  
 Ossa dedit terræ, proinde ac famul. infimus esset.

Adde repertores doctrinarum, atque leporum; (1050  
 Adde Heliconiadum comites; quorum unus Hømerus  
 Sceptra potitus, eadem aliis sopitus quiete est.

Denique Democritum postquam matura vetustas  
 Admonuit memorem motus languescere mentis;  
 Sponte sua leto caput obvius obtulit ipse.

Ipse Epicurus obiit decurso lumine vitæ, 1055  
 Qui genus humanum ingenio superavit, & omneis  
 Præstinxit, stellas exortus uti ætherius sol.

Tu vero dubitabis, & indignabere obire,  
 Mortua quoi vita est prope jam vivo, atque videnti?  
 Qui somno partem majorem conteris ævi? 1060  
 Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas,  
 Sollicitamque geris cassa formidine mentem?

Nec reperire potes, quid sit tibi sæpe mali, cum  
 Ebrius urgeris multis miser undique curis,  
 Atque animo incerto fluitans errore vagaris? 1065



Si possent homines, proinde ac sentire videntur,  
 Pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget;  
 Et quibus id fiat caussis cognoscere, & unde  
 Tanta mali tamquam moles in pectore constet: (1070  
 Haud ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus,  
 Quid sibi quisque velit, nescire, & quærere semper;  
 Commutare locum, quasi onus deponere possit.

Exit sæpe foras magnis ex ædibus ille,  
 Esse domi quem pertæsum est; subitoque revertit:  
 Quippe foris nihilo melius qui sentiat esse. 1075

Currit agens mannos ad villam hic præcipitanter,  
 Auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans:  
 Oscitat extemplo, tetigit cum limina villæ;  
 Aut abit in somnum gravis, atque obliviam quærit;  
 Aut etiam properans urbem petit, atque revisit. 1080  
 Hoc se quisque modo fugit: at, quem scilicet, ut sit,  
 Effugere haud potis est, ingratis hæret, & angit:  
 Propterea, morbi quia causam non tenet æger:  
 Quam bene si videat, jam, rebus quisque relictis  
 Naturam primum studeat cognoscere rerum: 1085  
 Temporis æterni quoniam, non unius horæ,  
 Ambigitur status; in quo sit mortalibus omnis  
 Ætas post mortem, quæ restat cumque, manenda.

Denique tantopere in dubiis trepidare periclis  
 Quæ mala nos subigit vitæ tanta cupido? 1090  
 Certa quidem finis vitæ mortalibus adstat;  
 Nec devitari letum pote, quin obeamus.

Præterea, versamur ibidem, atque infumus usque:  
 Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas.  
 Sed dum abest, quod avemus, id exsuperare videtur 1095  
 Cetera: post aliud, cum contigit illud avemus;  
 Et sitis æqua tenet vitæ semper hiantis:  
 Posteraque in dubio est fortunam quam vohat ætas;  
 Quidve ferat nobis casus; quive exitus instet.

Nec prorsum, vitam ducendo, demimus hilum 1100

Tempore de mortis; nec delibrare valemus,  
 Quo minus esse diu possimus morte peremti.  
 Proinde licet quotvis vivendo condere sæcla;  
 Mors æterna tamen nihilo minus illa manebit:  
 Nec minus ille diu jam non erit, ex hodierno 1105  
 Lumine qui finem vitæ fecit, & ille,  
 Mensibus, atque annis qui multis occidit ante.

### CREECHII CENSURA.

**C**Um de materia, ejusque motibus, (si modo opiniones quæ Providentiam impugnent excipias) disputet Lucretius, quis Philosophorum prudentius, aut rei ipsi accommodatius? De rebus vero a sensu remotis, de Anima, ejusque facultatibus differente nemo vanior aut ineptior. Qualem vero sibi Animam effingit? En ipsa adest. Substantia Corporea tenuis, composita e minutis & volubilibus particulis Auræ, Aëris, & Caloris, quæ ita per totum corpus sitæ sunt, ut parvis intervallis sint a se invicem disjunctæ. His tribus addas quartum Nescio quid innominatum, persubtile, & maxime mobile, quod in pectore situm sit sensus principium, & imagines ab omnibus rebus venientes percipiat, & tum perfecta & consummata erit Epicuri Anima. Breviter, concipe araneum in pyxide, qui per totam istius pyxidis cavitatem telam texat, mediamque ipse incolat: advolent deinde muscæ, & fila moveant, quo motu excitatus araneus filamenta tractet, muscas irretiat, & captas devoret. Hæc concipe, & habebis imaginem Epicuræ Animæ captantis εἰδωλα, qua nulla unquam fuerit similior. Hæc vero digna sunt Philosopho commenta!

Animam non esse corporis Harmoniam, a v. 94. ad v. 136. satis probatum. Inde usque ad v. 162. frustra Animum,

mum, dominum videlicet, vili seruo Animæ conjungit. Vehementi metu concusso Animo, laborat Anima, fatëor: sic tremente citharædo debitos sonos cithara non reddit. Pari successu usque ad v. 177. Animum corporeum esse evincere conatur; quod enim argumentis confirmare debuit, id tamquam certum sibi sumit: pertinaciter enim affirmamus Contactum posse esse sine corpore.

Dum vero Animam corpoream esse nondum probaverit, quid de illius subtilitate usque ad v. 231. inquiramus? Fatendum tamen Poëtam evidenter demonstrasse, Animæ particulas (si modo corporea foret) debere esse subtiles & volubiles. Nec de compositione Animæ usque ad v. 323. litigemus, nam ex Aëris, Auræ, & Caloris Seminibus non minus apte componat Animum quam ex alicujus alius materiæ particulis. Quod vero, v. 280. tribus hisce rebus quartum aliquod innominatum addat, ideo confitetur nullum genus Corporis concipi, aut excogitari posse, quod sensus sit principium.

Prudenter autem tenuis Animi salutem denso validoque Corpori commendat usque ad v. 350. & usque ad v. 370. Corpori etiam facultatem sentiendi largitur. Quid autem stultius? quid a communi sensu remotius? quid denique ipsius placitis minus accommodatum? Unde enim Corpus sit sensus particeps; cui nihil quartæ istius innominatæ rei immiscetur? Deinde ad v. 396. contra Democritum feliciter disputet, nec repugno; non enim inquirō ultra sententia potior sit, dum utraque est absurda. Et ut modo Animum Corpori conservandum credidit, sic ad v. 417. Corporis custodiam vicissim Animo commendet: istam tutelam non invideo. Argumenta vero quibus ipsum Animum expugnat, consideremus.

Primum a v. 425. ad v. 445. tenuem & subtilem corpoream substantiam, qualem Animum supponit esse, distrahit & dispergit. Atque id fiat per me licet: Corporeus sit Animus, & quamvis crassus, & e particulis implexis

conjunctus sit, eum tamen dissolubilem fatebor.

Secundum, a v. 445. ad v. 459. Tertium, a v. 460. ad v. 464. & Quartum, a v. 464. ad v. 473. nihil efficiunt: Animum enim una cum corpore nasci, adolescere, & senescere minime sentimus. Corpus nasci, adolescere, atque senescere sentimus: in Animo neque decrementum, neque incrementum experimur. At vero in Infante non viget Animus, in Senes deficit. Quo argumento? nempe ineptus est Puer, & Senex desipit. Similiter artificem peritissimum in machina colloces, aliæ vero partes istius machinæ nimis rigescant, aliæ sint equo flaccidiores, deterantur aliæ, aliæ autem nimis turgescant; & deinde stulte expectabis ordinatos motus, licet maxime elaboret peritissimus ille artifex. Deinde curas, luctumque suscipit Animus: ergo est dissolubilis. Quia, videlicet (alia non jam occurrit ratio) luctus penetrans, & curæ edaces alibi appellantur. Digna mortali & corporeo Animo ista ratiocinatio! Quarto autem argumento eadem responsio quæ Secundo, satisfacit.

Tribus sequentibus argumentis, a v. 475. ad v. 524. Medici respondeant; quamquam nil opus est responso. Crura vacillent, tardescat lingua, & natent oculi: quid hæc ad Animum? Jurgia denique gliscant; neque id quidem mirum: quemadmodum quantumlibet alioquin peritus fuerit citharistes, non poterit tamen non dissonantes cantilenas exprimere, si perturbate intenderit, ac distenderit chordas citharæ, quæ harmonice ante pulsabatur. Similiter in morbo Epileptico ater ille humor organa deturbat, atque inde isti motus incompositi. Cum vero organa tantum afficiat, & debilitet Morbus, quid aliud restituat Medicina? Septimum, a v. 525. ad v. 546. asserit Animam hominis membratim morientis sensim deficere atque interire: quasi frigescere non possint Artus, nisi Anima etiam frigescat. Hoc vero argumentum supponit Animam Corpoream esse, & per totum corpus diffusam; quod nondum probavit,

¶, certo scio, nemo unquam demonstrabit.

Octavum, a v. 547. ad v. 556. nihil agit. Neque enim ab alio intelligendi aut ratiocinandi vim habet Anima, quemadmodum Auris audiendi, aut Oculus videndi mutuatur; verum a seipsa id habet, ac idcirco mirum non est, si se juncta a Corpore Auris non audiat, neque se junctus Oculus videat, secreta autem a Corpore Mens intelligat ac ratiocinetur.

Nono a v. 557. ad v. 578. hoc modo respondendum: Ut dum videmus Militem gladio aliisque armis pugnantem, non dicitur tamen illum armis destitutum non posse plagam ullam inferre, cum manus adhuc suppetant quibus infligere ictus possit; sic cum Anima membris undique, ut panoplia quadam induatur, organisque adeo corporeis varias functiones obeat, dicendum tamen non est, ubi istam omnem quasi militarem apparatus exuerit, nullam ipsi neque intelligendi neque sentiendi superesse functionem.

Decimi argumenti, a v. 579. ad v. 590. vires nemo agnoscet, nisi qui senserit Animum esse quasi fundamentum totius Animalis, & Corpus Animo tamquam sale aliquo condiri, ne foeteat & putrescat.

Undecimum, a v. 591. ad v. 605. nihil aliud est quam in verbo lusum; ideo enim vim aliquam videtur habere, quia ista spirituum defectio appellatur Animi deliquium.

Duo sequentia, a v. 606. ad v. 623. negant Animam exire posse integram, nisi per fauces expiretur; nec absurde quidem, si Corporeus foret Animus. Addunt insuper Animam futuram dissolutionem metuentem ægre atque invito exire. Respondet apud Ciceronem Cato: Quid quod sapientissimus quisque æquissimo Animo moritur: stultissimus iniquissimo? Nonne vobis videtur Animus is qui plus cernat & longius, videre se ad meliora proficisci: ille autem cujus obtusior acies, non videre? Equidem efferor studio patres vestros, quos colui & dilexi, videndi: neque vero eos solum convenire a veo,

sed illos etiam de quibus audiui, & legi, & ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud scio quis facile retraxerit. Quod si quis Deus mihi largiatur ut ex hac ætate repuerascam, & in cunis vagiam, valde recusem: nec vero velim, quasi decurso spatio, a calce ad carceres revocari. Demum affirmant Animum, quoniam in pectore hominis semper situs est ( si Epicurum videlicet audiamus ) extra pectus non posse integrum manere; quasi aves in nido natæ extra illum versari nequeant.

Decimum quintum, a v. 624. ad v. 633. ejusdem est cum reliquis farinæ, & vulgus sapit. Nec Decimum sextum a v. 634. ad v. 669. tam fuse explicasset Poëta, si motum animale, eaque instrumenta quæ isti perficiendo inserviunt, perspexisset. Sequenti a v. 670. ad v. 678. Plato & Pythagoras respondeant; istos enim solos premit, & alia jam ago. Decimum septimum & octavum, a v. 679. ad v. 712. supponunt Animum Corporeum per totum corpus diffundi, & cunctis illius partibus alligari; quoniam falsius aut absurdus. In capite, tamquam princeps in solio, residet, ibique dominatur.

Quam inutilis sit ista, a v. 713. ad v. 740. de Vermibus observatio, omnes sentiunt qui vermes in terra, planta, caseo, rebus profecto nunquam animatis, genitos vident.

Qui Animarum Transmigrationem defendunt, isti effugiant nodos quos neclit Poëta, a v. 741. ad v. 769. Et deinde a v. 770. ad v. 776. absurdus foret Animus, nisi cuperet Corpus vividum & viciens, fugeretque senio confectum. De sequentibus a v. 777. ad v. 784. isti videant, si qui sint, qui Pythagoricas nugæ aliquid esse putent. Quoniam vero Vigessimum quartum, a v. 785. ad v. 800. idem est cum Decimo quarto, ideo non alia hic quam illic adhibenda est responsio.

A v. 801. ad v. 866. Rem immortalem rei mortali con-

*jungere præstantissimis Philosophis nondum visum fuit incongruum, aut absurdum. Deinde contra, a v. 807. ad v. 829. quartum genus rerum constituo, incorporeas videlicet substantias immortales: idque impudenter negabit Epicurus, cum Deos suos æternos & indissolubiles constituerit. Demum, a v. 830. ad v. 841. luctu penetranti affici, & curis edacibus vexari Animum, & corpore morbis quibusdam correpto, illum debitas functiones exercere non posse confitemur: at vero Animum inde fieri mortalem pertinaciter negamus.*

*Jam vero copiosius ostenderem, frustra hæc omnia argumenta congerere & explicare Lucretium; Mortis enim metum non tollunt. Quippe iis qui bonis prosperisque rebus utuntur, quid calamitosius ista Morte que sit σέπσις αἰσθίνεως? Et miseris talem Mortem proponere qua exstinguantur penitus, sicque miseriarum sit finis, perinde est ac si jactato tempestatum sævitia proponatur naufragium, quo submersus suffocatusque procellam deinceps sensurus non sit. Hoc est egregium quod præstant Epicuri dogmata, solatium. Quod tamen, quale quale est, Bonis omnibus & Piis invisum ac ingratum: & Impios solos, quos nulla Philosophia curare debuit, jurabit.*




LIBRI QUARTI  
ARGUMENTUM.

**Q**ua supra libro primo usus est comparatione Lucretius, ut Memmii sui animum tantisper a contentione relaxaret, eadem hunc librum quartum a v. 1. ad v. 26. auspicatur, ut auditorem sibi docilem reddat, & attentum. II. Libri hujus proponit argumentum, quod ex industria cum superioribus connectit. Cum enim primo & secundo libro abunde docuerit, quæ & qualia sint rerum Primordia, quibus figuris distincta, quo motu ferantur, ac ceteras res procreent; libro vero tertio Animæ atque Animi naturam fusius explicaverit; merito sane a v. 26. ad v. 46. hanc aliam subnectit disputationem de sensatione tam vigilantium quam dormientium. Quam disputationem ut ex ordine absolvat, a Simulacris exorditur, quibus omnem sensationem fieri contendit. Docet itaque III. a rerum superficie tenuia quædam & subtilissima Simulacra mitti, quæ passim per aëra volitant, sigillatim tamen sub visum non cadunt, nisi a speculis aut aqua repulsa in oculos incurrant, a v. 46. ad v. 108. IV. Subtilitatem horum Simulacrorum demonstrat, & subinde exiguitatem Primordiorum confirmat, ad v. 129. V. Simulacrorum duplex distinguit genus, alterum eorum quæ sponte sua generantur in aëre, qualia nonnumquam videmus fieri in nubibus, quæ modo gigantum, modo montium, aut belluarum imagines imitantur; alterum eorum quæ a rerum superficie avolant, quasi tenues rerum exuvie: & deinde a rerum superficie has exuvias perpetuo oriri docet, & ea motus celeritate per aëra ferri, ut luminis solaris jactum facile superent, a v. 129. ad v. 217. VI. Quia Visus omnium sensuum primus habetur,



betur, ab eo exorditur; quem ex Simulacrorum seu Imaginum incurſu fieri docet. Interim autem explicat ea omnia quæ ad Viſus cauſſas ſpectant, variaque de Viſu problemata proponit, quæ rite ſolvit & explicat, a v. 217. ad v. 471. VII. Ne vero aliquis ex problematis modo explicatis ſenſus fallaciæ arguat, illorum dignitatem copioſe adſtruit, a v. 471. ad v. 524. Et ſubinde Scepticos præcipue a v. 471. ad v. 479. refutat: & demum aſſerit omnem Veritatem fidei ſenſuum inniti. VIII. His ita de Viſu diſputatis, ceteros ſenſus aggreditur, ac primum docet Vocem ac Sonum corporeas eſſe Imagines, quæ aurem pariter feriant & auditum faciant: Vocis naturam atque formaturam explicat. Cur eadem Vox percipiatur a multis, rationem reddit. Quid ſit Echo, quomodo fiat, a v. 524. ad v. 619. IX. Deinde de Sapore, & Guſtu, de Odore, & Olfactu docet; quid nempe ſit Sapor, quid Odor, & cur non ab omnibus ſentiantur. Cur Cibus idem aliis dulcis, aliis amarus fiat: cur Odor alius aliis ſit magis aptus, & Vox aliis terrorem incutiat, quæ alios juvet, ſaltem non terreat, a v. 619. ad v. 726. X. de Imaginatione atque Cogitatione agit, quas per tenuiſſima rerum Simulacra ſeu Imagines quæ in mentem incurrant, fieri pariter ait: inde varia de Cogitationibus problemata proponit & explicat. Cur, v. g. videamur in ſomnis videre illos qui jam mortui ſunt: cur Simulacra rerum ſeu Imagines videantur nobis moveri dum cogitamus ea: cur ſubito quiſque cogitat quæ lubuerit: cur in ſomnis cernimus moveri, a v. 726. ad v. 820. XI. a v. 821. ad v. 905. Docet linguam, oculos, aures, nares, omnia denique ſenſationis organa prius nata eſſe quam eorum uſum: ſecus vero in artiſcioſis rebus, quæ pendent ex præviſa indigentia. XII. De Somno, ac Inſomniis agit, inprimisque docet qua ratione fiat Somnus in nobis, & in ceteris animantibus: Somniorum varias aſſignat cauſſas: & demum

*mum ad res Venereas delapsus a v. 1050. usque ad finem  
libri, de Amore, Sterilitate, Fœcunditate, &c. libe-  
rius forsan & apertius quam par erat, (sed Philosophi in  
hisce rebus sibi maxime indulgent) disputat.*





T I T I  
L U C R E T I I C A R I  
D E R E R U M N A T U R A  
L I B E R Q U A R T U S .



V I A Pieridum peragro loca , nul-  
lius ante  
Trita solo : juvat integros accede-  
re fonteis ,  
Atque haurire : juvatque novos de-  
cerptere flores ,  
Insignemque meo capiti petere in-  
de coronam ,

Unde prius nulli velarint tempora Musæ . 5  
Primum , quod magnis doceo de rebus ; & arctis  
Relligionum animos nodis exsolvere pergo :  
Deinde , quod obscura de re tam lucida pango  
Carmina , musæo contingens cuncta lepore .  
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur . 10  
Nam veluti pueris absinthia tætra medentes  
Cum dare conantur , prius oras pocula circum  
Contingunt mellis dulci , flavoque liquore ,  
Ut puerorum ætas improvida ludificetur  
Labrorum tenuis ; interea perpotet amarum 15

Ab-

Absinthii laticem, deceptaque non capiatur;  
 Sed potius tali tactu recreata valeat:  
 Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur  
 Tristior esse, quibus non est tractata; retroque  
 Volgi abhorret ab hac; volui tibi suaviloquenti 20  
 Carmine Pierio rationem exponere nostram,  
 Et quasi musæo dulci contingere melle:  
 Si tibi forte animum tali ratione tenere  
 Versibus in nostris possem, dum percipis omnem  
 Naturam rerum; ac percipis utilitatem. 25

Sed quoniam docui, cunctarum exordia rerum  
 Qualia sint; & quam variis distantia formis  
 Sponte sua volitent, æterno percita motu;  
 Quoque modo possint res ex his quæque creari:  
 Atque animi quoniam docui natura quid esset, 30  
 Et quibus e rebus cum corpore comita vigeret;  
 Quove modo distracta rediret in ordia prima:  
 Nunc agere incipiam tibi, quod vehementer ad has res  
 Attinet, esse ea, quæ rerum simulacra vocamus:  
 Quæ quasi membranæ summo de corpore rerum 35  
 Dereptæ volitant ultrò citroque per auras:  
 Atque eadem nobis vigilantibus obvia menteis  
 Terrificant, atque in somnis, cum sæpe figuras  
 Contuimur miras, simulacraque luce carentum;  
 Quæ nos horrificè languentis sæpe sopore 40  
 Excierunt: ne forte animas Acherunte reamur  
 Effugere, aut umbras inter vivos volitare:  
 Neve aliquid nostri post mortem posse relinqui,  
 Cum corpus simul, atque animi natura perempta,  
 In sua discessum dederunt primordia quæque: 45

Dico igitur, rerum effigias, tenuisque figuras  
 Mittier ab rebus, summo de corpore earum;  
 Quæ quasi membrana, vel cortex nominanda est;  
 Quod speciem, ac formam similem gerit ejus imago,  
 Quojuſcumque cluet de corpore fusa vagari. 50

Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.  
 Principio, quoniam mittunt in rebus apertis  
 Corpora res multæ; partim diffusa solute;  
 Robora ceu fumum mittunt, ignesque vaporem:  
 Et partim contexta magis, condensaque; ut olim 55  
 Cum veteres ponunt tunicas æstate cicadæ;  
 Et vituli cum membranas de corpore summo  
 Nascentes mittunt; & item cum lubrica serpens  
 Exiit in spinis vestem: nam sæpe videmus  
 Illorum spoliis vepreis volitantibus auctas: 60  
 Hæc quoniam fiunt, tenuis quoque debet imago  
 Ab rebus mitti, summo de corpore earum.  
 Nam, cur illa cadant magis, ab rebusque recedant,  
 Quam quæ tenuia sunt, hincendi est nulla potestas.  
 Præsertim cum sint in summis corpora rebus 65  
 Multa minuta, jaci quæ possint ordine eodem,  
 Quo fuerint, veterem & formæ servare figuram:  
 Et multo citius, quanto minus endopediri  
 Pauca queant, & sunt in primâ fronte locata.  
 Nam certe jaci, atque emergere multa videmus 70  
 Non solum ex alto, penitusque, ut diximus ante,  
 Verum de summis ipsum quoque sæpe colorem:  
 Et volgo faciunt id lutea, ruffaque vela,  
 Et ferrugina, cum magnis intenta theatris,  
 Per malos volgata, trabeisque tremantia flutant. 75  
 Namque ibi confessum caveâ subter, & omnem  
 Scenâ speciem, patrum, matrumque, deorumque,  
 Inficiunt, coguntque suo fluitare colore:  
 Et quanto circum mage sunt inclusa theatri  
 Mœnia, tam magis hæc intus perfusa lepore 80  
 Omnia conrident, conrepta luce diei.  
 Ergo lintea de summo ceu corpore fucum  
 Mittunt, effigias quoque debent mittere tenuis  
 Res quæque: ex summo quoniam jaculantur utræque.  
 Sunt igitur, jam formarum vestigia certa, 85  
 Quæ

Quæ vulgo volitant subtili prædita filo,  
Nec singillatim possunt secreta videri.

Præterea, omnis odos, fumus, vapor, atque aliæ res  
Consimiles, ideo diffusæ rebus abundant,  
Ex alto quia dum veniunt intrinsecus ortæ, 90  
Scinduntur per iter flexum; nec recta viarum  
Ostia sunt, qua contendunt exire coortæ.

At contra, tenuis summi membrana coloris  
Cum jacitur, nihil est, quod eam discerpere possit;  
In promptu quoniam est in prima fronte locata. 95

Postremo, in speculis, in aqua, splendoreque in omni  
Quæcumque apparent nobis simulacra, necesse est,  
Quandoquidem simili specie sunt prædita rerum,  
Esse in imaginibus missis consistere eorum.

Nam, cur illa cadant magis, ab rebusque recedant 100  
Corpora, res multæ quæ mittunt corpore aperto,  
Quam quæ tenuia sunt, hiscendi est nulla potestas.

Sunt igitur tenues formarum, consimilesque  
Effigiæ, singillatim quas cernere nemo  
Cum possit, tamen assiduo, crebroque repulsu 105  
Rejectæ, reddunt speculorum ex æquore visum:  
Nec ratione alia servari posse videntur

Tantopere, ut similes reddantur quoique figuræ.

Nunc age, quam tenui natura constet imago,  
Percipe: & in primis quoniam primordia tantum 110  
Sunt infra nostros sensus, tantoque minora,

Quam quæ primum oculi cœptant non posse tueri:  
Nunc tamen id quoque uti confirmem, exordia rerum  
Cunctarum quam sint subtilia, percipe paucis.

Primum animalia sunt jam partim tantula, eorum 115  
Tertia pars nulla ut possit ratione videri.

Horum intestinum quodvis quale esse putandum est?  
Quid? cordis globus, aut oculi? quid? membra? quid? artus?

Quantula sunt? quid? præterea primordia quæque  
Unde anima, atque animi constet natura, necessum est,

Non-

Nonne vides, quam sint subtilia, quamque minuta?

Præterea, quæcumque suo de corpore odorem  
 Exspirant acrem, panaces, absinthia tætra,  
 Abrotonique graves, & tristia centaurea,  
 Horum unumquodvis leviter si forte ciebis, 125  
 Quam primum noscas rerum simulacra vagare  
 Multa, modis multis, nulla vi, cassaque sensu.  
 Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo est,  
 Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.

Sed ne forte putes ea demum sola vagare 130  
 Quæcumque ab rebus rerum simulacra recedunt:  
 Sunt etiam, quæ sponte sua gignuntur, & ipsa  
 Constituuntur in hoc cælo, qui dicitur aër:  
 Quæ multis formata modis sublime feruntur,  
 Nec speciem mutare suam liquentia cessant, 135  
 Et quojusque modi formarum vertere in ora.

Ut nubeis facile interdum concrefcere in alto  
 Cernimus, & mundi speciem violare serenam,  
 Aëra mulcenteis motu: nam sæpe gigantum  
 Ora volare videntur, & umbram ducere late: 140  
 Interdum magni montes, avolsaque saxa  
 Montibus anteire, & solem succedere præter:  
 Inde alios trahere, atque inducere bellua nimbos.

Nunc ea quam facili, & celeri ratione genantur,  
 Perpetuoque fluant ab rebus, lapsaque cedant. 145  
 Semper enim summum quidquid de rebus abundat,  
 Quod jaculentur: & hoc alias cum pervenit in res,  
 Transit; ut in primis vestem: sed in aspera saxa,  
 Aut in materiem ut ligni pervenit, ibi jam  
 Scinditur, ut nullum simulacrum reddere possit. 150  
 At cum, splendida quæ constant, opposta fuerunt,  
 Densaque; ut in primis speculum est: nihil accidit horum.  
 Nam neque, uti vestem, possit transire; neque ante  
 Scindi, quam meminit lævor præstare salutem.

Quapropter fit, ut hinc nobis simulacra genantur. 155

Et

Et quamvis subito, quovis in tempore, quamque  
 Rem contra speculum ponas, apparet imago:  
 Perpetuo fluere ut noscas e corpore summo  
 Texturas rerum tenuis, tenuisque figuras.  
 Ergo multa brevi spatio simulacra genantur, 160  
 Ut merito celer his rebus dicatur origo.

Et quasi multa brevi spatio summittere debet  
 Lumina sol, ut perpetuo sint omnia plena:  
 Sic a rebus item simili ratione, necesse est,  
 Temporis in puncto rerum simulacra ferantur 165  
 Multa, modis multis, in cunctas undique parteis.  
 Quādoquidem speculum queiscumque obvertimus oris,  
 Res ibi respondent simili forma, atque colore.

Præterea, modo quom fuerit liquidissima cæli  
 Tempestat, perquam subito fit turbida fœde 170  
 Undique; uti tenebras omneis Acherunta reamur  
 Liquisse, & magnas cæli compleffe cavernas:  
 Usque adeo, tætra nimborum nocte cœorta,  
 Impendent atræ formidinis ora superne.  
 Quorum quantula pars sit imago, dicere nemo est, 175  
 Qui possit, neque eam rationem reddere dictis.

Nunc age, quam celeri motu simulacra ferantur,  
 Et quæ mobilitas ollis tranantibus auras  
 Reddita sit, longo ut spatio brevis hora teratur,  
 In quemcumque locum diverso numine tendunt; 180  
 Suavidicis potius, quam multis versibus edam:  
 Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam  
 Clamor, in ætheriis dispersus nubibus Austri.

Principio persæpe levis res, atque minutis  
 Corporibus factas, celereis licet esse videre. 185  
 In quo jam genere est solis lux, & vapor ejus;  
 Propterea quia sunt e primis facta minutis:  
 Quæ quasi trudentur, perque aëris intervallum  
 Non dubitant transire, sequenti concita plaga.  
 Suppeditatur enim confestim lumine lumen, 190  
 Et



Et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur.

Quapropter simulacra pari ratione necesse est

Immemorable per spatium transcurrere posse

Temporis in puncto: primum quod parvola causa

Est, procul a tergo quæ provehat, atque propellat: 195

Deinde quod usque adeo textura prædita rara

Mittuntur, facile ut qualvis penetrare queant res,

Et quasi permanare per aëris intervallum.

Præterea, si, quæ penitus corpuscula rerum

Ex alto in terras mittuntur, solis uti lux, 200

Ac vapor, hæc puncto cernuntur lapsa diei

Per totum cæli spatium diffundere sese;

Perque volare mare, ac terras, cælumque rigare

Quod supera est; ubi tam volucris hæc levitate feruntur:

Quid? quæ sunt igitur jam prima fronte parata, 205

Cum jaciuntur, & emissum res nulla moratur?

Nonne vides citius debere, & longius ire?

Multiplexque loci spatium transcurrere eodem

Tempore, quo solis pervolgant lumina cælum?

Hoc etiam in primis specimen verū esse videtur, 210

Quam celeri motu rerum simulacra ferantur;

Quod simul ac primum sub divo splendor aquarū

Ponitur, extemplo, cælo stellante, serena

Sidera respondent in aqua radiantia mundi.

Jamne vides igitur, quam puncto tempore imago 215

Ætheris ex oris ad terrarum accidat oras?

Quare etiam atque etiam mitti hæc fateare necesse est

Corpora, quæ feriant oculos, visumque laceffant:

Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores:

Frigus ut a fluviiis, calor a sole, æstus abundis 220

Æquoris, exesor mærorum litora circum.

Nec variæ cessant voces volitare per auras:

Denique in os salis venit humor sæpe saporis,

Cum mare versamur propter: dilutaque contra

Cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror. 225

Usque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter  
 Fertur, & in cunctas dimittitur undique parteis;  
 Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi:  
 Perpetuo quoniam sentimus, & omnia semper  
 Cernere, odorari licet, & sentire sonorem. 230

Præterea, quoniam manibus tractata figura  
 In tenebris quædam, cognoscitur esse eadem, quæ  
 Cernitur in luce, & claro candore; necesse est  
 Consimili causa tactum, visumque moveri.

Nunc igitur, si quadratum tentamus, & id nos 235  
 Commovet in tenebris; in luci quæ poterit res  
 Accidere ad speciem, quadrata nisi ejus imago?

Esse in imaginibus quapropter causa videtur  
 Cernendi, neque posse sine his res ulla videri.

Nunc ea, quæ dico, rerum simulacra, feruntur 240  
 Undique, & in cunctas jaciuntur didita parteis:  
 Verum, nos oculis quia solis cernere quimus,  
 Propterea fit, uti, speciem quo vertimus, omnes  
 Res ibi eam contra feriant forma, atque colore.

Et quantum quæque a nobis res absit, imago 245  
 Efficit, ut videamus, & internoscere curat.

Nam cum mittitur, extemplo protrudit, agitque  
 Aëra, qui inter se cumque est, oculosque locatus:  
 Isque ita per nostras acies perlabitur omnis;  
 Et quasi perterget pupillas, atque ita transit. 250

Propterea fit, uti videamus quam procul absit  
 Res quæque; & quanto plus aëris ante agitur,  
 Et nostros oculos perterget longior aura,  
 Tam procul esse magis res quæque remota videtur.

Scilicet hæc summe celeri ratione geruntur, 255  
 Quale fit ut videamus: & una quam procul absit.

Illud in his rebus minime mirabile habendum est,  
 Cur ea, quæ feriant oculos simulacra, videri  
 Singula cum nequeant, res ipsæ perspiciantur. (260

Ventus enim quoque paullatim cum verberat; & cum  
 Aere

Aere ferit frigus; non privam quamque solemus  
 Particulam venti sentire, & frigoris ejus;  
 Sed magis unversum: fierique perinde videmus  
 Corpore tum plagas in nostro; tamquam aliqua res  
 Verberet, atque sui det sensum corporis extra. 265  
 Præterea, lapidem digito cum tundimus, ipsum  
 Tangimus extremum saxi, summumque colorem:  
 Nec sentimus eum tactu, verum magis ipsam  
 Duritiem penitus saxi sentimus in altò.

Nunc age, cur ultra speculum videatur imago 270  
 Percipe, nam certe penitus remmota videtur.

Quod genus illa, foris quæ vere transpiciuntur,  
 Janua cum per se transpectum præbet apertum,  
 Multa facitque foris ex ædibus ut videantur.  
 Isquoque enim duplici, geminoque fit aère visus. 275

Primus enim est, citra posteis qui cernitur aër:  
 Inde fores ipsæ dextra, lævaque sequuntur:

Post extraria lux oculos perterget, & aër  
 Alter, & illa, foris quæ vere transpiciuntur.

Sic ubi se primum speculi projecit imago, 280

Dum venit ad nostras acies, protrudit, agitque  
 Aëra, qui inter se cumque est oculosque locatus:

Et facit, ut prius hunc omnem sentire queamus,  
 Quam speculum: sed ubi speculum quoque sēsimus ipsū,  
 Continuo a nobis in id hæc, quæ fertur, imago, 285  
 Pervenit, & nostros oculos rejecta revisit;

Atque alium præ se propellens aëra volvit,  
 Et facit, ut prius hunc, quam se, videamus: eoque  
 Distare a speculo tantum remmota videtur.

Quare etiam atque etiam minime mirarier est par 290

Illis, quæ reddunt speculorum ex æquore visum,  
 Aëribus binis; quoniam res confit utroque.

Nunc ea, quæ nobis membrorum dextera pars est,  
 In speculis fit ut in læva videatur, eo quod  
 Planitiem ad speculi veniens cum offendit imago, 295

Non convertitur incolumis; sed recta retrorsum  
 Sic eliditur, ut si quis prius, arida quam sit  
 Cretea persona, adlidat pilave, trabive;  
 Atque ea continuo rectam si fronte figuram  
 Servet, & elisam retro sese exprimat ipsa, 300  
 Fiet ut, ante oculus fuerit qui dexter, hic idem  
 Nunc sit laevus; & e laevo fit mutua dexter.

Fit quoque de speculo in speculū ut tradatur imago:  
 Quinque etiam, sexve ut fieri simulacra sūerint.  
 Nam quæcumque retro parte interiore latebunt, 305  
 Inde tamen, quamvis torte, penitusque remota,  
 Omnia per flexos aditus educta licebit  
 Pluribus hæc speculis videantur in ædibus esse.  
 Usque adeo e speculo in speculum tralucet imago:  
 Et cum læva data est, fit rursus ut dextera fiat: 310  
 Inde retrorsum reddit se, & convertit eodem.

Quinetiam, quæcumque latuscula sunt speculorum  
 Adsimili lateris flexura prædita nostri:  
 Dextera ea propter nobis simulacra remittunt;  
 Aut quia de speculo in speculum trāsfertur imago; 315  
 Inde ad nos elisa bis advolat: aut etiam quod  
 Circumagitur, cum venit imago; propterea quod  
 Flexa figura docet speculi convertier ad nos.

Endogredi porro pariter simulacra, pedemque  
 Ponere nobiscum credas, gestumque imitari; 320  
 Propterea, quia de speculi qua parte recedas,  
 Continuo nequeunt illinc simulacra reverti:  
 Omnia quandoquidem cogit natura referri,  
 Ac resilire ab rebus ad æquos reddita flexus.

Splendida porro oculi fugitant, vitantque tueri: 325  
 Sol etiam cæcat, contra si tendere pergas:  
 Propterea, quia vis magna est ipsius; & alte  
 Aëra per purum graviter simulacra feruntur,  
 Et feriunt oculos, turbantia composituras.  
 Præterea, splendor, quicumque est acer, adurit 330

Sæpe oculos, ideo quod femina possidet ignis  
 Multa, dolorem oculis quæ gignunt insinuando.

Lurida præterea fiunt quæcumque tuentur  
 Arquati: quia luroris de corpore eorum  
 Semina multa fluunt simulacris obvia rerum; 335  
 Multaque sunt oculis in eorum denique mista,  
 Quæ contage sua palloribus omnia pingunt.

E tenebris autem, quæ sunt in luce, tuemur,  
 Propterea, quia cum propior caliginis aër  
 Ater init oculos prior, & possedit apertos; 340

Insequitur candens confestim lucidus aër,  
 Qui quasi purgat eos, ac nigras discutit umbras  
 Aëris illius: nam multis partibus hic est  
 Mobilior, multisque minutior, & mage pollens.  
 Qui simul atque vias oculorum luce replevit, 345

Atque patefecit, quas ante obsederat ater,  
 Continuo rerum simulacra adaperita sequuntur,  
 Quæ sita sunt in luce, laceffuntque ut videamus.  
 Quod contra facere in tenebris a luce nequimus:  
 Propterea, quia posterior caliginis aër 350  
 Crassior insequitur, qui cuncta foramina complet;  
 Obsiditque vias oculorum, ne simulacra  
 Possint ullarum rerum conjecta moveri.

Quadratasque procul turreis cum cernimus urbis,  
 Propterea fit, uti videantur sæpe rotundæ, 355  
 Angulus obtusus quia longe cernitur omnis;  
 Sive etiam potius non cernitur; ac perit ejus  
 Plaga, nec ad nostras acies perlabitur ictus:  
 Aëra per multum quia dum simulacra feruntur,  
 Cogit hebescere eum crebris offensibus aër. 360

Hinc, ubi suffugit sensum simul angulus omnis,  
 Fit, quasi tornata ut saxorum structa tuantur.  
 Non tamen ut coram quæ sunt, vereque rotunda,  
 Sed quasi adumbratim paullum simulata videntur.

Umbra videtur item nobis in sole moveri, 365.

Et vestigia nostra sequi, gestumque imitari;  
 ( Aëra si credas privatum lumine posse  
 Endogredi, motus hominum, gestusque sequentem,  
 Nam nihil esse potest aliud nisi lumine cassus  
 Aër, id, quod nos umbram perhibere sūemus. ) 370  
 Nimiram, quia terra locis ex ordine certis  
 Lumine privatur solis, quacumque meantes  
 Officimus: repletur item, quod liquimus ejus.  
 Propterea fit uti videatur, quæ fuit umbra  
 Corporis, e regione eadem nos usque secuta. 375  
 Semper enim nova se radiorum lumina fundunt,  
 Primaque disperunt, quasi in ignem lana trahatur.  
 Propterea facile & spoliatur lumine terra:  
 Et repletur item, nigraeque sibi abluat umbras.

Nec tamen hic oculos falli concedimus hilum. 380  
 Nam, quocumque loco sit lux, atque umbra, tueri  
 Illorum est: eadem vero sint lumina, necne,  
 Umbraque, quæ fuit hic, eadem num transeat illuc;  
 An potius fiat, paullo quod diximus ante:  
 Hoc animi demum ratio discernere debet: 385  
 Nec possunt oculi naturam noscere rerum.  
 Proinde animi vitium hoc oculis adfingere noli.

Qua vehimur navi, fertur, cum stare videtur:  
 Quæ manet in statione, ea præter creditur ire:  
 Et fugere ad puppim colles, campique videntur, 390  
 Quos agimus præter navim, velisque volamus.

Sidera cessare ætheriis adfixa cavernis  
 Cuncta videntur: at adsiduo in sunt omnia motu:  
 Quandoquidem longos obitus exorta revisunt,  
 Cum permensa suo sunt cælum corpore claro: 395  
 Solque pari ratione manere, & luna videtur  
 In statione; ea quæ ferri res indicat ipsa.

Exstantesque procul medio de gurgite montes,  
 Classibus inter quos liber patet exitus, iidem  
 Apparent; & longe divolsi licet, ingens 400

Insula conjunctis tamen ex his una videtur.

Atria versari, & circumcurfare columnæ

Usque adeo fit uti pueris videantur, ubi ipsi

Desierunt verti, vix ut jam credere possint,

Non supra sese ruere omnia tecta minari. 405

Jamque rubrum tremulis jubar ignibus erigere alte

Cum cœptat natura, supraque extollere monteis;

Quos tibi tum supra sol monteis esse videtur,

Cominus ipse suo contingens fervidus igni,

Vix absunt nobis missus bis mille sagittæ: 410

Vix etiam cursus quingentos sæpe veruti:

Inter eos, solemque jacent immania ponti

Æquora, substrata ætheriis ingentibus oris:

Interjectaque sunt terrarum millia multa,

Quæ variæ retinent gentes & sæcla ferarum. 415

At conlectus aquæ, digitum non altior unum,

Qui lapides inter sistit per strata viarum,

Despectum præbet sub terras impete tanto,

A terris quantum cæli patet altus hiatus:

Nubila despicere, & cælum ut videare videre, & 420

Corpora mirando sub terras abdita cælo.

Denique, ubi in medio nobis equus acer obhæsit

Flumine, & in rapidas amnis despeximus undas;

Stantis equi corpus transversum ferre videtur

Vis, & in adversum flumen contrudere raptim: 425

Et, quocumque oculos trajecimus, omnia ferri,

Et fluere adsimili nobis ratione videntur.

Porticus æquali quamvis est denique ductu,

Stansque in perpetuum paribus suffulta columnis,

Longa tamen parte ab summa cum tota videtur, 430

Paullatim trahit angusti fastigia coni;

Tecta solo jungens, atque omnia dextera lævis;

Donicum in obscurum coni conduxit acumen.

In pelago nautis ex undis ortus, in undis

Sol fit uti videatur obire, & condere lumen: 435

Quippe ubi nil aliud nisi aquam, cælumque tuentur;  
Ne leviter credas labefactari undique sensus.

At maris ignaris, in portu clauda videntur  
Navigia, aplustris fractis, obnitier undis.

Nam quæcumque supra rorem salis edita pars est 440  
Remorum, recta est; & recta superne gubernata:

Quæ demersa liquore obeunt, refracta videntur

Omnia converti, sursumque supina reverti;

Et reflexa prope in summo fluitare liquore.

Raraque per cælum cum venti nubila portant 445

Tempore nocturno, tum splendida signa videntur

Labier adversum nubeis, atque ire superne

Longe aliam in partem, quam quo ratione feruntur.

At si forte oculo manus uni subdita, subter

Pressit eum, quodam sensu fit, uti videantur 450

Omnia quæ tuimur, fieri tum bina tuendo;

Bina lucernarum florentia lumina flammis,

Binaque per totas ædeis geminare supellex:

Et duplices hominum facies, & corpora bina.

Denique cum suavi devinxit membra sopore 455

Somnus, & in summa corpus jacet omne quiete;

Tum vigilare tamen nobis, & membra movere

Nostra videmur, & in noctis caligine cæca

Cernere censemus solem, lumenque diurnum;

Conclusoque loco cælum, mare, flumina, monteis 460

Mutare, & campos pedibus transire videmur:

Et sonitus audire, severa silentia noctis

Undique cum consent, & reddere dicta tacentes.

Cetera de genere hoc mirando multa videmus,

Quæ violare fidem quasi sensibus omnia quærunt: 465

Nequidquam: quoniam pars horum maxima fallit

Propter opinatus animi, quos addimus ipsi;

Pro visis ut sint, quæ non sunt sensibus visa.

Nam nihil egregius, quam res secernere apertas

A dubiis, animus quas ab se protinus addit. 470

Deni-



Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit,  
An sciri possit, quom se nil scire fatetur:

Hunc igitur contra mittam contendere caussam,  
Qui capite ipse suo instituit vestigia retro. ( 475

Et tamen hoc quoque uti concedam scire; at id ipsum  
Quæram, quom in rebus veri nil viderit ante,  
Unde sciat, quid sit scire, & nescire vicissim;  
Notitiam veri quæ res, falsique creavit;  
Et dubium certo quæ res differre probarit.

Invenies primis ab sensibus esse creatam 480  
Notitiam veri, neque sensus posse refelli:

Nam majore fide debet reperiri illud;  
Sponte sua veris quod possit vincere falsa.

Quid majore fide porro, quam sensus haberi  
Debet? an ab sensu falso ratio orta, valebit 485

Dicere eos contra, quæ tota ab sensibus orta est?  
Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa fit omnis.

An poterunt oculos aures reprehendere? an aureis  
Tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris?

An confutabunt nares, oculive revincent; 490

Non (ut opinor) ita est: nam seorsum quoque potestas  
Divisa est: sua vis quoque est: ideoque necesse est,

Quod molle, aut durum est; gelidum, fervensve; seorsum  
Id molle, aut durum; gelidum, fervensve videri:

Et seorsum varios rerum sentire colores, 495

Et quæcumque coloribus sunt conjuncta, necesse est.  
Seorsus item sapor oris habet vim; seorsus odores

Nascuntur; seorsum sonitus: ideoque necesse est,  
Non possint alios alii convincere sensus.

Nec porro poterunt ipsi reprehendere sese; 500

Æqua fides quoniam debet semper haberi.

Proinde, quod in quoque est his visum tempore, verū est.

Et, si non poterit ratio dissolvere caussam,

Cur ea, quæ fuerint juxtim quadrata, procul sint  
Visa rotunda; tamen præstat rationis egentem 505

Red-

Reddere mendose causas utriusque figuræ,  
 Quam manibus manifesta suis emittere quæquam;  
 Et violare fidem primam, & convellere tota  
 Fundamenta, quibus nixatur vita, salusque.

Non modo enim ratio ruat omnis; vita quoque ipsa 510  
 Concidat extemplo, nisi credere sensibus ausis;  
 Præcipiteisque locos vitare, & cetera, quæ sint  
 In genere hoc fugienda; sequi, contraria quæ sint.  
 Illa tibi est igitur verborum copia cassa

Omnis, quæ contra sensus instructa, parata est. 515

Denique ut in fabrica, si prava est regula prima,  
 Norma que si fallax rectis regionibus exit,  
 Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum;  
 Omnia mendose fieri, atque obstipa necessum est,  
 Prava, cubantia, prona, supina, atque absona tecta; 520  
 Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque,  
 Proditæ judiciis fallacibus omnia primis.

Sic igitur ratio tibi rerum prava, necesse est,  
 Falsaque sit, falsis quæcumque ab sensibus orta est.

Nunc alii sensus, quo pacto quisque suam rem 525  
 Sentiat, haudquaquam ratio scruposa relicta est.

Principio, auditur sonus, & vox omnis, in aureis  
 Insinuata suo pepulere ubi corpore sensum.

Corpoream quoque enim vocem constare fatendum est,  
 Et sonitum; quoniam possunt impellere sensus. 530

Præterradit enim vox fauceis sæpe; facitque  
 Asperiora foras gradiens arteria clamor.

Quippe, per angustum turba majore coorta

Ire foras ubi cœperunt primordia vocum,

Scilicet expletis quoque janua raditur oris 535

Rauca viis; & iter lædit, qua vox it in auras.

Haud igitur dubium est, quin voces, verbaque consent  
 Corporeis e principiis, ut lædere possint.

Nec te fallit item, quid corporis auferat, & quid  
 Detrahât ex hominum nervis, ac viribus ipsis 540

Per-

Perpetuus sermo, nigraï noctis ad umbram,  
 Auroræ perductus ab exoriente nitore,  
 Præsertim si cum summo est clamore profusus.  
 Ergo corpoream vocem constare necesse est;  
 Multa loquens quoniam amittit de corpore partem. 545

Asperitas autem vocis fit ab asperitate  
 Principiorum; & item lævor lævore creatur.  
 Nec simili penetrant aureis primordia forma,  
 Quom tuba depresso graviter sub murmure mugit;  
 Aut reboant raucum retrocita cornua bombum; 550  
 Vallibus & cyeni gelidis orti ex Heliconis,  
 Cum liquidam tollunt lugubri voce querelam.

Hæc igitur penitus voces cum corpore nostro  
 Exprimimus, rectoque foras emittimus ore,  
 Mobilis articulatur verborum dædala lingua; 555  
 Formaturaque laborum pro parte figurat.

Atque ubi non longum spatium est, unde illa profecta  
 Perveniat vox quæque, necesse est verba quoque ipsa  
 Plane exaudiri, discernique articulatim:

Servat enim formaturam, servatque figuram. 560  
 At si interpositum spatium sit longius æquo,  
 Aëra per multum confundi verba necesse est,  
 Et conturbari vocem, dum transvolat auras.  
 Ergo fit, sonitum ut possis audire, neque hilum  
 Internoscere verborum sententia quæ sit: 565  
 Usque adeo confusa venit vox, inque pedita.

Præterea, edictum sæpe unum perciet aureis  
 Omnibus in populo, emissum præconis ab ore:  
 In multas igitur voces vox una repente  
 Diffugit, in privas quoniam se dividit aureis, 570  
 Obsignans formam verbis, clarumque sonorem.

At, quæ pars vocum non aureis accedit ipsas,  
 Præterlata perit, frustra diffusa per auras:  
 Pars solidis adlisa locis, rejecta sonorem  
 Reddit, & interdum frustratur imagine verbi. 575

Quæ

Quæ bene cum videas, rationem reddere possis  
 Tute tibi, atque aliis, quo pacto per loca sola  
 Saxa pareis formas verborum ex ordine reddant,  
 Palanteis comites cum monteis inter opacos  
 Quærimus, & magna dispersos voce ciemus. 580

Sex etiam, aut septem loca vidi reddere voces,  
 Unam cum jaceres: ita colles collibus ipsis  
 Verba repulsantes iterabant dicta referre.

Hæc loca capripedes Satyros, Nymphasque tenere  
 Finitimi fingunt, & Faunos esse loquuntur; 585

Quorum noctivago strepitu, ludoque jocanti

Adfirmant volgo taciturna silentia rumpi;

Chordarumque sonos fieri, dulcesque querelas,

Tibia quas fundit digitis pulsata canentum:

Et genus agricolûm late sentiscere, cum Pan 590

Pinea semiferi capitis velamina quassans,

Unco sæpe labro calamos percurrit hianteis,

Fistula silvestrem ne cesset fundere musam.

Cetera de genere hoc monstra, ac portenta loquuntur,

Ne loca deserta ab divinis quoque forte putentur 595

Sola tenere: ideo jactant miracula dictis:

Aut aliqua ratione alia ducuntur; ut omne

Humanum genus est avidum nimis auricularum.

Quod superest, non est mirandum, qua ratione

Quæ loca per nequeunt oculi res cernere apertas, 600

Hæc loca per voces veniant, aureisque laceffant:

Cum loquimur clausis foribus, quod sæpe videmus.

Nimirum, quia vox per flexa foramina rerum

Incolumis transire potest; simulacra renutant:

Perfcinduntur enim, nisi recta foramina tranant; 605

Qualia sunt vitri, species quæ transvolat omnis.

Præterea, parteis in cunctas dividitur vox:

Ex aliis aliæ quoniam gignuntur; ubi una

Dissiluit semel in multas exorta: quasi ignis

Sæpe solet scintilla suos se spargere in igneis. 610

Ergo

Ergo replentur loca vocibus, abdita retro  
 Omnia quæ circum fuerint, sonituque cientur.  
 At simulacra viis directis omnia tendunt,  
 Ut sunt missa semel: quapropter cernere nemo  
 Se supra potis est: at voces accipere extra. 615  
 Et tamen ipsa quoque hæc, dum transit clausa viarum,  
 Vox obtunditur, atque aureis confusa penetrat:  
 Et sonitum potius, quam verba, audire videmur.

Hæc, queis sentimus succum, lingua atque palatum,  
 Plusculum habent in se rationis, plusque operai. 620

Principio, succum sentimus in ore, cibum cum  
 Mandendo exprimimus: ceu plenam spongiam aquam  
 Siquis forte manu premere, exsiccareque cœpit.

Inde, quod exprimimus, per caulas omne palati  
 Diditur, & raræ perplexa foramina linguæ. 625

Hæc ubi lævia sunt manantis corpora succi,  
 Suaviter attingunt, & suaviter omnia tractant  
 Humida linguai circum sudantia templa:

At contra pungunt sensum, lacerantque coorta,  
 Quanto quæque magis sunt asperitate repleta, 630

Deinde voluptas est e succo in fine palati:

Cum vero deorsum per fauceis præcipitavit,

Nulla voluptas est, dum diditur omnis in artus:

Nec refert quidquam, quo victu corpus alatur;

Dummodo, quod capias, concoctum didere possis 635

Artibus, & stomachi humectum servare tenorem.

Nunc aliis alius cur sit cibus, ut videamus,

Expediam; quareve, aliis quod triste, & amarum est,

Hoc tamen esse aliis possit prædulce videri.

Tantaque in his rebus distantia, differitalque est, 640

Ut quod aliis cibus est, aliis suat acre venenum.

Est utique, ut serpens hominis contacta salivis

Disperit, ac sese mandendo conficit ipsa.

Præterea, nobis veratrum est acre venenum,

At capris adipis, & coturnicibus auget. 645

Ut

Ut quibus id fiat rebus, cognoscere possis,  
 Principio meminisse decet, quæ diximus ante,  
 Semina multimodis in rebus mista teneri.  
 Porro omnes, quæcumque cibum capiunt animantes,  
 Ut sunt dissimiles extrinsecus, & generatim 650  
 Extima membrorum circumcæsuræ coërcet;  
 Proinde & seminibus distant, variantque figura.  
 Semina cum porro distent, differre necesse est  
 Intervalla, viasque foramina quæ perhibemus,  
 Omnibus in membris, & in ore, ipsoque palato. 655  
 Esse minora igitur quædam, majoraque debent;  
 Esse triquetra aliis, aliis quadrata necesse est:  
 Multa rotunda, modis multis multangula quædam.  
 Namque figurarum ut ratio, motusque reposcunt,  
 Proinde foraminibus debent differre figuræ; 660  
 Et variare viæ, proinde ac textura coërcet.  
 Ergo ubi quod suave est aliis, aliis fit amarum:  
 Illis, queis suave est, lævissima corpora debent  
 Contrectabiliter caulas intrare palati:

At contra, quibus est eadem res intus acerba, 665  
 Aspera nimirum penetrant, hamataque fauceis.

Nunc facile ex his est rebus cognoscere quæque.  
 Quippe, ubi quoi febris, bili superante, coorta est,  
 Aut alia ratione aliqua est vis excita morbi;  
 Perturbatur ibi totum jam corpus, & omnes 670  
 Commutantur ibi posituræ principiorum:  
 Fit, prius ad sensum ut quæ corpora conveniebant,  
 Nunc non convenient, & cetera sint magis apta,  
 Quæ penetrata queunt sensum progignere acerbum.  
 Utraque enim sunt in mellis commista sapore: 675  
 Id quod jam supera tibi sæpe ostendimus ante.

Nunc age, quo pacto nareis adjectus odoris  
 Tangat, agam. Primum res multas esse necesse est,  
 Unde fluens volvat varius se fluctus odorum. (680  
 Nam fluere, & mitti volgo, spargique putandum est.

Verum

Verum aliis alius magis est animantibus aptus,  
 Diffimileis propter formas: ideoque per auras  
 Mellis apes quamvis longe ducuntur odore;  
 Volturiique cadaveribus; tum fissa ferarum  
 Ungula quo tulerit gressum, promissa canum vis 685  
 Ducit; & humanum longe præsentit odorem  
 Romulidarum arcis servator, candidus anser.  
 Sic aliis alius nidor datus ad sua quemque  
 Pabula ducit, & a tætro resilire veneno  
 Cogit; eoque modo servantur sæcla ferarum. 690

Hic odor ipse igitur, nareis quicumque laceffit,  
 Est alio ut possit permitti longius alter.  
 Sed tamen haud quisquam tam longe fertur eorum,  
 Quam sonitus, quam vox; mitto jam dicere, quam res,  
 Quæ feriunt oculorum acies visumque laceffunt. 695  
 Errabundus enim tarde venit, ac perit ante  
 Paullatim facilis distractus in aëris auras:  
 Ex alto primum quia vix emittitur ex re.  
 Nam penitus fluere, atque recedere rebus odores  
 Significat, quod fracta magis redolere videntur 700  
 Omnia; quod contrita; quod igni conlabefacta.  
 Deinde videre licet majoribus esse creatum  
 Principiis voci: quoniam per saxea septa  
 Non penetrat, qua vox volgo, sonitusque feruntur.  
 Quare etiam quod olet, non tam facile esse videbis 705  
 Investigare, in qua sit regione locatum:  
 Refrigescit enim cunctando plaga per auras;  
 Nec calida ad sensum decutrit nuntia rerum.  
 Errant sæpe canes itaque, & vestigia quærunt.

Nec tamen hoc solis in odoribus, atque saporum 710  
 In genere est: sed item species rerum, atque colores  
 Non ita conveniunt ad sensus omnibus omnes,  
 Ut non sint aliis quædam magis acria visu.  
 Quinetiam gallum, noctem explaudentibus alis  
 Auroram clara consuetum voce vocare, 715

Nenu queunt rapidi contra constare leones,  
 Inque tueri: ita continuo meminere fugai:  
 Nimirum, quia sunt gallorum in corpore quædam  
 Semina, quæ, cum sunt oculis immissa leonum,  
 Pupillas interfodiunt, acremque dolorem 720  
 Præbent, ut nequeant contra durare feroces;  
 Cum tamen hæc nostras acies nil lædere possint:  
 Aut quia non penetrant; aut quod penetrantibus illis  
 Exitus ex oculis liber datur; in remeando  
 Lædere ne possint ex ulla lumina parte. 725

Nunc age, quæ moveant animum res, accipe; & unde,  
 Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.  
 Principio hoc dico, rerum simulacra vagari  
 Multa modis multis in cunctas undique parteis  
 Tenuia, quæ facile inter se junguntur in auris, 730  
 Obvia cum veniunt, ut aranea, bracteæque auri.  
 Quippe etenim multo magis hæc sunt tenuia textu,  
 Quam quæ percipiunt oculos, visumque laceffunt:  
 Corporis hæc quoniam penetrant per rara, cientque  
 Tenuë animi naturam intus, sensumque laceffunt. 735  
 Centauros itaque, & Scyllarum membra videmus,  
 Cerbereasque canum facies, simulacraque eorum,  
 Quorum morte obita tellus amplectitur ossa:  
 Omne genus quoniam passim simulacra feruntur;  
 Partim sponte sua quæ fiunt aëre in ipso; 740  
 Partim quæ variis ab rebus cumque recedunt;  
 Et quæ consistunt ex horum facta figuris.

Nam certe ex vivo Centauri non fit imago:  
 Nulla fuit quoniam talis natura animalis. (745  
 Verum ubi equi atque hominis casu convenit imago,  
 Hærescit facile extemplo, quod diximus ante,  
 Propter subtilem naturam, & tenuia texta.  
 Cetera de genere hoc eadem ratione creantur.  
 Quæ cum mobiliter summa levitate feruntur,  
 Ut prius ostendi; facile uno commovet ictu 750



Quælibet una animum nobis subtilis imago:

Tenuis enim mens est, & mire mobilis ipsa.

Hæc fieri, ut memoro, facile hinc cognoscere possis:

Quatinus hoc simile est oculis, quod mente videmus,

Atque oculis simili fieri ratione necesse est: 755

Nunc igitur quoniam docui me forte leones

Cernere per simulacra, oculos quæcumque laceffunt;

Scire licet mentem simili ratione moveri

Per simulacra leonum cetera, quæ videt æque, (760

Nec minus, atque oculi: nisi quod mage tenuia cernit.

Nec ratione alia, cum somnus membra profudit,

Mens animi vigilat; nisi quod simulacra laceffunt

Hæc eadem nostros animos, quæ, quom vigilamus:

Usque adeo certe ut videamur cernere eum, quem

Reddita vitæ jam mors, & terra potita est. 765

Hoc ideo fieri cogit natura, quod omnes

Corporis effecti sensus per membra quiescunt;

Nec possunt falsum veris convincere rebus.

Præterea, meminisse jacet, languetque sopore;

Nec dissentit, eum mortis, letique potitum 770

Jampridem, quem mens vivum se cernere credit.

Quod superest, non est mirum, simulacra moveri,

Brachiaque in numerum jactare, & cetera membra:

Nam fit, ut in somnis facere hoc videatur imago.

Quippe, ubi prima perit, alioque est altera nata 775

Endo statu, prior hæc gestum mutasse videtur.

Scilicet id fieri celeri ratione putandum est.

Multaque in his rebus quæruntur, multaque nobis

Clarandum est, plane si res exponere avemus.

Quæritur in primis, quare, quod quoique libido 780

Venerit, extemplo mens cogitet ejus idipsum.

Anne voluntatem nostram simulacra tuentur?

Et simulac volumus, nobis occurrit imago?

Si mare, si terram cordi est, si denique cælum,

Conventus hominum, pompam, conviviam, pugnas, 785

Omnia sub verbóne creat natura, paratque?  
 Quom præfertim aliis eadem in regione, locoque  
 Longe diffimileis animus res cogitet omnis?

Quid porro, in numerum procedere quom simulacra  
 Cernimus in somnis, & mollia membra movere, 790  
 Mollia mobiliter quom alternis brachia mittunt?

Et repetunt oculis gestum pede convenienti?  
 Scilicet arte madent simulacra, & docta vagantur,  
 Nocturno facere ut possint in tempore ludos?

An magis illud erit verum, quia tempore in uno 795  
 Cum sentimus id; ut cum vox emittitur una;  
 Tempora multa latent, ratio quæ comperit esse:

Propterea fit, uti quovis in tempore quæque  
 Præsto sint simulacra locis in queisque parata?  
 Tanta est mobilitas, & eorum copia tanta. 800

Et quia tenuia sunt, nisi se contendit, acute  
 Cernere non potis est animus; proinde omnia, quæ sunt  
 Præterea, pereunt nisi sic sese ipse paravit.

Ipsè parat sese porro, speratque futurum, (805  
 Ut videat, quod consequitur rem quamque: fit ergo.

Nonne vides, oculos etiam, quom, tenuia quæ sint,  
 Cernere cœperunt, contendere se, atque parare,  
 Nec sine eo fieri posse, ut cernamus acute?

Et tamen in rebus quoque apertis noscere possis,  
 Si non advertas animum, proinde esse, quasi omni 810  
 Tempore semotæ fuerint, longeque remotæ.

Cur igitur mirum est, animus si cetera perdit,  
 Præter quam quibus est in rebus deditus ipse?  
 Deinde adopinamur de signis maxima parvis;

Ac nos in fraudem induimus, frustramur & ipsi. 815

Fit quoque, ut interdum non suppeditetur imago  
 Eiusdem generis, sed femina quæ fuit ante,  
 In manibus vir tum factus videatur adesse:

Aut alia ex alia facies, ætasque sequatur:  
 Quod ne miremur, sopor, atque oblivia curant. 820

Istud in his rebus vitium vehementer, & istum

Effugere errorem, vitareque præmeditator,

Lumina ne facias oculorum clara creata,

Prospicere ut possimus; & ut proferre viai

Proceros passus, ideo fastigia posse 825

Surarum, ac feminum pedibus fundata plicari:

Brachia tum porro validis ex apta lacertis

Esse, manusque datas utraque a parte ministras,

Ut facere ad vitam possimus, quæ foret usus.

Cetera de genere hoc, inter quæcumque pretantur, 830

Omnia perversa præpostera sunt ratione.

Nil adeo quoniam natum est in corpore, ut uti

Possimus, sed quod natum est, id procreat usum:

Nec fuit ante videre oculorum lumina nata;

Nec dictis orare prius, quam lingua creata est: 835

Sed potius longe linguæ præcessit origo

Sermonem; multoque creatæ sunt prius aures,

Quam sonus est auditus: & omnia denique membra

Ante fuere, (ut opinor) eorum quam foret usus.

Haud igitur potuere utendi crescere causa. 840

At contra conferre manu certamina pugnae,

Et lacerare artus, sædareque membra cruore,

Ante fuit multo, quam lucida tela volarent.

Et vulnus vitare prius natura coëgit,

Quam daret objectum parmae læva per artem. 845

Scilicet & fessum corpus mandare quieti,

Multo antiquius est, quam lecti mollia strata.

Et sedare sitim prius est, quam pocula, natum.

Hæc igitur possent utendi cognita causa

Credier, ex usu quæ sunt vitæque reperta. 850

Illa quidem seorsum sunt omnia, quæ prius ipsa

Nata, dedere suæ post notitiam utilitatis:

Quo genere in primis sensus, & membra videmus.

Quare etiam atque etiam procul est, ut credere possis,

Utilitatis ob officium potuisse creari. 855

Illud item non est mirandum, corporis ipsa  
 Quod natura cibum quærit quojusque animantis.  
 Quippe etenim fluere, atque recedere corpora rebus  
 Multa modis multis docui: sed plurima debent  
 Ex animalibus iis, quæ sunt exercita motu; 860  
 Multaque per sudorem ex alto pressa feruntur,  
 Multa per os exhalantur, quom languida anhelant.  
 His igitur rebus rarefcit corpus, & omnis  
 Subruitur natura; dolor quam confequitur rem:  
 Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus, 865  
 Et recreet vireis interdatus, atque patentem  
 Per membra ac venas ut amorem obturet edendi.  
 Humor item discedit in omnia quæ loca cumque  
 Poscunt humorem; glomerataque multa vaporis  
 Corpora, quæ stomacho præbent incendia nostro, 870  
 Dissipat adveniens liquor, ac restinguit, ut ignem,  
 Urere ne possit calor amplius aridus artus.  
 Sic igitur tibi anhela fitis de corpore nostro  
 Abluitur, sic expletur jejuna cupido.

Nunc qui fiat, uti passus proferre queamus, 875  
 Cum volumus, varieque datum sit membra movere;  
 Et quæ res tantum hoc oneris protrudere nostri  
 Corporis insuerit, dicam: tu percipe dicta.

Dico animo nostro primum simulacra meandi  
 Accidere, atque animum pulsare, ut diximus ante. 880  
 Inde voluntas fit: neque enim facere incipit ullam  
 Rem quisquam, quam mens providit, quid velit, ante:  
 At, quod providet, illius rei constat imago.  
 Ergo animus cum sese ita commovet, ut velit ire,  
 Inque gredi, ferit extemplo, quæ in corpore toto 885  
 Per membra, atque artus, animæ diffusa vis est  
 Et facile est factu, quoniam conjuncta tenetur.  
 Inde ea proporro corpus ferit, atque ita tota  
 Paullatim moles protruditur, atque movetur.  
 Præterea, tum rarefcit quoque corpus, & aër 890

Scilicet ut debet qui semper mobilis exstat,  
 Per patefacta venit, penetratque foramina largus;  
 Et dispergitur ad parteis ita quasque minutas  
 Corporis: hinc igitur rebus fit utrimque duabus,  
 Corpus uti, ut navis velis, ventoque, feratur. 895  
 Nec tamen illud in his rebus mirabile constat,  
 Tantula quod tantum corpus corpuscula possint  
 Contorquere, & onus totum convertere nostrum:

Quippe etenim ventus subtili corpore tenuis  
 Trudit agens magnam magno molimine navim; 900  
 Et manus una regit quantovis impete euntem,  
 Atque gubernaculum contorquet quolibet unum:  
 Multaque per trochleas, & tympana pondere magno  
 Commovet, atque levi sustollit machina nisu. (905

Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem  
 Inriget, atque animi curas e pectore solvat;  
 Suavidicis potius, quam multis versibus, edam:  
 Parvus ut est cycni melior canor, ille gruam quam  
 Clamor, in ætheriis dispersus nubibus Austri.

Tu mihi da tenuis aureis, animumque sagacem, 910  
 Ne fieri negites, quæ dicam posse; retroque  
 Vera repulsanti discedas pectore dicta:

Tutemet in culpa quom sis, ne cernere possis.

Principio somnus fit, ubi est distracta per artus  
 Vis animæ, partimque foras ejecta recessit, 915  
 Et partim contrusa magis concessit in altum:

Dissolvuntur enim tum demum membra, fluuntque:  
 Nam dubium non est, animam quin opera sit  
 Sensus hic in nobis, quem cum sopor impedit esse,  
 Tum nobis animam perturbatam esse putandum est, 920

Ejectamque foras; non omnem; namque jaceret  
 Æterno corpus perfusum frigore leti:

Quippe ubi nulla latens animam pars remaneret  
 In membris, cinere ut multa latet obrutus ignis,  
 Unde reconstari sensus per membra repente 925

Possit, ut ex igni cæco confurgere flamma.

Sed quibus hæc rebus novitas confletur, & unde  
Perturbari anima, & corpus languescere possit,  
Expeditam: tu fac ne ventis verba profundam.

Principio, externa corpus de parte necessum est, 930

Aëriis quoniam vicinum tangitur auris,  
Tundier, atque ejus crebro pulsatiere ictu.

Proptereaque fere res omnes, aut corio sunt,  
Aut seta, aut conchis, aut callo, aut cortice tectæ.

Interiorem etiam partem spirantibus aër 935

Verberat hic idem cum ducitur, atque reflatur.

Quare utrimque secus quom corpus vapulet, & quom  
Perveniant plagæ per parva foramina nobis

Corporis ad primas parteis, elementaque prima;  
Fit quasi paullatim nobis per membra ruina. 940

Conturbantur enim posituræ principiorum

Corporis, atque animi, sic, ut pars inde animai  
Ejiciatur, & introrsum pars abdita cedat;

Pars etiam distracta per artus, non queat esse

Conjuncta inter se, nec motu mutua fungi: 945

Inter enim sepit aditus natura, viasque.

Ergo sensus abit mutatis motibus alte.

Et quoniam non est quasi quod suffulciat artus,

Debile fit corpus, languescunt omnia membra: (950

Brachia, palpebræque cadunt, poplitesque procumbunt.

Deinde cibum sequitur somnus, quia quæ facit aër,

Hæc eadem cibus, in venas dum diditur omneis,

Efficit: & multo sopor ille gravissimus exstat,

Quem satur, aut lassus capias; quia plurima tum se  
Corpora conturbant magno contusa labore. 955

Fit ratione eadem conjectus porro animai


Altior, atque foras ejectus largior ejus,

Et divisor inter se, ac distractior intus.

Et quoi quisque fere studio devinctus adhæret,

Aut quibus in rebus multum sumus ante morati, 960

Atque



Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,  
 In somnis eadem plerumque videmur obire:  
 Cauffidici cauffas agere, & componere leges:  
 Induperatores pugnare, ac prælia obire:  
 Nautæ contractum cum ventis cernere bellum: 965  
 Nos agere hoc autem & naturam quærere rerum  
 Semper, & inventam patriis exponere chartis.  
 Cetera sic studia, atque artes plerumque videntur  
 In somnis animos hominum frustrata tenere.

Et, quicumque dies multos ex ordine ludis 970

Adfiduas dederunt operas, plerumque videmus,

Quom jam defiterint ea sensibus usurpare,

Reliquias tamen esse vias in mente patentis,

Qua possint eadem rerum simulacra venire.

Per multos itaque illa dies eadem obversantur 975

Ante oculos, etiam vigilantes ut videantur

Cernere saltanteis, & mollia membra moventeis;

Et citharæ liquidum carmen, chordasque loquentis

Auribus accipere, & confessum cernere eundem,

Scenæque simul varios splendere decores. 980

Usque adeo magni refert studium, atque voluntas,

Et quibus in rebus consuerint esse operati

Non homines solum, sed vero animalia cuncta.

Quippe videbis equos forteis, cum membra jacebunt,

In somnis sudare tamen, spirareque sæpe, 985

Et quasi de palma summas contendere vireis,

Tunc quasi carceribus patefactis sæpe quiete:

Venantumque canes in molli sæpe quiete

Jactant crura tamen subito, vocesque repente

Mittunt, & crebras redducunt naribus auras, 990

Ut vestigia si teneant inventa ferarum.

Expergefæctique sequuntur inania sæpe

Cervorum simulacra, fugæ quasi dedita cernant;

Donec discussis redeant terroribus ad se.

At consueta domi catulorum blanda propago, 995

Degere, sæpe levem ex oculis, volucremque soporem  
 Discutere, & corpus de terra conripere instant,  
 Proinde quasi ignotas facies, atque ora tuantur.  
 Et quam quæque magis sunt aspera semina eorum,  
 Tam magis in somnis eadem sævire necessum est. 1000  
 At variæ fugiunt volucres, pennisque repente  
 Sollicitant divum nocturno tempore lucos,  
 Accipitres somno in leni si prælia, pugnasque  
 Edere sunt perfectantes, visæque volantes. (1005  
 Porro hominum mentes magnis quæ motibus edunt?  
 Magna etenim sæpe in somnis faciuntque, geruntque.  
 Reges expugnant, capiuntur, prælia miscent;  
 Tollunt clamores, quasi si jugulentur ibidem:  
 Multi depugnant, gemitusque doloribus edunt;  
 Et quasi pantheræ morfu, sævique leonis 1010  
 Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.  
 Multi de magnis per somnum rebus loquuntur,  
 Indicioque sui facti persæpe fuere:  
 Multi mortem obeunt, multi de montibus altis  
 Se quasi præcipitent ad terram corpore toto, 1015  
 Exterrentur, & ex somno, quasi mentibus capti,  
 Vix ad se redeunt permoti corporis æstu.  
 Flumen item sitiens, aut fontem propter amœnum  
 Adfidet, & totum prope faucibus occupat amnem.  
 Pusi sæpe lacum propter, se, ac dolia curta, 1020  
 Somno devincti credunt extollere vestem,  
 Totius humorem saccatum ut corporis fundant:  
 Cum Babylonica magnifico splendore rigantur.  
 Tum, quibus ætatis freta primitus insinuantur,  
 Semen ubi ipsa dies membris matura creavit; 1025  
 Conveniunt simulacra foris e corpore quoque,  
 Nuntia præclari voltus, pulcrique coloris;  
 Qui ciet inritans loca turgida semine multo,  
 Ut, quasi transactis sæpe omnibus rebus, profundant  
 Fluminis ingenteis fluctus, vestemque cruentent. 1030



Sollicitatur id in nobis, quod diximus ante,  
 Semen: adulta ætas cum primum roborat artus.  
 Namque alias aliud res commovet, atque laceffit:  
 Ex homine humanum semen ciet una hominis vis.  
 Quod simulatque suis ejectum sedibus exit, 1035  
 Per membra, atque artus decedit corpore toto  
 In loca conveniens nervorum certa, cietque  
 Continuo parteis genitales corporis ipsas:  
 Inritata tument loca semine, fitque voluntas  
 Ejicere id, quo se contendit dira libido; 1040  
 Idque petit corpus mens, unde est saucia amore:  
 Namque omnes plerumque cadunt in vulnus, & illam  
 Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu:  
 Et si cominus est, hostem ruber occupat humor.

Sic igitur, Veneris qui telis accipit ictum, 1045  
 Sive puer membris muliebribus hunc jaculatur,  
 Seu mulier toto jactans e corpore amorem,  
 Unde feritur, eo tendit, gestitque coire,  
 Et jacere humorem in corpus de corpore ductum:  
 Namque voluptatem præfagit multa cupido. 1050  
 Hæc Venus est nobis, hinc autem est nomen amoris:  
 Hinc illæ primum Veneris dulcedinis in cor  
 Stillavit gutta, & successit fervida cura.  
 Nam si abest quod ames, præsto simulacra tamen sunt  
 Illius, & nomen dulce obversatur ad aureis. 1055

Sed fugitare decet simulacra, & pabula amoris  
 Absterrere sibi, atque alio convertere mentem,  
 Et jacere humorem collectum in corpora quæque;  
 Nec retinere semel conversum unius amore,  
 Et servare sibi curam, certumque dolorem. 1060  
 Ulcus enim vivescit, & inveterascit alendo,  
 Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit,  
 Si non prima novis conturbes volnera plagis,  
 Volgivagaque vagus Venere ante recentia cures,  
 Aut alio possis animi traducere motus. 1065

Nec

Nec Veneris fructu caret is, qui vitat amorem:  
 Sed potius, quæ sunt sine pœna, commoda sumit.  
 Nam certa, & pura est sanis magis inde voluptas,  
 Quam miseris; etenim potiundi tempore in ipso  
 Fluctuat incertis erroribus ardor amantum: 1070  
 Nec constat quid primum oculis, manibusque fruuntur.  
 Quod petiere premunt arcte, faciuntque dolorem  
 Corporis, & denteis inlidunt sæpe labellis,  
 Osculaque adfigunt, quia non est pura voluptas:  
 Et stimuli subsunt, qui instigant lædere idipsum, 1075  
 Quodcumque est, rabies unde illæ germina surgunt.  
 Sed leviter pœnas frangit Venus inter amorem,  
 Blandaque refrenat morsus admista voluptas.  
 Namque in eo spes est, unde est ardoris origo,  
 Restingui quoque posse ab eodem corpore flammâ; 1080  
 Quod fieri contra coram natura repugnat:  
 Unaque res hæc est, quojus quam pluria habemus,  
 Tam magis ardescit dira cuppedine pectus.  
 Nam cibus, atque humor membris adsumitur intus,  
 Quæ quoniam certas possunt obsidere parteis, 1085  
 Hoc facile expletur laticum, frugumque cupido:  
 Ex hominis vero facie, pulcroque colore,  
 Nil datur in corpus præter simulacra fruendum  
 Tenuia, quæ vento spes raptat sæpe misella.  
 Ut bibere in somnis sitiens quom quærit, & humor 1090  
 Non datur, ardorem in membris qui stinguere possit;  
 Sed laticum simulacra petit, frustra que laborat,  
 In medioque sitit torrenti flumine potans.  
 Sic in amore Venus simulacris ludit amanteis;  
 Nec fatiare queunt spectando corpora coram, 1095  
 Nec manibus quidquam teneris abradere membris  
 Possunt, errantes incerti corpore toto.

Denique quom membris conlatis flore fruuntur  
 Ætatis, quom jam præfagit gaudia corpus,  
 Atque in eo est Venus, ut muliebria conferat arva; 1100

Adfigunt avide corpus, junguntque salivas  
 Oris, & inspirant pressantes dentibus ora;  
 Nequidquam: quoniam nihil inde abradere possunt,  
 Nec penetrare, & abire in corpus corpore toto.  
 Nam facere interdum id velle, & certare videntur. 1105  
 Usque adeo cupide Veneris compagibus hærent,  
 Membra voluptatis dum vi labefacta liquefcunt.  
 Tandem ubi se erupit nervis conlecta cupido,  
 Parva sit ardoris violenti pausa parumper;  
 Inde redit rabies eadem, & furor ille revisit, 1110  
 Quom sibi quod cupiant ipsi, contingere quærunt:  
 Nec reperire malum id possunt quæ machina vincat:  
 Usque adeo incerti tabescunt volnere cæco.

Adde quod absument vireis, pereuntque labore:  
 Adde quod alterius sub nutu degitur ætas. 1115  
 Labitur interea res, & vadimonia fiunt,  
 Languent officia, atque ægrotat fama vacillans:  
 Unguenta, & pulcra in pedibus Sicyonia rident:  
 Scilicet & grandes viridi cum luce zmaragdi  
 Auro includuntur, teriturque thalassina vestis 1120  
 Assidue, & Veneris sudorem exercita potat:  
 Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ:  
 Interdum in pallam, ac Melitensia, Cæaque vertunt.  
 Eximia veste & victu convivium, ludi,  
 Pocula crebra, unguenta, coronæ, ferta parantur; 1125  
 Nequidquam: quoniam medio de fonte leporum  
 Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat:  
 Aut quod conscius ipse animus se forte remordet,  
 Desidiose agere ætatem, lustrisque perire:  
 Aut quod in ambiguo verbum jaculata reliquit; 1130  
 Quod cupido adfixum cordi vivescit, ut ignis:  
 Aut nimium jactare oculos, aliumve tueri  
 Quod putat, in voltuque videt vestigia risus.

Atque in amore mala hæc proprio, summeque secundo  
 Inveniuntur: in adverso vero, atque inopi sunt, 1135

Prendere quæ possis oculorum lumine aperto,  
 Innumerabilia; ut melius vigilare sit ante,  
 Qua docui ratione, cavereque, ne inlaqueeris.  
 Nam vitare, plagas in amoris ne laciatur,  
 Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis 1140  
 Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

Et tamen implicitus quoque possis, inque peditus  
 Effugere infestum, nisi tute tibi obvius obstes;  
 Et præmittas animi vitia omnia primum,  
 Tum quæ corporis sunt ejus, quam percupis, ac vis. 1145  
 Nam hoc faciunt homines plerumque cupidine cæci,  
 Et tribuant ea, quæ non sunt his commoda vere.  
 Multimodis igitur pravas, turpeisque videmus  
 Esse in deliciis, summoque in honore vigere.  
 Atque alios alii inrident, Veneremque sūdant, 1150  
 Ut placent, quoniam fœdo affliguntur amore;  
 Nec sua respiciunt miseri mala maxima sæpe.  
 Nigra, *μελίχρως* est: immunda & fœtida, *ἀκοσμος*:  
 Cæcia, *παλλάδιον*: nervosa, & lignea, *δορκάς*:  
 Parvola, pumilio, *χαείτων ἴα*, tota merum sal: 1155  
 Magna, atque immanis, *κατάπληξις*, plenaque honoris:  
 Balba, loqui non quit, *τραυλίξει*: muta, pudens est:  
 At flagrans, odiosa, loquacula, *λαμπάδιον* fit.  
 Ἰσχὸν ἐρωμένιον tum fit, quom vivere non quit  
 Præ macie: *ράδινη* vero est, jam mortua tussi: 1160  
 At gemina & mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho:  
 Simula, *σιλλυή*, ac Satyra est: labiosa, *φίλημα*.  
 Cetera de genere hoc longum est si dicere coner.

Sed tamen esto jam quantovis oris honore,  
 Quoi Veneris membris vis omnibus exoriatur: 1165  
 Nempe aliæ quoque sunt; nempe hac sine viximus ante;  
 Nempe eadem facit, & scimus facere omnia turpi:  
 Et miseram tætris se suffit odoribus ipsa,  
 Quam famulæ longe fugitant, furtimque cachinnant.

At lacrimans exclusus amator limina sæpe 1170

Floribus, & fertis operit, posteisque superbos  
 Unguit amaracino, & foribus miser oscula figit.  
 Quem si jam admissum, venientem offenderit aura  
 Una modo, causas abeundi quærat honestas;  
 Et meditata diu cadat alte sumpta querela; 1175  
 Stultitiæque ibi se damnet, tribuisse quod illi  
 Plus videat, quam mortali concedere par est.  
 Nec Veneres nostras hoc fallit: quo magis ipsæ  
 Omnia summopere hos vitæ postscenia celant,  
 Quos retinere volunt, adstrictosque esse in amore. 1180  
 Nequidquam: quoniam tu animo tamen omnia possis  
 Protrahere in lucem, atque omneis anquirere nisus.  
 Et si bello animo est, & non odiosa vicissim,  
 Prætermittet te humanis concedere rebus.

Nec mulier semper ficto suspirat amore, 1185  
 Quæ complexa viri corpus cum corpore jungit;  
 Et tenet adfuctis humectans oscula labris.  
 Nam facit ex animo sæpe, & communia quærens  
 Gaudia, sollicitat spatium decurrere amoris.  
 Nec ratione alia volucres, armenta, feræque, 1190  
 Et pecudes, & equæ maribus subsidere possent,  
 Si non, ipsa quod illorum subat, ardet abundans  
 Natura, & venerem salientum læta retractat.  
 Nonne vides etiam, quos mutua sæpe voluptas  
 Vinxit, ut in vinclis communibus excrucientur? 1195  
 In triviis non sæpe canes discedere aventes,  
 Diversi cupide summis ex viribus tendunt,  
 Cum interea validis Veneris compagibus hærent?  
 Quod facerent numquam, nisi mutua gaudia nossent,  
 Quæ lacere in fraudem possent, vinctosque tenere. 1200  
 Quare etiam atque etiã, ut dico, est communis voluptas.

Et commiscendo cum semen forte virile  
 Femina commulxit subita vi, conripuitque;  
 Tum similes matrum materno semine fiunt,  
 Ut patribus patrio: sed quos utriusque figuræ 1205  
 Esse

Esse vides juxtim, miscenteis volta parentum,  
 Corpore de patrio, & materno sanguine crescunt;  
 Semina quom Veneris stimulis excita per artus  
 Obvia confligit conspirans mutuus ardor,  
 Et neque utrum superavit eorum, nec superatū est. 1210  
 Fit quoque, ut interdum similes existere avorum  
 Possint, & referant proavorum sæpe figuras,  
 Propterea, quia multa modis primordia multis  
 Mista suo celant in corpore sæpe parentes,  
 Quæ patribus patres tradunt a stirpe profecta. 1215  
 Inde Venus varia producit sorte figuras:  
 Majorumque refert voltus, vocesque, comasque.  
 Quandoquidem nihilo minus hæc de semine certo  
 Fiunt, quam facies, & corpora, membraque nobis.  
 Et muliebri oritur patrio de semine sæclum: 1220  
 Maternoque mares existunt corpore creti.  
 Semper enim partus duplici de semine constat:  
 Atque, utri simile est magis id, quodcumque creatur,  
 Ejus habet plus parte æqua; quod cernere possis,  
 Sive virum suboles, sive est muliebris origo. 1225  
 Nec divina satum genitalem numina quoiquam  
 Absterrent, pater a natis ne dulcibus umquam  
 Appelletur, & ut sterili venere exigat ævum;  
 Quod plerique putant; & multo sanguine mæsti  
 Conspergunt aras, adolentque altaria donis, 1230  
 Ut gravidas reddant uxores semine largo:  
 Nequidquam divum numen, sorteisque fatigant;  
 Nam steriles nimium crasso sunt semine partim,  
 Et liquido præter justum, tenuique vicissim.  
 Tenæ, locis quia non potis est adfigere adhæsum, 1235  
 Liquitur extemplo, & revocatum cedit ab ortu:  
 Crassius hoc porro, quoniam concretius æquo  
 Mittitur; aut non tam prolixo provolat ictu;  
 Aut penetrare locos æque nequit; aut penetratum,  
 Ægre admiscetur muliebri semine semen. 1240

Nam multum harmoniæ Veneris differre videntur:

Atque alias alii complent magis, ex aliisque  
Suscipiunt aliæ pondus magis, inque gravescunt.

Et multæ steriles Hymenæis ante fuerunt  
Pluribus, & nactæ post sunt tamen, unde puellos 1245  
Suscipere, & partu possent ditescere dulci.

Et, quibus ante domi fœcundæ sæpe nequissent  
Uxores parere, inventa est illis quoque compar  
Natura, ut possent natis munire senectam.

Usque adeo magni refert, ut semina possint 1250

Seminibus commisceri genitaliter apta,  
Crassaque convenient liquidis, & liquida crassis,  
Quæ quoi junctæ viro sit femina per Veneris res.

Atque adeo refert, quo victu vita colatur.

Namque aliis rebus concresecunt semina membris, 1255

Atque aliis extenuantur, tabentque vicissim.

Et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas,

Id quoque permagni refert: nam more ferarum,  
Quadrupedumque magis ritu, plerumque putantur  
Concipere uxores, quia sic loca sumere possunt 1260  
Pectoribus positis, sublatis semina lumbis.

Nec molles opus sunt motus uxoribus hilum.

Nam mulier prohibet se concipere, atque repugnat,

Clunibus ipsa viri venerem si læta retractet:

Atque exossato ciet omni pectore fluctus. 1265

Ejicit enim sulci recta regione, viaque

Vomerem, atque locis avertit feminis ictum.

Idque sua causa consuerunt scorta moveri,

Ne complerentur crebro, gravidæque jacerent,

Et simul ipsa viris venus ut concinnior esset: 1270

Conjugibus quod nil nostris opus esse videtur.

Nec divinitus interdum, Venerisque sagittis

Deteriore fit ut forma muliercula ametur.

Nam facit ipsa suis interdum femina factis,

Morigerisque modis, & mundo corporis cultu, 1275

Ut

Ut facile insuefcatur fecum vir degere vitam.

Quod fupereft, confuetudo concinnat amorem.  
 Nam leviter quamvis, quod crebro tunditur iclu,  
 Vincitur in longo fpatio tamen, atque labafcit.  
 Nonne vides, etiam guttas in faxa cadenteis 1280  
 Humorif, longo in fpatio pertundere faxa?

### CREECHII CENSURA.

**I**N hoc libro admodum pauca funt quæ approbet Philofo-  
 phus; nulla enim in univerfa Philofophia futillior quam  
 illa de Simulacris & Imaginibus opinio. Nam credamus  
 tenues exuvias & membranulas a rerum fuperficie continuo  
 direptas: dum undique volitant, fe mutuo intercitant &  
 dilacerent necelfe eft; ita denique mifceantur, ut nihil  
 præter Centauros, Scyllas, & ejufmodi monftra videremus  
 aut imaginaremur.

Dicendum tamen Lucretium de iftis Imaginibus & Si-  
 mulacris ufque ad v. 471. acute & decore difputaffe, &  
 bene ornaffe fabulam.

Deinde, ad v. 524. Poëta tractat Scepticos eo quo de-  
 buit, faftu, & feveritate; fpernenda enim profecto &  
 reprimenda ifta animalia. Neque ego iftam erga Sensus  
 indulgentiam improbarem, nifi illis concefferat provinciam  
 majorem quam commode administrare poffunt. Sensus mi-  
 nime fallaces agnofco: ideone vero oculo meo magnitudi-  
 nem Solis, Lunæ, & Aftrofum emetiatur? Ne quid acer-  
 bius dicam, hæc eft nimis ruftica opinio.


Sonum, Saporem, Odorem corporea efle, omnemque fen-  
 fationem corporibus peragi, ad v. 725. agnofcent omnes  
 qui qualitatibus, & aliis ægri Ariftotelis infomniis non  
 detinentur.

De Imaginatione vero, ufque ad v. 820. cum nulla fint  
 Simu-



*Simulacra, non est ut fufius agamus. Et ridenda pro-  
fus vaniffima ifta opinio, quæ ufque ad v. 855. docet mem-  
bra noftra tam artificiofe & subtiliter compofita, non ideo  
fuiſſe facta ut utamur, ſed jam facta oblatum ſibi uſum  
arripuiſſe.*

*De Fame & Siti, ufque ad v. 874. protulit quæ ferri  
poſſunt: De motu vero Animalium, ad v. 904. inepta  
omnia. Denique cum Somnus Lucretii diſperſionem Ani-  
me conſequatur, quidni nos immortalis Anima donati æ-  
ternum vigilemus? De Infomniis, ad v. 1031. meræ nu-  
gæ: Reliqua vero nocte & tenebris tegenda.*




## ARGUMENTUM.

**L** *Audes Epicuri, cui propter inventam atque explicatam Philosophiam plus debent homines, quam Cereri, Baccho, Herculi, aliisque Divis, quos grati venerantur, ad v. 56. II. Deinde, ad v. 92. proponit totius libri argumentum, cujus partes postea explicat. Et III. ad v. 157. Terram, Mare, Cælum, Solem, Sidera, mortalia docet, nec, quod Stoici putarunt, animata, Dei ipsius partes, aut sedem & domicilium Deorum esse, quod vulgus existimat, asserit. IV. Nequis Mundum a Diis fuisse factum, atque ideo immortalem credat, ad v. 236. varias rationes congerit tam a natura Deorum, quam a vitiis hujus Mundi ductas, quibus probare conatur hanc compagem non fuisse a Diis constitutam. V. ad v. 417. Quatuor Elementa, Terram, Aquam, Aërem, & Ignem, e quibus Mundus constat, nasci & interire, & proinde Mundum ipsum aliquando incepisse, aliquando etiam periturum arguit; variisque aliis argumentis confirmat hanc compagem nec ab æterno existisse, neque futuram esse immortalem. VI. ad v. 509. agit de primo Mundi exortu; & singulis ejus partibus, prout graviores aut leviores sunt, sedes suas & locos assignat. VII. ad v. 613. Multa de Celi & Siderum motibus proponit, at nihil certi decernit. Deinde docet cur Terra, cur tota compages, quod corpus grave est, nulli fundamento innixa pendeat. Solem denique, Lunam, Sidera metitur, atque illa nec majora nec minor esse, quam nobis apparent, pronuntiat. VIII. ad v. 770. Varias utriusque Solstitii, Æstivi, & Hiemalis, causas reddit, quo modo Nox fiat, cur Aurora Solem præcedat, cur Dies & Noctes vicissim sese superent, cur Luna vultum & figuram variet, cur denique Sol ac Luna*


Ecli-

Eclipsin patiantur, disputat. IX. Deinde a Cælo descendens, Herbarum, Arborum, Avium, Brutorum, Hominum origines describit, ad v. 835. X. Monstra quoque, mutila quedam atque imperfecta animalia nasci concedit, sed Chimæras, Centauros, Scyllas, reliquaque Poëtarum portenta suaviter deridet, ad v. 922. XI. Demum, ad v. 1090. primorum Hominum vires, rudem vitam, cultum, victum, ingenium, mores, domicilia, matrimonia describit; & docet unde Sermo, Voces, & rerum Nomina. XII. Tandem post Ignem in terras a fulmine delatum cultior vita, & victus mollior: pacta & fœdera inierunt Homines, agros partiti sunt, & pulcherrimi aut fortissimi, Reges constituuntur; at brevi orta seditione Respublica emerfit, ad v. 1160. XIII. ad v. 1240. disputat de Deorum metu, & de ortu Religionis, quam divinæ naturæ & caussarum naturalium ignorantie acceptam refert. XIV. Quæ sequuntur, Metallorum ortum, primas bellandi artes, artis Textrine, Agriculturæ, Musices, & aliarum artium ortum atque progressum continent.





T I T I  
L U C R E T I I C A R I  
D E R E R U M N A T U R A  
L I B E R Q U I N T U S .



UIS potis est dignum pollenti  
pectore carmen  
Condere , pro rerum majestate,  
hisque repertis?  
Quisve valet verbis tantum , qui  
fundere laudes  
Pro meritis ejus possit , qui talia  
nobis

Pectore parta suo , quæsitæque præmia liquit? 5  
Nemo , ut opinor , erit mortali corpore cretus.  
Nam si , ut ipsa petit majestas cognita rerum,  
Dicendum est : deus ille fuit , deus , inclute Memmi,  
Qui princeps vitæ rationem invenit eam , quæ  
Nunc appellatur sapientia ; quique per artem 10  
Fluctibus e tantis vitam , tantisque tenebris,  
In tam tranquillo , & tam clara luce locavit.

Confer enim divina aliorum antiqua reperta .  
Namque Ceres fertur fruges , Liberque liquoris  
Vitigeni laticem mortalibus instituisse ; 15

Cum

Cum tamen his posset sine rebus vita manere:  
 Ut fama est aliquas etiam nunc vivere genteis.  
 At bene non poterat sine puro pectore vivi.  
 Quo magis hic merito nobis deus esse videtur;  
 Ex quo nunc etiam per magnas didita genteis 20  
 Dulcia permulcent animos solatia vitæ.

Herculis antistare autem si facta putabis,  
 Longius a vera multo ratione ferere.  
 Quid Nemeæus enim nobis nunc magnus hiatus  
 Ille leonis obesset, & horrens Arcadius sus? 25  
 Denique quid Cretæ taurus, Lernæaque pestis  
 Hydra venenatis posset vallata colubris?  
 Quidve tripectora tergemini vis Geryonai?  
 Et Diomedis equi spirantes naribus ignem,  
 Thracen, Bistoniasque plagas, atque Ismara propter, 30  
 Tantopere officerent nobis? uncisque timendæ  
 Unguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes?  
 Aureaque Hesperidum servans fulgentia mala  
 Asper, acerba tuens, immani corpore serpens,  
 Arboris amplexus stirpem? quid denique obesset, 35  
 Propter Atlanteum litus, pelageque severa,  
 Quo neque noster adit quisquam, neque barbarus audet?  
 Cetera de genere hoc quæ sunt portenta peremta,  
 Si non victa forent, quid tandem viva nocerent?  
 Nil, ut opinor: ita ad fatiâtem terra ferarum 40  
 Nunc etiam scatit, & trepido terrore repleta est  
 Per nemora ac monteis magnos, silvasque profundas:  
 Quæ loca vitandi plerumque est nostra potestas.

At nisi purgatum est pectus, quæ prælia nobis,  
 Atque pericula tunc ingratis insinuandum? 45  
 Quantæ conscindunt hominem cuppedinis acres  
 Sollicitum curæ? quantique perinde timores?  
 Quidve superbia, spurcities, petulantia, quantas  
 Efficiunt cladeis? quid luxus, desidiesque?

Hæc igitur qui cuncta subegerit, ex animoque 50

Expulerit dictis, non armis; nonne decebit,  
 Hunc hominem numero divum dignarier esse?  
 Cum bene præfertim multa, ac divinitus ipsis  
 Immortalibus de divis dare dicta fuërit,  
 Atque omnem rerum naturam pandere dictis.

55

Quojus ego ingressus vestigia, nunc rationes  
 Persequor, ac doceo dictis, quo quæque creata  
 Fœdere sint, in eo quam sit durare necessum:  
 Nec validas ævi valeant rescindere leges.

Quo genere in primis animi natura reperta est, 60  
 Nativo primum consistere corpore creta,  
 Nec posse incolumis magnum durare per ævum:  
 Sed simulacra solere in somnis fallere mentem,  
 Cernere cum videamur eum, quem vita reliquit.

Quod superest, nunc me huc rationis detulit ordo, 65

Ut mihi, mortali consistere corpore mundum,  
 Nativumque simul, ratio reddunda sit, esse:  
 Et quibus ille modis congressus materiai  
 Fundarit terram, cælum, mare, sidera, solem,  
 Lunaique globum; tum quæ tellure animantes 70  
 Exstiterint, & quæ nullo sint tempore natæ:

Quove modo genus humanum variante loquela  
 Cœperit inter se vesci per nomina rerum:

Et quibus ille modis divum metus insinuarit

Pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur 75

Fana, lacus, lucos, aras, simulacraque divum.

Præterea, solis cursus, lunæque meatus

Expediam, qua vi flectat natura gubernans:

Ne forte hic inter cælum, terramque reamur

Libera sponte sua cursus lustrare perenneis, 80

Morigera ad fruges augendas, atque animanteis:

Neve aliquas divum volvi ratione putemus.

Nam, bene qui didicere deos securum agere ævum,

Si tamen interea mirantur qua ratione

Quæque geri possint, præfertim rebus in illis, 85

Quæ

Quæ supra caput ætheriis cernuntur in oris;  
 Rursus in antiquas referuntur religiones,  
 Et dominos acris adsciscunt, omnia posse  
 Quos miseri credunt, ignari quid queat esse,  
 Quid nequeat; finita potestas denique quoique 90  
 Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens.

Quod superest, ne te in promissis plura moremur,  
 Principio, maria ac terras, cælumque tuere:

Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,  
 Treis species tam dissimileis, tria talia texta, 95  
 Una dies dabit exitio; multosque per annos  
 Sustentata ruet moles & machina mundi.

Nec me animi fallit, quam res nova, mira que menti  
 Accidat, exitium cæli terræque futurum:

Et quam difficile id mihi sit pervincere dictis: 100

Ut sit, ubi insolitam rem adportes auribus ante,

Nec tamen hanc possis oculorum subdere visu,

Nec jacere indu manus, via qua munita fidei

Proxima fert humanum in pectus, templa que mentis.

Sed tamen effabor: dictis dabit ipsa fidem res 105

Forfitan, & graviter terrarum motibus orbis

Omnia conquassari in parvo tempore cernes:

Quod procul a nobis flectat fortuna gubernans;

Et ratio potius quam res persuadeat ipsa,

Succidere horrifono posse omnia victa fragore. 110

Qua prius aggrediar quam de re fundere fata

Sanctius, & multo certa ratione magis quam

Pythia, quæ tripode e Phœbi, lauroque profatur:

Multa tibi expediam doctis solatia dictis;

Relligione refrenatus ne forte rearis, 115

Terras, & solem, cælum, mare, sidera, lunam,

Corpore divino debere æterna manere;

Propterea que putes ritu par esse gigantum,

Pendere eos pœnas immani pro scelere omneis,

Qui ratione sua disturbent mœnia mundi, 120

Præclarumque velint cæli restinguere solem,  
 Immortalia mortali sermone notantes.  
 Quæ procul usque adeo divino ab numine distent,  
 Inque deum numero sic sint indigna videri,  
 Notitiam potius præbere ut posse putentur, 125  
 Quid sit vitali motu, sensuque remotum.  
 Quippe etenim non est cum quovis corpore ut esse  
 Posse animi natura putetur, consiliumque.  
 Sicut in æthere non arbor, nec in æquore falso  
 Nubes esse queunt, neque pisces vivere in arvis, 130  
 Nec cruor in lignis, nec faxis succus inesse:  
 Certum, ac dispositum est, ubi quidquid crescat, & insit.  
 Sic animi natura nequit sine corpore oriri  
 Sola, neque a nervis, & sanguine longiter esse.  
 Hoc si posset enim, multo prius ipsa animi vis 135  
 In capite, aut humeris, aut imis calcibus esse  
 Posset, & innasci quavis in parte soleret:  
 Tandem in eodem homine, atque in eodẽ vase maneret.  
 Quod quoniam nostro quoque constat corpore certum,  
 Dispositumque videtur, ubi esse, & crescere possit 140  
 Seorsum anima, atque animus: tanto magis inficiandum,  
 Totum posse extra corpus, formamque animalem  
 Putribus in glæbis terrarum, aut solis in igni,  
 Aut in aqua durare, aut altis ætheris oris.  
 Haud igitur constant divino prædita sensu, 145  
 Quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.  
 Illud item non est ut possis credere, sedes  
 Esse deum sanctas in mundi partibus uillis.  
 Tenuis enim natura deum, longæque remota  
 Sensibus a nostris, animi vix mente videtur. 150  
 Quæ quoniam manuum tactum suffugit, & ictum,  
 Tactile nil nobis quod sit, contingere debet.  
 Tangere enim non quit, quod tangi non licet ipsum.  
 Quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse  
 Dissimiles debent, tenues de corpore eorum. 155



Quæ tibi posteriùs largo sermone probabo.

Dicere porro, hominum causa voluisse parare  
 Præclaram mundi naturam, proptereaque  
 Id laudabile opus divûm laudare decere,  
 Æternumque putare, atque immortale futurum, 160  
 Nec fas esse, deûm quod sit ratione vetusta  
 Gentibus humanis fundatum perpetuo ævo,  
 Sollicitare suis ullum de sedibus umquam,  
 Nec verbis vexare, & ab imo evertere summam:  
 Cetera de genere hoc adfingere, & addere, Memmi, 165  
 Desipere est. quid enim immortalibus atque beatis  
 Gratia nostra queat largiri emolumentum,  
 Ut nostra quidquam causa gerere adgrediantur?  
 Quidve novi potuit tanto post ante quietos  
 Illicere, ut cuperent vitam mutare priorem? 170  
 Nam gaudere novis rebus debere videtur,  
 Cui veteres obsunt; sed, cui nil accidit ægri  
 Tempore in anteacto, cum pulchre degeret ævum,  
 Quid potuit novitatis amorem accendere tali?  
 An, credo, in tenebris vita, ac mœrore jacebat, 175  
 Donec diluxit rerum genitalis origo?  
 Quidve mali fuerat nobis non esse creatis?  
 Natus enim debet, quicumque est, velle manere  
 In vita, donec retinebit blanda voluptas:  
 Qui numquam vero vitæ gustavit amorem, 180  
 Nec fuit in numero, quid obest non esse creatum?

Exemplum porro gignendis rebus, & ipsa  
 Notities hominum, divis unde insita primum?  
 Quid vellent facere ut scirent, animoque viderent?  
 Quove modo est umquam vis cognita principiorum? 185  
 Quidnam inter sese permutato ordine possent,  
 Si non ipsa dedit specimen natura creandi?  
 Namque ita multa modis multis primordia rerum  
 Ex infinito jam tempore percita plagis,  
 Ponderibusque suis consuerunt concita ferri, 190

Omni-

Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,  
 Quæcumque inter se possint congressa creare,  
 Ut non sit mirum si in taleis disposituras  
 Deciderunt quoque, & in taleis venere meatus,  
 Qualibus hæc rerum genitur nunc summa novando. 195

Quod si jam rerum ignorem primordia quæ sint,  
 Hoc tamen ex ipsis cæli rationibus ausim  
 Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,  
 Nequaquam nobis divinitus esse paratam  
 Naturam rerum; tanta stat prædita culpa. 200

Principio, quantum cæli tegit impetus ingens,  
 Inde avidam partem montes, silvæque ferarum  
 Possedere, tenent rupes, vastæque paludes,  
 Et mare, quod late terrarum distinet oras.  
 Inde duas porro prope parteis fervidus ardor, 205  
 Assiduusque geli casus mortalibus aufert.

Quod superest arvi, tamen id natura sua vi  
 Sentibus obducatur, ni vis humana resistat,  
 Vitæ causa valido consueta bidenti  
 Ingemere, & terram pressis proscindere aratris. 210  
 Si non fœcundas vertentes vomere glæbas,  
 Terræque solum subigentes cimus ad ortus;  
 Sponte sua nequeant liquidas existere in auras.  
 Et tamen interdum magno quæsitâ labore,  
 Cum jam per terras frondent, atque omnia florent; 215  
 Aut nimis torret fervoribus ætherius sol,  
 Aut subiti perimunt imbres, gelidæque pruinae,  
 Flabraque ventorum violento turbine vexant.

Præterea genus horrifera natura ferarum,  
 Humanæ genti infestum, terraque marique, 220  
 Cur alit, atque auget, cur anni tempora morbos  
 Apportant? quare mors immatura vagatur?

Tum porro puer, ut sævis projectus ab undis  
 Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni  
 Vitali auxilio, cum primum in luminis oras 225

Nixibus ex alvo matris natura profudit;  
 Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est,  
 Cui tantum in vita restet transire malorum.  
 At variæ crescunt pecudes, armenta, feræque: (230  
 Nec crepitacula eis opus sunt, nec cuiquã adhibenda est  
 Almæ nutricis blanda atque infracta loquela:  
 Nec varias quærunt vesteis pro tempore cæli.  
 Denique non armis opus est, non mœnibus altis,  
 Quæis sua tutentur, quando omnibus omnia large  
 Tellus ipsa parit, naturaque dædala rerum. 235

Principio, quoniam terrai corpus, & humor,  
 Aurarumque leves animæ, calidique vapores,  
 E quibus hæc rerum consistere summa videtur,  
 Omnia nativo ac mortali corpore constant;  
 Debet tota eadem mundi natura putari. 240

Quippe etenim quorum parteis, & membra videmus  
 Corpore nativo & mortalibus esse figuris;  
 Hæc eadem ferme mortalia cernimus esse,  
 Et nativa simul. Quapropter maxima mundi  
 Cum videam membra, ac parteis consumpta regigni; 245  
 Scire licet, cæli quoque idem terræque fuisse  
 Principiale aliquod tempus, clademque futuram.

Illud in his rebus ne me arripuisse rearis,  
 Memmi, quod terram, atque ignem mortalia sumfi  
 Esse; neque humorem dubitavi, aurasque perire; 250  
 Atque eadem gigni, rursusque augetcere dixi.

Principio, pars terrai nonnulla perusta  
 Solibus assiduis, multa pulsata pedum vi,  
 Pulveris exhalat nebulam, nubæisque volanteis,  
 Quas validi toto dispergunt aère venti: 255  
 Pars etiam glæbarum ad diluviem revocatur  
 Imbribus, & ripas radentia flumina rodunt.  
 Præterea, pro parte sua quodcumque alid auget,  
 Roditur: & quoniam dubio procul esse videtur  
 Omniparens, eadem rerum commune sepulcrum; 260

Ergo

Ergo terra tibi limatur, & aqua recrefcit.

Quod fupereft, humore novo, mare, flumina, fonteis  
Semper abundare, & latices manare perenneis,  
Nil opus eft verbis, magnus decurfus aquarum  
Undique declarat: fed primum quidquid aqua 265  
Tollitur, in fumaque fit, ut nihil humor abundet;  
Partim quod validi verrentes æquora venti  
Deminuunt, radiisque retexens ætherius fol:  
Partim quod fubter per terras diditur omneis.  
Percolatur enim virus, retroque remanat 270  
Materies humoris, & ad caput amnibus omnis  
Convenit; inde fuper terras fluit agmine dulci,  
Qua via fefta femel liquido pede detulit undas.

Aëra nunc igitur dicam, qui corpore toto  
Innumerabiliter privas mutatur in horas. 275  
Semper enim quodcumque fluit de rebus, id omne  
Aëris in magnum fertur mare: qui nifi contra  
Corpora retribuatur rebus, recreetque fluenteis,  
Omnia jam refoluta forent, & in aëra verfa.  
Haud igitur ceffat gigni de rebus, & in res 280  
Recidere affidue, quoniam fluere omnia conftat.

Largus item liquidi fons luminis, ætherius fol  
Inrigat affidue cælum candore recenti,  
Suppeditatque novo confestim lumine lumen.  
Nam primum quidquid fulgoris difperit eii, 285  
Quocumque accidit: id licet hinc cognofcere poffis,  
Quod fimul ac primum nubes fuccedere foli  
Cœpere, & radios inter quali rumpere lucis,  
Extemplo inferior pars horum difperit omnis,  
Terraque inumbratur, qua nimbi cumque feruntur; 290  
Ut nofcas fplendore novo res femper egere,  
Et primum jaftum fulgoris quemque perire;  
Nec ratione alia res poffe in fole videri,  
Perpetuo ni suppeditet lucis caput ipfum.

Quin etiam nocturna tibi, terreftria quæ funt, 295  
Lumi-

Lumina, pendentes lychni, clareque coruscis  
 Fulguribus pingues multa caligine tædæ,  
 Consimili properant ratione, ardore ministro,  
 Suppeditare novum lumen, tremere ignibus instant;  
 Instant, nec loca lux inter quasi rupta relinquit: 300  
 Usque adeo properanter ab omnibus ignibus ejus  
 Exitium celeri toleratur origine flammæ.  
 Sic igitur, solem, lunam, stellasque putandum  
 Ex alio atque alio lucem jactare subortu,  
 Et primum quidquid flammæ perdere semper; 305  
 Inviolabilia hæc ne credas forte vigere.

Denique non lapides quoque vinci cernis ab ævo?  
 Non altas turreis ruere, & putrescere saxa?  
 Non delubra deûm, simulacraque fessa fatisci?  
 Nec sanctum numen fati protollere sineis 310  
 Posse? neque adversus naturæ fœdera niti?  
 Denique non monumenta virûm dilapsa videmus  
 Cedere proporro, subitoque senescere casu?  
 Non ruere avolfos silices a montibus altis,  
 Nec validas ævi vireis perferre, patique 315  
 Finiti? neque enim caderent avolsa repente,  
 Ex infinito quæ tempore pertolerassent  
 Omnia tormenta ætatis privata fragore.

Denique jam tuere hoc circum, supraque, quod omnē  
 Continet amplexu terram; quod procreat ex se 320  
 Omnia (quod quidam memorant) recipitque peremta:  
 Totum nativum mortali corpore constat.  
 Nam quodcumque alias ex se res auget, alitque,  
 Diminui debet, recreari cum recipit res.  
 Præterea, si nulla fuit genitæ origo 325  
 Terræ & cæli, semperque æterna fuere:  
 Cur supera bellum Thebanum, & funera Trojæ,  
 Non alias alii quoque res cecinere poëtæ?  
 Quo tot facta virûm toties cecidere? nec usquam  
 Æternis famæ monumentis insita florent? 330

Verum, ut opinor, habet novitatem summa, recensque  
 Natura est mundi, neque pridem exordia cepit.  
 Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,  
 Nunc etiam auferuntur: nunc addita navigiis sunt  
 Multa: modo organici melicos peperere sonores. 335  
 Denique natura hæc rerum, ratioque reperta est  
 Nuper, & hanc primus cum primis ipse repertus  
 Nunc ego sum, in patrias qui possim vertere voces.

Quod si forte fuisse antehac eadem omnia credis;  
 Sed periisse hominum torrenti sæcla vapore, 340  
 Aut cecidisse urbeis magno vexamine mundi,  
 Aut ex imbribus assiduis exisse rapaceis  
 Per terras amneis, atque oppida cooperuisse:  
 Tanto quippe magis victus fateare necesse est,  
 Exitium quoque terrarum, cælique futurum. 345  
 Nam cum res tantis morbis tantisque periculis  
 Tentarentur, ibi si tristior incubuisset  
 Causa, darent late cladem, magnasque ruinas:  
 Nec ratione alia mortales esse videmur  
 Inter nos, nisi quod morbis ægriscimus iisdem, 350  
 Atque illi, quos a vita natura removet.

Præterea, quæcumque manent æterna, necesse est,  
 Aut quia sunt solido cum corpore, respuere ictus,  
 Nec penetrare pati sibi quidquam, quod queat arctas  
 Dissociare intus partes, ut materiai 355  
 Corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante:  
 Aut ideo durare ætatem posse per omnem,  
 Plagarum quia sunt expertia, sicut inane est,  
 Quod manet intactum, neque ab ictu fungitur hilum:  
 Aut etiam, quia nulla loci sit copia circum, 360  
 Quo quasi res possint discedere, dissolvique:  
 Sicut summarum summa est æterna, neque extra  
 Quis locus est, quo dissiliant; neque corpora sunt, quæ  
 Possint incidere, & valida dissolvere plaga.  
 At neque, uti docui, solido cum corpore mundi 365

Natura est, quoniam admistum est in rebus inane:  
Nec tamen est ut inane: neque autem corpora desunt,

Ex infinito quæ possint forte coorta

Proruere hanc rerum violento turbine summam,

Aut aliam quamvis cladem importare pericli. 370

Nec porro natura loci, spatiumque profundi

Deficit, exspergi quo possint mœnia mundi,

Aut alia quavis possint vi pulsa perire.

Haud igitur leti præclusa est janua cælo,

Nec soli, terræque, nec altis æquoris undis; 375

Sed patet immani, & vasto respectat hiatus.

Quare etiam nativa necessum est confiteare

Hæc eadem: neque enim, mortali corpore quæ sunt,

Ex infinito jam tempore adhuc potuissent

Immensi validas ævi contemnere vireis. 380

Denique tantopere inter se cum maxima mundi

Pugnent membra, pio nequaquam concita bello;

Nonne vides aliquam longi certaminis ollis

Posse dari finem? vel cum sol, & vapor omnis

Omnibus epotis humoribus exsuperarint, 385

Quod facere intendunt, neque adhuc conata patrantur:

Tantum suppeditant amnes, ultroque minantur

Omnia diluviare ex alto gurgite ponti:

Nequidquam; quoniam verrentes æquora venti

Deminuunt, radiisque retexens ætherius sol; 390

Et siccare prius confidunt omnia posse,

Quam liquor incepti possit contingere finem.

Tantum spirantes æquo certamine bellum

Magnis de rebus inter se cernere certant:

Cum semel in terra fuerit superantior ignis, 395

Et semel, ut fama est, humor regnarit in arvis.

Ignis enim superavit, & ambens multa perussit,

Avia cum Phaëthonta rapax vis Solis equorum

Ætheræ raptavit toto, terrasque per omneis.

At pater omnipotens ira tum percitus acri

Magnanimum Phaëthonta repenti fulminis ictu  
 Deturbavit equis in terram; Solque cadenti  
 Obvius æternam suscepit lampada mundi,  
 Disiectosque redegit equos, junxitque trementeis:  
 Inde suum per iter recreavit cuncta gubernans; 405  
 Scilicet, ut veteres Grajùm cecinere poëtæ.

Quod procul a vera est animi ratione repulsum.  
 Ignis enim superare potest, ubi materiai  
 Ex infinito sunt corpora plura coorta;  
 Inde cadunt vires aliqua ratione revictæ, 410  
 Aut pereunt res exustæ torrentibus auris.

Humor item quondam cœpit superare coortus,  
 Ut fama est hominum, multas quando obruit urbeis;  
 Inde ubi vis aliqua ratione averfa recessit,  
 Ex infinito fuerat quæcumque coorta, 415  
 Constiterunt imbres, & flumina vim minuerunt.

Sed quibus ille modis coniectus materiai  
 Fundarit cælum, ac terram, pontique profunda,  
 Solisque & lunæ cursus, ex ordine ponam.  
 Nam certe neque consilio primordia rerum 420  
 Ordine se quæque, atque sagaci mente locarunt;  
 Nec quos quæque darent motus pepigere profecto:  
 Sed quia multa modis multis primordia rerum  
 Ex infinito jam tempore percita plagis,  
 Ponderibusque suis consuerunt concita ferri, 425  
 Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,  
 Quæcumque inter se possent congressa creare;  
 Propterea fit, uti magnum volgata per ævum,  
 Omnigenos cœtus & motus experiundo,  
 Tandem ea convenient, quæ ut convenere, repente 430  
 Magnarum rerum fiant exordia sæpe,  
 Terrai, maris, & cæli, generisque animantum.

Hic neque tum solis rota cerni lumine largo  
 Alti volans poterat, neque magni sidera mundi,  
 Nec mare, nec cælum, nec denique terra, neque aër, 435  
 Nec



Nec similis nostris rebus res ulla videri:  
 Sed nova tempestas quædam, molesque coorta.  
 Diffugere inde loci partes cœpere, paresque  
 Tum paribus jungi res, & discludere mundum,  
 Membraque dividere, & magnas disponere parteis 440  
 Omnigenis e principiis, discordia quorum  
 Intervalla, vias, connexus, pondera, plagas,  
 Concurfus, motus turbabat, prælia miscens,  
 Propter dissimileis formas, variasque figuras;  
 Quod non omnia sic poterant conjuncta manere, 445  
 Nec motus inter sese dare convenienteis:  
 Hoc est a terris altum secernere cælum,  
 Et seorsum mare uti secreto humore pateret,  
 Seorsus item puri, secretique ætheris ignes.

Quippe etenim primum terræ corpora quæque, 450  
 Propterea quod erant gravia, & perplexa, coibant,  
 In medioque imas capiebant omnia sedes:  
 Quæ quanto magis inter se perplexa coibant,  
 Tam magis expressere ea, quæ mare, sidera, solem,  
 Lunamque efficerent, & magni mœnia mundi. 455  
 Omnia enim magis hæc e lævibus atque rotundis  
 Seminibus, multoque minoribus sunt elementis,  
 Quam tellus: ideo per rara foramina terræ  
 Partibus erumpens primus se sustulit æther  
 Signifer, & multos secum levis abstulit igneis: 460  
 Non alia longe ratione, ac sæpe videmus,  
 Aurea cum primum gemmanteis rore per herbas  
 Matutina rubent radiati lumina solis,  
 Exhalantque lacus nebulam, fluviique perennes:  
 Ipsa quoque interdum tellus fumare videtur: 465  
 Omnia quæ sursum cum conciliantur in alto,  
 Corpore concreto subtexunt nubila cælum.  
 Sic igitur tum se levis, ac diffusilis æther  
 Corpore concreto circumdatus undique sepsit,  
 Et late diffusus in omneis undique parteis, 470

Omnia sic avido complexu cetera sepsit.  
 Hunc exordia sunt solis lunæque secuta;  
 Inter utrosque globi quorum vertuntur in auris:  
 Quæ neque terra sibi adscivit, neque maximus æther;  
 Quod nec tam fuerint gravia, ut depressa sederent; 475  
 Nec levia, ut possent per summas labier oras:  
 Et tamen inter utrosque ita sunt, ut corpora viva  
 Versent, & partes ut mundi totius exstent.  
 Quod genus in nobis quædam licet in statione  
 Membra manere, tamen cum sint ea, quæ moveantur. 480  
 His igitur rebus retractis, terra repente,  
 Maxima qua nunc se ponti plaga cærule tendit,  
 Succidit, & falso suffudit gurgite fossas:  
 Inque dies quanto circum magis ætheris æstus,  
 Et radii solis cogebant undique terram, 485  
 Verberibus crebris extrema ad limina apertam,  
 In medio ut propulsa suo condensa coiret:  
 Tam magis expressus falsus de corpore sudor  
 Augebat mare manando, camposque natanteis:  
 Et tanto magis illa foras elapsa volabant 490  
 Corpora multa vaporis, & aëris, altaque cæli  
 Densebant procul a terris fulgentia templa:  
 Sidebant campi, crescebant montibus altis  
 Ascensus: neque enim poterant subsidere saxa,  
 Nec pariter tantumdem omnes succumbere partes. 495  
 Sic igitur terræ concreto corpore pondus  
 Constatit, atque omnis mundi quasi limus in imum  
 Confluxit gravis, & subsedit funditus, ut sæx.  
 Inde mare, inde aër, inde æther ignifer ipse.  
 Corporibus liquidis sunt omnia pura relicta; 500  
 Et leviora aliis alia: & liquidissimus æther,  
 Atque levissimus aërias super influit auras;  
 Nec liquidum corpus turbantibus aëris auris  
 Commiscet: sinit hæc violentis omnia verti  
 Turbinibus: sinit incertis turbare procellis: 505  
 Ipse

Ipsè suos igneis certo fert impete labens.  
 Nam modice fluere, atque uno posse æthera nifu,  
 Significat ponti mare, certo quod fluit æstu,  
 Unum labendi conservans usque tenorem.

Motibus astrorum nunc quæ sit caussa, canamus. 510  
 Principio, magnus cæli si vertitur orbis,  
 Ex utraque polum parti premere aëra nobis  
 Dicendum est, extraque tenere, & claudere utrimque;  
 Inde alium supera fluere, atque intendere eodem,  
 Quo volvenda micant æterni sidera mundi: 515  
 Ast alium subter, contra qui subvehat orbem:  
 Ut fluvios versare rotas, atque hauftra videmus.  
 Est etiam quoque, uti possit cælum omne manere  
 In statione, tamen cum lucida signa ferantur:  
 Sive quod inclusi rapidi sunt ætheris æstus, 520  
 Quærentesque viam circumversantur, & ignes  
 Passim per cæli volvunt se immania templa:  
 Sive aliunde fluens alicunde extrinsecus aër  
 Versat agens igneis: sive ipsi serpere possunt,  
 Quo cujusque cibus vocat, atque invitat eunteis, 525  
 Flammea per cælum pascenteis corpora passim.  
 Nam quid in hoc mundo sit eorum, ponere certum  
 Difficile est: sed quid possit, fiatque per Omne  
 In variis mundis varia ratione creatis,  
 Id doceo; plureisque sequor disponere caussas 530  
 Motibus astrorum, quæ possint esse per Omne.  
 Equibus una tamen sit & hæc quoque caussa necesse est,  
 Quæ vegeat motum signis: sed quæ sit earum  
 Præcipere, haudquaquam est pedetentim progredientis.  
 Terraque ut in media mundi regione quiescat, 535  
 Evanescere paullatim, & decrefcere pondus  
 Convenit; atque aliam naturam subter habere  
 Ex ineunte ævo conjunctam, atque uniter aptam  
 Partibus aëriis mundi, quibus insita sidit.  
 Propterea non est oneri, neque deprimit auras: 540

Et sua cuique homini nullo sunt pondere membra:  
Nec caput est oneri collo, nec denique totum  
Corporis in pedibus pondus sentimus inesse.

At quæcumque foris veniunt, impostaque nobis  
Pondera sunt, lædunt permulto sæpe minora: 545  
Usque adeo magni refert, cui quæ adiaceat res.

Sic igitur tellus non est aliena repente  
Adlata, atque auris aliunde objecta alienis;  
Sed pariter prima concepta ab origine mundi,  
Certaque pars ejus, quasi nobis membra, videtur. 550

Præterea grandi tonitru concussa repente  
Terra, supra quæ se sunt concutit omnia motu:  
Quod facere haud ulla posset ratione, nisi esset  
Partibus aëriis mundi, cæloque revincta:

Nam communibus inter se radicibus hærent 555

Ex ineunte ævo conjuncta, atque uniter apta.  
Nonne vides etiam, quam magno pondere nobis  
Sustineat corpus tenuissima vis animæ,

Propterea quia tam conjuncta, atque uniter apta est?  
Denique jam saltu pernici tollere corpus 560

Quis potis est, nisi vis animæ, quæ membra gubernat?

Jamne vides quantum tenuis natura valere  
Possit, ubi est conjuncta gravi cum corpore, ut aër  
Conjunctus terris, & nobis est animi vis?

Nec nimio solis major rota, nec minor ardor 565  
Esse potest, nostris quam sensibus esse videtur.

Nam quibus e spatiis cumque ignes lumina possunt  
Adjicere, & calidum membris adflare vaporem,  
Illa ipsa intervalla nihil de corpore limant

Flammarum, nihilo ad speciem est contractior ignis. 570

Proinde calor quoniam solis, lumenque profusum  
Perveniant nostros ad sensus, & loca tingunt:

Forma quoque hinc solis debet, filumque videri,  
Nil adeo ut possis plus, aut minus addere vere.

Lunaque sive notho fertur loca lumine lustrans, 575

Sive suam proprio jactat de corpore lucem,  
 Quidquid id est, nihilo fertur majore figura,  
 Quam, nostris oculis quam cernimus, esse videtur.  
 Nam prius omnia, quæ longe remmota tuemur  
 Aëra per multum specie confusa videntur, 580  
 Quam minimum filum: quapropter luna necesse est,  
 Quandoquidem claram speciem, certamque figuram  
 Præbet, ut est oris extremis cumque notata,  
 Quanta hæc cumque fuat, tanta hinc videatur in alto.

Postremo, quoscumque vides hinc ætheris igneis, 585  
 (Quandoquidem, quoscumque in terris cernimus igneis,  
 Dum tremor est clarus, dum cernitur ardor eorum,  
 Per parvum quiddam interdum mutare videntur.  
 Alterutram in partem filum, cum longius absint, )  
 Scire licet, perquam pauxillo posse minores 590  
 Esse, vel exigua majores parte, brevique.

Illud item non est mirandum, qua ratione  
 Tantulus ille queat tantum sol mittere lumen,  
 Quod maria, ac terras omneis, cælumque rigando  
 Compleat, & calido perfundat cuncta vapore. 595  
 Nam licet hinc mundi patefactum totius unum  
 Largifluum fontem scatere, atque erumpere flumen  
 Ex omni mundo, quo sic elementa vaporis  
 Undique conveniunt, & sic conjectus eorum  
 Confluit, ex uno capite hic ut profluat ardor. 600  
 Nonne vides etiam, quam late parvus aquai  
 Prata riget fons interdum, campisque redundet?  
 Est etiam quoque uti non magno solis ab igni  
 Aëra percipiat calidis fervoribus ardor,  
 Opportunus ita est si forte, & idoneus aër, 605  
 Ut queat accendi parvis ardoribus ictus:  
 Quod genus interdum segetes stipulamque videmus  
 Accipere ex una scintilla incendia passim.  
 Forsitan & rosea sol alte lampade lucens  
 Possideat multum cæcis fervoribus ignem 610

Circum se, nullo qui sit fulgore notatus,  
Æstiferum ut tantum radiorum exaugeat istum.

Nec ratio solis simplex, nec certa patescit,  
Quo pacto æstivis e partibus, Ægocerotis  
Brumaleis adeat flexus, atque inde revertens 615

Canceris ut vertat metas se ad solstitiales:  
Lunaque mensibus id spatium videatur obire,  
Annua sol in quo consumit tempora cursu:  
Non, inquam, simplex his rebus reddita causa est.

Nam fieri vel cum primis id posse videtur, 620

Democriti quod sancta viri sententia ponit:  
Quanto quæque magis sint terram sidera propter,  
Tanto posse minus cum cæli turbine ferri.

Evanescere enim rapidas illius, & acreis  
Imminui subter vireis, ideoque relinqui 625

Paullatim solem cum posterioribus signis,  
Inferior multo quod sit, quam fervida signa:

Et magis hoc lunam, & quanto demissior ejus  
Cursus abest procul a cælo, terrisque propinquat,  
Tanto posse minus cum signis tendere cursum. 630

Flaccidiore etiam quanto jam turbine fertur  
Inferior quam sol, tanto magis omnia signa  
Hanc adipiscuntur, circum, præterque feruntur.

Propterea fit, ut hæc ad signum quodque reverti  
Mobilius videatur, ad hanc quia signa revolvunt. 635

Fit quoque ut e mundi transversis partibus aër  
Alternis certo fluere alter tempore possit,

Qui queat æstivis solem detrudere signis  
Brumaleis usque ad flexus, gelidumque rigorem;  
Et qui rejiciat gelidis a frigoris umbris 640

Æstiferas usque in parteis, & fervida signa.

Et ratione pari lunam, stellasque putandum est,  
Quæ volvunt magnos in magnis orbibus annos,  
Aëribus posse alternis a partibus ire.

Nonne vides etiam diversis nubila ventis 645

Diversas ire in parteis, inferna supernis?  
 Qui minus illa queant per magnos ætheris orbeis  
 Æstibus inter se diversis sidera ferri?

At nox obruit ingenti caligine terras,  
 Aut ubi de longo cursu sol extima cæli 650  
 Impulit, atque suos efflavit languidus igneis,  
 Concussos itere, & labefactos aëre multo:  
 Aut quia sub terras cursum convertere cogit  
 Vis eadem, supera terras quæ pertulit orbem.

Tempore item certo roseam Matuta per oras 655  
 Ætheris auroram defert, & lumina pandit,  
 Aut quia sol idem sub terras ille revertens  
 Anticipat cælum radiis accendere tentans:  
 Aut quia conveniunt ignes, & semina multa  
 Confluere ardoris consuerunt tempore certo, 660  
 Quæ faciunt solis nova semper lumina gigni.  
 Quod genus Idæis fama est e montibus altis  
 Dispersos igneis orienti lumine cerni:

Inde coire globum quasi in unum, & conficere orbem.

Nec ramen illud in his rebus mirabile debet 665  
 Esse, quod hæc ignis tam certo tempore possint  
 Semina confluere, & solis reparare nitorem.  
 Multa videmus enim, certo quæ tempore fiunt  
 Omnibus in rebus: florescunt tempore certo  
 Arbusta, & certo dimittunt tempore florem. 670

Nec minus in certo denteis cadere imperat ætas  
 Tempore, & impubem molli pubescere veste,  
 Et pariter mollem malis demittere barbam.  
 Fulmina postremo, nix, imbres, nubila, venti,  
 Non nimis incertis fiunt in partibus anni. 675

Namque ubi sic fuerunt caussarum exordia prima,  
 Atque uti res mundi cecidere ab origine prima,  
 Consequa natura est jam rerum ex ordine certo.

Crescere itemque dies licet, & tabescere nocteis,  
 Et minui luces, cum sumant augmina noctes: 680

Aut quia sol idem sub terras, atque superne,  
 Imparibus currens amfractibus ætheris oras  
 Partit, & in parteis non æquas dividit orbem:  
 Et quod ab alterutra detraxit parte, reponit  
 Ejus in adversa tanto plus parte relatus, 685  
 Donicum ad id signum cæli pervenit, ubi anni  
 Nodus nocturnas exæquat lucibus umbras.  
 Nam medio cursu flatus Aquilonis, & Austri,  
 Distinet æquato cælum discrimine metas,  
 Propter signiferi posituram totius orbis; 690  
 Annua sol in quo contundit tempora serpens,  
 Obliquo terras, & cælum lumine lustrans:  
 Ut ratio declarat eorum, qui loca cæli  
 Omnia dispositis signis ornata notarunt.  
 Aut quia crassior est certis in partibus aër, 695  
 Sub terris ideo tremulum jubar hæsitat ignis,  
 Nec penetrare potest facile atque emergere ad ortus.  
 Propterea noctes hiberno tempore longæ  
 Cessant, dum veniat radiatum insigne diei.  
 Aut etiam, quia sic alternis partibus anni 700  
 Tardius & citius consuerunt confluere ignes,  
 Qui faciant solem certa de surgere parte.  
 Luna potest solis radiis percussa nitere,  
 Inque dies majus lumen convertere nobis  
 Ad speciem, quantum solis secedit ab orbe, 705  
 Donicum eum contra pleno bene lumine fulsit,  
 Atque oriens obitus ejus super edita vidit:  
 Inde minutatim retro quasi condere lumen  
 Debet item, quanto propius jam solis ad ignem  
 Labitur ex alia signorum parte per orbem: 710  
 Ut faciunt, lunam qui fingunt esse pilam  
 Consimilem, cursusque viam sub sole tenere:  
 Propterea fit uti videantur dicere verum.  
 Est etiam quoque uti proprio cum lumine possit  
 Volvier, & varias splendoris reddere formas. 715



Corpus enim licet esse aliud, quod fertur, & una  
 Labitur omnimodis occursans officiensque,  
 Nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur.  
 Versarique potest, globus ut, si forte, pilai  
 Dimidia ex parti candenti lumine tinctus, 720  
 Versandoque globum varianteis edere formas,  
 Donicum eam partem, quæcumque est ignibus aucta,  
 Ad speciem vertit nobis, oculosque patenteis:  
 Inde minutatim retro contorquet, & aufert  
 Luciferam partem glomeraminis, atque pilai: 725  
 Ut Babylonica Chaldæam doctrina refutans  
 Astrologorum artem contra convincere tendit:  
 Proinde quasi fieri nequeat, quod pugnat uterque,  
 Aut minus hoc illo sit cur amplectier ausis.

Denique, cur nequeat semper nova luna creari 730  
 Ordine formarum certo, certisque figuris,  
 Inque dies privos adolescere quæque creata,  
 Atque alia illius reparari in parte, locoque,  
 Difficile est ratione docere, & vincere verbis;  
 Ordine cum videas tam certo multa creari. 735  
 It Ver, & Venus, & Veneris prænuntius ante  
 Pennatus graditur Zephyrus vestigia propter:  
 Flora quibus mater præspersgens ante viai  
 Cuncta coloribus egregiis, & odoribus opplet.  
 Inde loci sequitur calor aridus, & comes una 740  
 Pulverulenta Ceres, & Etesia flabra Aquilonum.  
 Inde Autumnus adit: graditur simul Evius Evan:  
 Inde aliæ tempestates, ventique sequuntur,  
 Altitonans Vultur, & Auster fulmine pollens.  
 Tandem bruma nives adfert, pigrumque rigorem 745  
 Reddit: Hiems sequitur, crepitans ac dentibus alga.  
 Quo minus est mirum, si certo tempore luna  
 Gignitur, & certo deletur tempore rursus:  
 Cum fieri possint tam certo tempore multa.

Solis item quoque defectus, lunæque latebras, 750

Pluri-

Pluribus e caussis fieri tibi posse putandum est.  
 Nam cur luna queat terram secludere solis  
 Lumine, & a terris altum caput obstruere eii,  
 Objiciens cæcum radiis ardentibus orbem:  
 Tempore eodem aliud facere id non posse putetur 755  
 Corpus, quod cassum labatur lumine semper?  
 Solque suos etiam dimittere languidus igneis  
 Tempore cur certo nequeat recreareque lumen,  
 Cum loca præterit flammis infesta per auras,  
 Quæ faciunt igneis interstingui atque perire? 760  
 Et cur terra queat lunam spoliare vicissim  
 Lumine, & oppressum solem super ipsa tenere,  
 Menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras:  
 Tempore eodem aliud nequeat succurrere lunæ  
 Corpus, vel supera solis perlabier orbem, 765  
 Quod radios interrumpat, lumenque profusum?  
 Et tamen ipsa suo si fulgit luna nitore,  
 Cur nequeat certa mundi languescere parte,  
 Dum loca luminibus propriis inimica pererrat?  
 Quod superest, quoniam magni per cæcula mûdi 770  
 Qua fieri quidquid posset ratione, resolvi:  
 Solis uti varios cursus, lunæque meatus  
 Noscere possemus, quæ vis, & caussa cieret:  
 Quove modo soleant offectio lumine obire,  
 Et nec opinanteis tenebris obducere terras: 775  
 Cum quasi connivent, & aperto lumine rursus  
 Omnia convifunt clara loca candida luce.  
 Nunc redeo ad mundi novitatem, & mollia terræ  
 Arva, novo sætu quid primum in luminis oras  
 Tollere, & incertis tentarit credere ventis. 780  
 Principio, genus herbarum, viridemque nitorem  
 Terra dedit circum colleis, camposque per omnes  
 Florida fulserunt viridanti prata colore:  
 Arboribusque datum est variis exinde per auras  
 Crescendi magnum immixtis certamen habenis. 785  
 Ut

Ut pluma atque pili primum setæque creantur  
 Quadrupedum in membris, & corpore pennipotentum:

Sic nova tum tellus herbas virgultaque primum  
 Sustulit: inde loci mortalia sæcla creavit

Multa modis multis varia ratione coorta. 790

Nam neque de cælo cecidisse animalia possunt,  
 Nec terrestria de falsis exisse lacunis.

Linquntur ut merito maternum nomen adepta  
 Terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata.

Multaque nunc etiam existunt animalia terris, 795  
 Imbribus, & calido solis concreta vapore.

Quo minus est mirum, si tum sunt plura coorta,  
 Et majora, nova tellure, atque æthere adulto.

Principio, genus alituum, variæque volucres  
 Ova relinquebant exclusæ tempore verno: 800

Folliculos ut nunc teretes æstate cicadæ  
 Linqunt, sponte sua victum vitamque petentes.

Tum tibi terra dedit primum mortalia sæcla:  
 Multus enim calor, atque humor superabat in arvis.

Hinc ubi quæque loci regio opportuna dabatur, 805  
 Crescebant uteri terræ radicibus apti:

Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas  
 Intantum, fugiens humorem, aurasque petissens,  
 Convertibat ibi natura foramina terræ,

Et succum venis cogeabat fundere apertis 810  
 Consimilem lactis: sicut nunc femina quæque

Cum peperit, dulci repletur lacte, quod omnis  
 Impetus in mammas convertitur ille alimenti.

Terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile  
 Præbebat multa & molli lanugine abundans. 815

At novitas mundi nec frigora dura ciebat,  
 Nec nimios æstus, nec magnis viribus auras,  
 Omnia enim pariter crescunt, & robora sumunt.

Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta  
 Terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit 820

Huma-

Humanum, atque animal prope certo tempore fudit  
 Omne, quod in magnis bacchatur montibus passim,  
 Aëriasque simul volucreis variantibus formis.  
 Sed quia finem aliquam pariendi debet habere,  
 Destitit, ut mulier spatio defessa vetusto; 825  
 Mutat, enim mundi naturam totius ætas,  
 Ex alioque alius status excipere omnia debet,  
 Nec manet ulla sui similis res: omnia migrant,  
 Omnia commutat natura, & vertere cogit.  
 Namque aliud putrescit, & ævo debile languet: 830  
 Porro aliud concrefcit, & e contemptibus exit.  
 Sic igitur mundi naturam totius ætas  
 Mutat, & ex alio terram status excipit alter,  
 Quod potuit, nequeat; possit, quod non tulit ante.  
 Multaque tum tellus etiam portenta creare 835  
 Conata est, mira facie, membrisque coorta;  
 „ Androgynū inter utrū, nec utrūq; & utrimq; remotū,  
 Orba pedum partim, manuum viduata vicissim,  
 Multa sine ore etiam, sine voltu cæca reperta,  
 Vinc̄taque membrorum per totum corpus adhæsu; 840  
 Nec facere ut possent quidquam, nec cedere quoquam,  
 Nec vitare malum, nec sumere quod foret usus.  
 Cetera de genere hoc monstra, ac portenta creabat:  
 Nequidquam; quoniam natura absterruit auctum:  
 Nec potuere cupitum ætatis tangere florem, 845  
 Nec reperire cibum, nec jungi per Veneris res.  
 Multa videmus enim rebus concurrere debere,  
 Ut propagando possint producere sæcla.  
 Pabula primum ut sint, genitalia deinde per artus  
 Semina quæ possint membris manare remissis: 850  
 Feminaque ut maribus conjungi possit, habendum  
 Mutua queis nectant inter se gaudia, utrisque.  
 Multaque tum interiisse animantum sæcla necesse est,  
 Nec potuisse propagando procudere prolem.  
 Nam quæcumque vides vesci vitalibus auris, 855  
 Aut

Aut dolus, aut virtus, aut denique mobilitas est

Ex ineunte ævo genus id tutata reservans.

Multaque sunt, nobis ex utilitate sua quæ

Commendata manent tutelæ tradita nostræ.

Principio, genus acre leonum, sævaque sæcla 860

Tutata est virtus, vulpeis dolus, & fuga cervos.

At levisomna canum fido cum pectore corda,

Lanigeræque simul pecudes, & buccera sæcla,

Omnia sunt hominum tutelæ tradita, Memmi. 865

Nam cupide fugere feras, pacemque secutæ

Sunt, & larga suo sine pabula parta labore;

Quæ damus utilitatis eorum præmia causa.

At, queis nil horum tribuit natura, nec ipsa

Sponte sua possent ut vivere, nec dare nobis 870

Utilitatem aliquam, quare pateremur eorum

Præsidio nostro pasci genus, esseque tutum?

Scilicet hæc aliis prædæ, lucroque jacebant

Indupedita suis fatalibus omnia vinclis,

Donicum ad interitum genus id natura redegit. 875

Sed neque Centauri fuerunt, neque tempore in ullo

Esse queat duplici natura, & corpore bino

Ex alienigenis membris compacta potestas,

Hinc illinc par vis ut non sic esse potis sit.

Id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde. 880

Principio, circum tribus actis impiger annis

Floret equus: puer haudquaquam: quin sæpe etiam num

Ubera mammaram in somnis lactantia quærit.

Post ubi equum validæ vires ætate senecta,

Membraque deficiunt fugienti languida vita; 885

Tum demum pueris ævo florente juvenas

Occipit, & molli vestit lanugine malas:

Ne forte ex homine, & veterino semine equorum

Confieri credas Centauros posse, nec esse:

Aut rapidis canibus succinctas semimarinis. 890

Cor-

Corporibus Scyllas, & cetera de genere horum,  
 Inter se quorum discordia membra videmus:  
 Quæ neque florescunt pariter, neque robora sumunt  
 Corporibus, neque projiciunt ætate senectâ:  
 Nec simili Venere ardescunt, nec moribus unis 895  
 Conveniunt, neque sunt eadem jucunda per artus.  
 Quippe videre licet pinguescere sæpe cicuta  
 Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum.  
 Flamma quidem vero cum corpora fulva leonum  
 Tam soleat torrere, atque urere, quam genus omne 900  
 Visceris, in terris quodcumque & sanguinis exstet:  
 Qui fieri potuit, triplici cum corpore ut una  
 Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra  
 Ore foras acrem efflaret de corpore flammam?  
 Quare etiam tellure nova, cæloque recenti 905  
 Talia qui fingit potuisse animalia gigni,  
 Nixus in hoc uno novitatis nomine inani,  
 Multa licet simili ratione effutiat ore:  
 Aurea tum dicat per terras flumina volgo  
 Fluxisse, & gemmis florere arbuſta suëſſe: 910  
 Aut hominem tanto membrorum esse impete natum,  
 Trans maria alta pedum nisus ut ponere posset;  
 Et manibus totum circum se vertere cælum.  
 Nam quod multa fuere in terris semina rerum,  
 Tempore quo primum tellus animalia fudit; 915  
 Nil tamen est signi, mistas potuisse creari  
 Inter se pecudes, compactaque membra animantum:  
 Propterea quia quæ de terris nunc quoque abundant  
 Herbarum genera, ac fruges, arbuſtaque læta,  
 Non tamen inter se possint complexa creari. 920  
 Res sic quæque suo ritu procedit, & omnes  
 Fœdere naturæ certo discrimina servant.  
 Et genus humanum multo fuit illud in arvis  
 Durius, ut decuit, tellus quod dura creasset;  
 Et majoribus & solidis magis ossibus intus 925

Fundatum, & validis aptum per viscera nervis;  
 Nec facile ex æstu, nec frigore quod caperetur,  
 Nec novitate cibi, nec labi corporis ulla.  
 Multaque per cælum solis volventia lustra  
 Vulgivago vitam tractabant more ferarum. 930  
 Nec robustus erat curvi moderator aratri  
 Quisquam, nec scibat ferro molirier arva;  
 Nec nova defodere in terram virgulta, nec altis  
 Arboribus veteres decidere falcibus ramos.  
 Quod sol, atque imbres dederant, quod terra crearat 935  
 Sponte sua, satis id placabat pectora donum:  
 Glandiferas inter curabant corpora quercus  
 Plerumque, & quæ nunc hiberno tempore cernis  
 Arbuta pœniceo fieri matura colore,  
 Plurima tum tellus etiam majora ferebat: 940  
 Multaque præterea novitas tum florida mundi  
 Pabula dia tulit, miseris mortalibus ampla.  
 At sedare sitim fluvii fontesque vocabant:  
 Ut nunc montibus e magnis decursus aquarum  
 Claricitat late sitientia sæcla ferarum. 945  
 Denique noctivagi silvestria templa tenebant  
 Nympharum, quibus exhibant humore fluenta  
 Lubrica, proluvie larga lavere humida saxa,  
 Humida saxa super viridi stillantia musco:  
 Et partim plano scatere atque erumpere campo. 950  
 Necdum res igni scibant tractare, nec uti  
 Pellibus, & spoliis corpus vestire ferarum:  
 Sed nemora, atque cavos monteis, silvasque colebant,  
 Et frutices inter condebant squalida membra,  
 Verbera ventorum vitare imbreisque coacti. 955  
 Nec commune bonum poterant spectare, nec ullis  
 Moribus inter se scibant, nec legibus uti.  
 Quod cuique obtulerat prædæ fortuna, ferebat,  
 Sponte sua sibi quisque valere & vivere doctus.  
 Et Venus in silvis jungebat corpora amantum: 960

Con-

Conciliabat enim vel mutua quamque cupido,  
 Vel violenta viri vis, atque impensa libido,  
 Vel pretium glandes, atque arbuta, vel pyra lecta.  
 Et manuum mira freti virtute, pedumque,  
 Consectabantur silvestria sæcla ferarum 965  
 Missilibus saxi, & magno pondere clavæ:  
 Multaque vincebant, vitabant pauca latebris;  
 Setigerisque pares suis silvestria membra  
 Nuda dabant terræ nocturno tempore capti,  
 Circum se foliis ac frondibus involventes. 970  
 Nec plangore diem magno, solemque per agros  
 Quærebant pavidi, palantes noctis in umbris:  
 Sed taciti respectabant, somnoque sepulti,  
 Dum rosea face sol inferret lumina cælo.  
 A parvis quod enim consuerant cernere semper, 975  
 Alternò tenebras, & lucem tempore gigni,  
 Non erat, ut fieri posset, mirariè umquam,  
 Nec diffidere, ne terras æterna teneret  
 Nox, in perpetuum detractò lumine solis.  
 Sed magis illud erat curæ, quod sæcla ferarum 980  
 Infestam miseris faciebant sæpe quietem:  
 Ejectique domo fugiebant saxea tecta  
 Setigeri suis adventu, validique leonis,  
 Atque intempesta cedebant nocte paventes  
 Hospitibus sævis instrata cubilia fronde. 985  
 Nec nimio tum plus, quam nunc, mortalia sæcla  
 Dulcia linquebant labentis lumina vitæ.  
 Unus enim tum quisque magis deprensus eorum  
 Pabula viva feris præbebat dentibus haustus;  
 Et nemora ac monteis gemitu, silvasque replebat, 990  
 Viva videns vivo sepeliri viscera busto.  
 At quos effugium servarat, corpore adeso,  
 Posterius tremulas super ulcera tætra tenentes  
 Palmas, horrifera accibant vocibus Orcum,  
 Domicum eos vita privarunt vermina sæva, 995



Experteis opis, ignaros quid volnera vellent.

At non multa virum sub signis millia ducta

Una dies dabat exitio: nec turbida ponti

Æquora lædebant naveis ad saxa, virosque.

Sed temere, incassum mare fluctibus sæpe coortis, 1000

Sævibat, leviterque minas ponebat inaneis:

Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti

Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.

Improba navigii ratio tum cæca jacebat.

Tum pænuria deinde cibi, languentia leto 1005

Membra dabat: contra nunc rerum copia merfat.

Illi imprudentes ipsi sibi sæpe venenum

Vergebant: nunc dant aliis solertius ipsi.

Inde casus postquam, ac pelleis, ignemque pararunt,

Et mulier conjuncta viro concessit in unum; 1010

Castaque privatae Veneris connubia læta

Cognita sunt, prolemque ex se videre creatam:

Tum genus humanum primum mollescere cœpit.

Ignis enim curavit, ut alia corpora frigus

Non ita jam possent cæli sub tegmine ferre: 1015

Et Venus imminuit vireis, puerique parentum

Blanditiis facile ingenium fregere superbum.

Tunc & amicitiam cœperunt jungere habentes

Finitima inter se, nec lædere, nec violare;

Et pueros commendarunt, muliebrique sæclum 1020

Vocibus, & gestu, cum balbe significarent,

Imbecillorum esse æquum misererier omnium.

Non tamen omnimodis poterat concordia gigni;

Sed bona, magnaue pars servabant fœdera casti:

Aut genus humanum jam tum foret omne peremptum, 1025

Nec potuisset adhuc perducere sæcla propago.

At varios linguæ sonitus natura subegit

Mittere, & utilitas expressit nomina rerum:

Non alia longe ratione, atque ipsa videtur

Protrahere ad gestum pueros infantia linguæ, 1030

Cum facit, ut digito, quæ sint præsentia, monstrent.  
Sentit enim vim quisque suam, quam possit abuti:  
Cornua nata prius vitulo quam frontibus exsunt,  
Illis iratus petit, atque insensus inurget.

At catuli pantherarum, scymnique leonum 1035  
Unguibus, ac pedibus jam tum, morfisque repugnant,  
Vixdum cum ipsis sunt dentes, unguesque creati.  
Alituum porro genus alis omne videmus

Fidere, & a pennis tremulum petere auxiliatum.  
Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse 1040  
Rebus, & inde homines didicisse vocabula prima,  
Desipere est: nam cur hic posset cuncta notare  
Vocibus, & varios sonitus emittere linguæ,  
Tempore eodem alii facere id non quisse putentur?

Præterea, si non alii quoque vocibus usi 1045  
Inter se fuerant; unde insita notities est  
Utilitatis, & unde data est huic prima potestas,  
Quid vellet facere, ut scirent, animoque viderent?  
Cogere item plureis unus, victosque domare  
Non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent, 1050  
Nec ratione docere ulla, suadereque surdis,  
Quid factu esset opus; faciles neque enim paterentur,  
Nec ratione ulla sibi ferrent amplius aureis  
Vocis inauditos sonitus obtundere frustra.

Postremo, quid in hac mirabile tantopere est re, 1055  
Si genus humanum, cui vox, & lingua vigeret,  
Pro vario sensu varias res voce notaret,  
Cum pecudes mutæ, cum denique sæcla ferarum  
Diffimileis soleant voces variasque ciere, (1060  
Cum metus, aut dolor est, & cum jam gaudia gliscunt?  
Quippe etenim id licet e rebus cognoscere apertis.

Inritata canum cum primum magna Molossùm  
Mollia ricta fremunt duros nudantia denteis,  
Longe alio sonitu rabie distracta minantur,  
Et cum jam latrant, & vocibus omnia complent. 1065

At catulos blande cum lingua lambere tentant,  
 Aut ubi eos jaectant pedibus, morsequae petentes,  
 Suspensis teneros imitantur dentibus haustus,  
 Longe alio pacto gannitu vocis adulant,  
 Et cum deserti baubantur in ædibus, aut cum 1070  
 Plorantes fugiunt summis corpore plagas.

Denique non hinnitus item differre videtur,  
 Inter equas ubi equus florenti ætate juvenis  
 Pinnigeri sævit calcaribus ictus amoris,  
 Et fremitum patulis sub naribus edit ad arma, 1075  
 Ac cum sis alias concussis artibus hinnit?

Postremo, genus alituum variæque volucres,  
 Accipitres, atque ossifragæ, mergique marinis  
 Fluctibus in falsis victum vitamque petentes,  
 Longe alias alio jaciunt in tempore voces, 1080  
 Et cum de victu certant, prædaque repugnant.

Et partim mutant cum tempestatibus una  
 Raucifonos cantus, cornicum ut sæcla vetusta,  
 Corvorumque greges, ubi aquam dicuntur, & imbreis  
 Poscere, & interdum ventos aurasque vocare. 1085  
 Ergo, si varii sensus animalia cogunt,  
 Muta tamen cum sint, varias emittere voces:  
 Quanto mortaleis magis æquum est tum potuisse  
 Dissimileis alia atque alia res voce notare?

Illud in his rebus tacitus ne forte requiras: 1090  
 Fulmen detulit in terras mortalibus ignem  
 Primitus: inde omnis flammaram diditur ardor.  
 Multa videmus enim cælestibus incita flammis  
 Fulgere, cum cæli donavit plaga vapores.  
 Et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans 1095  
 Æstuat in ramos incumbens arboris arbor,  
 Exprimitur validis extritus viribus ignis:  
 Et micat interdum flammam fervidus ardor,  
 Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur:  
 Quorum utrumque dedisse potest mortalibus ignem. 1100

Inde cibum coquere, ac flammæ mollire vapore  
 Sol docuit, quoniam mitescere multa videbant  
 Verberibus radiorum, atque æstu victa per agros.  
 Inque dies magis hi victum vitamque priorem  
 Commutare novis monstrabant rebus, & igni, 1105  
 Ingenio qui præstabant, & corde vigeant.

Condere cœperunt urbeis, arcemque locare  
 Præsidium reges ipsi sibi, perfugiumque:  
 Et pecudes, & agros divisere, atque dedere  
 Pro facie cujusque, & viribus, ingenioque: 1110  
 Nam facies multum valuit, viresque vigeant.  
 Posterius res inventa est, aurumque repertum,  
 Quod facile & validis, & pulcris demisit honorem;  
 Divitioris enim sectam plerumque sequuntur  
 Quamlibet & fortes, & pulchro corpore creti. 1115

Quod si quis vera vitam ratione gubernet,  
 Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce  
 Æquo animo; neque enim est umquam pænuria parvi.  
 At claros se homines voluere esse, atque potentis,  
 Ut fundamento stabili fortuna maneret, 1120  
 Et placidam possent opulenti degere vitam.  
 Nequidquam: quoniam ad summum succedere honorem  
 Certantes, iter infestum fecere viai.

Et tamen e summo quasi fulmen dejecit ictos  
 Invidia interdum contemptim in Tartara tætra: 1125  
 Ut satius multo jam sit parere quietum,  
 Quam regere imperio res velle, & regna tenere.  
 Proinde, sine incassum defessi sanguine sudent  
 Angustum per iter lucentes ambitionis:  
 Invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant 1130  
 Plerumque, & quæ sunt aliis magis edita cumque:  
 Quandoquidem sapiunt alieno ex ore, petuntque  
 Res ex auditis potius, quam sensibus ipsis: 1135  
 Nec magis id nunc est, nec erit mox, quam fuit ante.

Ergo regibus occisis subversa jacebat 1135

Pristina majestas foliorum, & scepra superba;  
 Et capitis summi præclarum insigne cruentum  
 Sub pedibus volgi magnum lugebat honorem.  
 Nam cupide conculcatur nimis ante metutum.  
 Res itaque ad summam sæcem turbasque redibat, 1140  
 Imperium sibi cum, ac summatum quisque petebat.  
 Inde magistratus partim docuere creare,  
 Juraque constituere, ut vellent legibus uti:  
 Nam genus humanum defessum vi colere ævum,  
 Ex inimicitiis languebat; quo magis ipsum 1145  
 Sponte sua cecidit sub leges, arctaque jura.  
 Acrius ex ira quod enim se quisque parabat  
 Ulcisci, quam nunc concessum est legibus æquis;  
 Hanc ob rem est homines pertæsum vi colere ævum:  
 Unde metus maculat pœnarum præmia vitæ. 1150  
 Circumretit enim vis, atque injuria quemque,  
 Atque, unde exorta est, ad eum plerumque revertit;  
 Nec facile est placidam ac pacatam degere vitam,  
 Qui violat factis communia fœdera pacis.  
 Etsi fallit enim divûm genus humanumque, 1155  
 Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet:  
 Quippe ubi se multi per somnia sæpe loquentes,  
 Aut morbo delirantes protraxe ferantur,  
 Et celata diu in medium peccata dedisse. (1160  
 Nunc quæ caussa deûm per magnas numina genteis  
 Pervolgarit, & ararum compleverit urbeis,  
 Suscipiendaque curarit sollennia sacra,  
 „ Quæ nunc in magnis florent sacra rebus, locisque:  
 Unde etiam nunc est mortalibus insitus horror,  
 Qui delubra deûm nova toto suscitât orbi 1165  
 Terrarum, & festis cogit celebrare diebus:  
 Non ita difficile est rationem reddere verbis.  
 Quippe etenim jam tum divûm mortalia sæcla  
 Egregias animo facies vigilante videbant,  
 Et magis in somnis mirando corporis auctu. 1170

His igitur sensum tribuebant, propterea quod  
 Membra movere videbantur, vocesque superbas  
 Mittere pro facie præclara, & viribus amplis:  
 Æternamque dabant vitam, quia semper eorum  
 Suppeditabatur facies, & forma manebat, 1175  
 (Et manet omnino) & quod tantis viribus auctos  
 Non temere ulla vi convinci posse putabant.  
 Fortunisque ideo longe præstare putabant,  
 Quod mortis timor haud quemquam vexaret eorum,  
 Et simul in somnis quia multa, & mira videbant 1180  
 Efficere, & nullum capere ipsos inde laborem.

Præterea, cæli rationes ordine certo,  
 Et varia annorum cernebant tempora verti;  
 Nec poterant quibus id fieret cognoscere causis:  
 Ergo perfugium sibi habebant omnia divis 1185  
 Tradere, & illorum nutu facere omnia flecti.  
 In cæloque deûm sedes, & templa locarunt,  
 Per cælum volvi quia sol, & luna videntur:  
 Luna, dies, & nox, & noctis signa severa,  
 Noctivagæque faces cæli, flammæque volantes, 1190  
 Nubila, ros, imbres, nix, venti, fulmina, grando,  
 Et rapidi fremitus, & murmura magna minarum.

O genus infelix humanum! talia divis  
 Cum tribuit facta, atque iras adjunxit acerbis:  
 Quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis 1195  
 Volnera; quas lacrimas peperere minoribus nostris!

Nec pietas ulla est velatum sæpe videri  
 Vertier ad lapidem, atque omneis accedere ad aras;  
 Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas  
 Ante deûm delubra, nec aras sanguine multo 1200  
 Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota:  
 Sed magis pacata posse omnia mente tueri.  
 Nam cum suspicimus magni cælestia mundi  
 Templa super, stellisque micantibus æthera fixum,  
 Et venit in mentem solis, lunæque viarum, 1205

Tunc

Tunc aliis oppressa malis in pectore cura  
 Illa quoque expergefactum caput erigere infit,  
 Ecquæ forte deum nobis immensa potestas  
 Sit, vario motu quæ candida sidera verset.  
 Tentat enim dubiam mentem rationis egestas, 1210  
 Ecquænam fuerit mundi genitalis origo:  
 Et simul, ecquæ sit finis, quoad mœnia mundi,  
 Et tanti motus hunc possint ferre laborem:  
 An divinitus æterna donata salute,  
 Perpetuo possint ævi labentia tractu, 1215  
 Immensi validas ævi contemnere vireis.

Præterea, cui non animus formidine divum  
 Contrahitur? cui non conrepunt membra pavore,  
 Fulminis horribili cum plaga torrida tellus  
 Contremit, & magnum percurrunt murmura cælum? 1220  
 Non populi, gentesque tremunt? regesque superbi  
 Conripiunt divum perculsi membra timore,  
 Ne quod ob admissum fœde, dictumve superbe  
 Pœnarum grave sit solvendi tempus adactum?  
 Summa etiam cum vis violenti per mare venti 1225  
 Induperatorem classis super æquora verrit,  
 Cum validis pariter legionibus, atque elephantis;  
 Non divum pacem votis adit? ac prece quæsit  
 Ventorum pavidus paces, animasque secundas?  
 Nequidquam: quoniam violento turbine sæpe 1230  
 Conreptus nihilo fertur minus ad vada leti:  
 Usque adeo res humanas vis abdita quædam  
 Obterit, & pulchros fasceis, sævasque secureis  
 Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur.  
 Denique sub pedibus tellus cum tota vacillat, 1235  
 Concussæque cadunt urbes, dubiæque minantur:  
 Quid mirum si se temnunt mortalia sæcla?  
 Atque potestates magnas, mirasque relinquunt  
 In rebus vireis divum, quæ cuncta gubernent? (1240  
 Quod superest, æs, atque aurum, ferrumque repertum est,

Et simul argenti pondus, plumbique potestas:  
 Ignis ubi ingentis silvas ardore cremarat  
 Montibus in magnis, seu cæli fulmine misso;  
 Sive quod inter se bellum silvestre gerentes,  
 Hostibus intulerant ignem formidinis ergo; 1245  
 Sive quod inducti terræ bonitate, volebant  
 Pandere agros pingueis, & pascua reddere rura;  
 Sive feras interficere, & ditescere præda:  
 Nam fovea, atque igni prius est venarier ortum,  
 Quam sepire plagis saltum, canibusque ciere. 1250  
 Quidquid id est, quacumque e causa flammeus ardor  
 Horribili fonitu silvas exederat altis  
 Ab radicibus, & terram percoxerat igni,  
 Manabat venis ferventibus in loca terræ  
 Concava conveniens argenti rivus, & auri, 1255  
 Æris item, & plumbi; quæ cum concreta videbant  
 Posterius claro in terris splendere colore,  
 Tollebant nitido capti, lævique lepore:  
 Et simili formata videbant esse figura,  
 Atque lacunarum fuerant vestigia cuique. 1260  
 Tum penetrabat eos, posse hæc liquefacta calore,  
 Quamlibet in formam, & faciem decurrere rerum,  
 Et prorsum quamvis in acuta ac tenuia posse  
 Mucronum duci fastigia procudendo;  
 Ut sibi tela parent, silvasque excidere possint, 1265  
 Materiem lævare, dolare, ac radere tigna,  
 Et terebrare etiam, ac pertundere, perque forare.  
 Nec minus argento facere hæc auroque parabant,  
 Quam validi primum violentis viribus æris:  
 Nequidquam: quoniam cedebat victa potestas, 1270  
 Nec poterat pariter durum sufferre laborem.  
 Nam fuit in pretio magis æs, aurumque jacebat  
 Propter inutilitatem hebeti mucrone retusum:  
 Nunc jacet æs, aurum in summum successit honorem.  
 Sicvolvenda ætas commutat tempora rerum: 1275  
 Quod



Quod fuit in pretio, fit nullo denique honore :  
 Porro aliud succedit, & e contemptibus exit,  
 Inque dies magis appetitur, floretque repertum  
 Laudibus, & miro est mortaleis inter honore.

Nunc tibi quo pacto ferri natura reperta 1280  
 Sit, facile est ipsum per te cognoscere, Memmi.

Arma antiqua, manus, ungues, dentesque fuerunt,  
 Et lapides, & item silvarum fragmina rami,  
 Et flammæ, atque ignes, postquam sunt cognita primū :  
 Posterius ferri vis est, ærisque reperta; 1285

Et prior æris erat quam ferri cognitus usus :  
 Quo facilis magis est natura, & copia major.  
 Ære solum terræ tractabant, æreque belli  
 Miscebant fluctus, & volnera vasta serebant,  
 Et pecus, atque agros adimebant; nam facile ollis 1290  
 Omnia cedebant armatis nuda & inerma.

Inde minutatim processit ferreus ensis,  
 Versaque in opprobrium species est falcis ahenæ,  
 Et ferro cæpere solum proscindere terræ :  
 Exæquataque sunt creperi certamina belli. 1295

Et prius est reppertum inequi conscendere costas,  
 Et moderarier hunc frenis, dextraque vigere,  
 Quam bijugo curru belli tentare pericla :  
 Et bijugo prius est, quam bis conjungere binos,  
 Et quam falciferos inventum ascendere currus. 1300

Inde boves Lucas turrato corpore tætros  
 Anguimanos belli docuerunt volnera Pœni  
 Sufferre, & magnas Martis turbare catervas.  
 Sic alid ex alio peperit discordia tristis,  
 Horribile humanis quod gentibus esset in armis : 1305  
 Inque dies belli terroribus addidit augmen.

Tentarunt etiam tauros in mœnera belli,  
 Expertique suos sævos sunt mittere in hosteis;  
 Et validos Parthi præ se misere leones  
 Cum ductoribus armatis, sævisque magistris, 1310

Qui

Qui moderatier hos possent, vinclisque tenere:  
 Nequidquam: quoniam permista cæde calentes  
 Turbabant sævi nullo discrimine turmas,  
 Terrificas capitum quatientes undique cristas;  
 Nec poterant equites fremitu perterrita equorum <sup>1315</sup>  
 Pectora mulcere, & frenis convertere in hosteis.  
 Inritata læ jaciebant corpora saltu  
 Undique, & adversum venientibus ora petebant:  
 Et necopinanteis a tergo diripiebant,  
 Deplexæque dabant in terram volnere vinctos, <sup>1320</sup>  
 Moribus adfixæ validis, atque unguibus uncis.  
 Jactabantque sues tauri, pedibusque terebant;  
 Et latera, ac ventres hauribant subter equorum  
 Cornibus, ad terramque minanti mente ruebant.  
 At validis socios cædebant dentibus apri, <sup>1325</sup>  
 „ Tela infracta suo tinguentes sanguine sævi,  
 „ In se fracta suo tinguentes sanguine tela,  
 Permistasque dabant equitum peditumque ruinas.  
 Nam transversa feros exhibant dentis adactus  
 Jumenta, aut pedibus ventos erecta petebant: <sup>1330</sup>  
 Nequidquam: quoniam a nervis succisa videres  
 Concidere, atque gravi terram consternere casu.  
 Sic, quos ante domi domitos satis esse putabant,  
 Efferviscere cernebant in rebus agundis,  
 Volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu: <sup>1335</sup>  
 Nec poterant ullam partem reducere eorum.  
 Diffugiebat enim varium genus omne ferarum:  
 Ut nunc sæpe boves Lucæ, ferro male mactæ <sup>1340</sup>  
 Diffugiunt, fera facta suis cum multa dedere.  
 Sic fuit, ut facerent: sed vix adducor, ut ante <sup>1340</sup>  
 Non quierint animo præsentire, atque videre,  
 Quam commune malum fuerat, foedumque futurum.  
 Et magis id possis factum contendere in Omni,  
 In variis mundis varia ratione creatis,  
 Quam certo, atque uno terrarum quolibet orbi. <sup>1345</sup>  
 Sed

Sed facere id non tam vincendi spe voluerunt,  
 Quam dare quod gemerent hostes, ipsique perire,  
 Qui numero diffidebant, armisque vacabant.

Nexilis ante fuit vestis, quam textile tegmen:  
 Textile post ferrum est; quia ferro tela parantur. 1350  
 Nec ratione alia possunt tam lævia gigni  
 Infilia, ac fusi, & radii, scapique sonantes.

Et facere ante viros lanam natura coëgit,  
 Quam muliebre genus; nam longe præstat in arte,  
 Et solertius est multo genus omne virile: 1355  
 Agricolæ donec vitio vertere severi,  
 Ut muliebribus id manibus concedere vellent,  
 Atque ipsi potius durum sufferre laborem;  
 Atque opere in duro durarent membra, manusque.

At specimen sationis, & insitionis origo, 1360  
 Ipsa fuit rerum primum natura creatrix.  
 Arboribus quoniam baccæ, glandesque caducæ  
 Tempestiva dabant pullorum examina subter.  
 Unde etiam libitum est stirpeis committere ramis,  
 Et nova defodere in terram virgulta per agros: 1365  
 Inde aliam, atque aliam culturam dulcis agelli  
 Tentabant, fructusque feros mansuescere terra  
 Cernebant indulgendo, blandeque colendo.

Inquæ dies magis in montem succedere silvas  
 Cogebant, infraque locum concedere cultis: 1370

Prata, lacus, rivos, segetes, vinetaque læta  
 Collibus, & campis ut haberent, atque olearum  
 Cærulea distinguens inter plaga currere posset  
 Per tumulos, & convalleis, camposque profusa.  
 Ut nunc esse vides vario distincta lepore 1375

Omnia, quæ pomis intersita dulcibus ornant,  
 Arbustisque tenent felicibus obsita circum.

At liquidas avium voces imitarier ore  
 Ante fuit multo, quam lævia carmina cantu  
 Concelebrare homines possent, aureisque juvare. 1380

Et

Et Zephyri cava per calamorum sibila primum  
 Agresteis docuere cavas inflare cicutas.  
 Inde minutatim dulcis didicere querelas,  
 Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,  
 Avia per nemora, ac silvas saltusque reperta, 1385  
 Per loca pastorum deserta, atque otia dia:  
 Sic unumquidquid paullatim protrahit ætas  
 In medium, ratioque in luminis eruit oras.  
 Hæc animos ollis mulcebant atque juvabant  
 Cum satiata cibi; nam tum sunt omnia cordi. 1390  
 Sæpe itaque inter se prostrati in gramine molli  
 Propter aquæ rivum, sub ramis arboris altæ,  
 Non magnis opibus jucunde corpora habebant:  
 Præsertim cum tempestas ridebat, & anni  
 Tempora pingebant viridanteis floribus herbas. 1395  
 Tum joca, tum sermo, tum dulces esse cachinni  
 Consuerant: agrestis enim tum Musa vigeat:  
 Tum caput, atque humeros plexis redimire coronis,  
 Floribus, & foliis lascivia læta monebat:  
 Atque extra numerum procedere membra moventeis 1400  
 Duriter, & duro terram pede pellere matrem:  
 Unde oriebantur risus, dulcesque cachinni,  
 Omnia quod nova tum magis hæc & mira vigeant.  
 Et vigilantibus hinc aderant solatia somni  
 Ducere multimodis voces, & flectere cantus; 1405  
 Et supera calamos unco percurrere labro:  
 Unde etiam vigiles nunc hæc accepta tuentur,  
 Et numerum fervare genus didicere; neque hilo  
 Majorem interea capiunt dulcedinis fructum,  
 Quam silvestre genus capiebat terrigenarum. 1410  
 Nam quod adest præsto, nisi quid cognovimus ante  
 Suavius, in primis placet, & pollere videtur;  
 Posteriorque fere melior res illa reperta  
 Perdit, & immutat sensus ad pristina quæque.  
 Sic odium cœpit glandis: sic illa relicta 1415

Strata cubilia sunt herbis, & frondibus aucta.  
 Pellis item cecidit, vestis contempta ferina est;  
 Quam reor invidia tali tunc esse repertam,  
 Ut letum insidiis, qui gessit primus, obiret:  
 Et tandem inter eos distractum, sanguine multo 1420  
 Dispersisse, neque in fructum convertere quisse.

Tunc igitur pelles, nunc aurum, & purpura curis  
 Exercent hominum vitam, belloque fatigant:  
 Quo magis in nobis, ut opinor, culpa residit.  
 Frigus enim nudos sine pellibus excruciat 1425  
 Terrigenas: at nos nil lædit veste carere  
 Purpurea, atque auro, signisque ingentibus apta;  
 Dum plebeja tamen sit, quæ defendere possit.  
 Ergo hominum genus incassum frustra laborat  
 Semper, & in curis consumit inanibus ævum; 1430  
 Nimirum, quia non cognovit, quæ sit habendi  
 Finis, & omnino quoad crescat vera voluptas:  
 Idque minutatim vitam provexit in altum,  
 Et belli magnos commovit funditus ætus.

At vigiles mundi magnum & versatile templū 1435  
 Sol & luna suo lustrantes lumine circum,  
 Perdocuere homines annorum tempora verti,  
 Et certa ratione geri rem, atque ordine certo.

Jam validis septi degebant turribus ævum,  
 Et divisa colebatur, discretaque tellus: 1440  
 Tum mare velivolum florebat navibus pandis:  
 Auxilia, & socios jam pacto fœdere habebant:  
 Carminibus cum res gestas cœpere poëtæ  
 Tradere: nec multo prius sunt elementa reperta.  
 Propterea, quid sit prius actum respicere ætas 1445  
 Nostra nequit, nisi qua ratio vestigia monstrat.

Navigia, atque agri culturas, mœnia, leges,  
 Arma, vias, vesteis, & cetera de genere horum,  
 Præmia, delicias quoque vitæ funditus omneis,  
 Carmina, picturas, & dædala signa polire, 1450  
 Ufus,

Ufus, & impigræ simul experientia mentis  
 Paullatim docuit pedetentim progredientes.  
 Sic unumquidquid paullatim protrahit ætas  
 In medium, ratioque in luminis eruit oras.  
 Namque alid ex alio clarescere corde videmus  
 Artibus, ad summum donec venere cacumen. 1455

### CREECHII CENSURA.

**Q**uod a v. 56. ad v. 417. Solem, Terram, Mare, totam denique Mundi compagem nec ab æterno fuisse, nec in æternum duraturam asserit, id quidem piis omnibus & sanis Philosophis commune: quod vero verissimilibus quibusdam, veris autem multis firmisque rationibus probat, illud sane Lucretio proprium videtur; nec meliora umquam (semper excipio Sacras Scripturas) argumenta invenies. Ideoque magis mirandum est, tam præclarum ingenium inseruisse futiles istos versus, a. v. 157. ad v. 236. quibus evincere conatur Mundum hunc a Deo non fuisse factum: fingit enim Deum parcum nimis, seu potius malevolum, qui nihil nostri caussa, omnia vero sui emolumentum intuitu agat. Qualem si quis pingat Epicurum, illum dicacis impudentiæ Poëta postularet. Deinde supponit omnem Dei æque ac Hominis notitiam a Simulacris dependere. At quis iste Deus? non ille quem percipit mens humana, quem omnes gentes agnoscunt, & venerantur. Demum quis ferat illum culpas, quas vocat, Mundi enumerantem, falso omnes & vanissime effictas? Hæccine vero vitia in novo & recenti Mundo? Id quidem negat ipse Lucretius, ideoque inepte facit dum labes ruinasque ædificii longa ætate debiscentis imputat artifici.

A v. 417. ad v. 509. Mundi ortum describit, qua descriptione nulla est apud Physiologos aut magis verissimilis, aut

aut magis venusta. Gravitate sua feruntur Atomi, concurrunt, inde resiliunt, & pro varia ponderis ictusque ratione in diversa loca discedunt, ibique coalescunt.

Quoniam vero a v. 510. ad v. 770. non unam certamque causam motuum caelestium, Eclipseon, Diei & Noctis, &c. ea qua alii solent, pertinacia assignat, ideo quibusdam videtur fluctuare. Ego vero contendo, istam, quam vocant, constantiam in Epicureo Physiologo ridiculam fore, quippe omnia Casu fieri pronuntiat: neque quis facile deprehendat unam certamque causam, cum eadem phenomena pluribus modis explicari possunt. Nec ego quidem illi succenserem qui multas profert causas, dum inter eas vera certaue proponatur. De Solis, Lune, &c. magnitudine nihil addam, supra enim monui, istam opinionem plebejam nimis esse & rusticam.

Lege quæ sequuntur, & admirabilis ingenii tam vehementer delirantis miserere. Ea autem est omnium qui negant Providentiam, sors, ut in Ethicis vana doceant, in Physicis absurda. At vero primorum Hominum indoles ea, quæ omnium barbararum gentium: & in Terrigenis Lucretii, Margaitas, Brasilios, plerosque Indiæ Occidentalis populos agnosces.



LIBRI SEXTI  
ARGUMENTUM.

**P**rimi 41. versus continent Epicuri Atheniensis laudes. Sequitur ad v. 95. quam ab Epicureo Philosopho expectes, argumenti hujus libri explicatio. Et de Meteoris dicturo primum occurrunt Tonitru, Fulgur, Fulmen, de quibus diligenter disputat; & demum istos deridet qui neglectis causis naturalibus ipsum Jovem fulmina jaculari existimant, ad v. 421. His subjungitur (nam Prester fulmini affinis) v. 28. Presteris brevis explicatio. Deinde a v. 450. ad v. 533. multa de Nubibus & Pluvia; pauca de Iride, de Nive, Vento, Grandine, Pruina, & Gelu. Si Terræ-motus causas velis cognoscere, a v. 534. ad v. 606. habes fuse explicatas. A. v. 606. ad v. 638. de Mari Poëta differit: ad v. 710. de Ætna. Sequentes 30. v. Nilo destinantur. Deinde, a v. 740. ad v. 840. de Avernis, aliisque terræ tractibus, Hominibus, Cervis, Corvis, Equis, &c. noxiis disputatur. Ad v. 905. de Puteis, variisque admirandis Fontibus. Et ad v. 1087. Magnes diligenter explicatur. Postremo de Morbis & Peste quædam, quibus subjungit elegantem descriptionem Pestis illius que tempore belli Peloponnesiaci Athenas vastavit, e Thucydide desumptam.





T I T I  
 L U C R E T I I C A R I  
 D E R E R U M N A T U R A

L I B E R S E X T U S .



RIMÆ frugiferos foetus morta-  
 libus ægris

Dididerunt quondam præclaro no-  
 mine Athenæ ,

Et recreaverunt vitam , legesque  
 rogarunt :

Et primæ dederunt solatia dulcia  
 vitæ ,

Cum genuere virum tali cum corde repertum , 5

Omnia veridico qui quondam ex ore profudit ;

Cujus & extincti propter divina reperta

Divulgata vetus jam ad cælum gloria fertur .

Nam cum vidit hic , ad victum quæ flagitat usus ,

„ Et , per quæ possent vitam consistere tutam , 10

Omnia jam ferme mortalibus esse parata :

Divitiis homines , & honore , & laude potentes

Affluere , atque bona natorum excellere fama :

Nec minus esse domi cuiquam tamen anxia corda ,

Atque animum infestis cogi servire querelis : 15

Intellexit, ibi vitium vas efficere ipsum,  
 Omniaque illius vitio corrumpier intus,  
 Quæ conlata foris, & commoda cumque venirent;  
 Partim quod fluxum, pertusumque esse videbat,  
 Ut nulla posset ratione explerier umquam; 20  
 Partim quod tætro quasi conspurcare sapore  
 Omnia cernebat, quæcumque receperat intus.  
 Veridicis igitur purgavit pectora dictis,  
 Et finem statuit cuppedinis, atque timoris,  
 Exposuitque bonum summum, quo tendimus omnes, 25  
 Quid foret, atque viam monstravit tramite prono,  
 Qua possemus ad id recto contendere cursu:  
 Quidve mali foret in rebus mortalibus passim,  
 Quod flueret naturæ vi, varieque volaret,  
 Seu casu, seu vi, quod sic natura parasset: 30  
 Et quibus e portis occurri cuique deceret:  
 Et genus humanum frustra plerumque probavit  
 Volvere curarum tristeis in pectore fluctus.  
 Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis  
 In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus 35  
 Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam  
 Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.  
 Hunc igitur terrorem animi, tenebrasque necesse est  
 Non radii solis, nec lucida tela diei  
 Discussant, sed naturæ species, ratioque: 40  
 Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.

Et quoniam docui, mundi mortalia templa  
 Esse, & nativo consistere corpore cælum;  
 Et quæcumque in eo fiunt, fientque, necesse  
 Esse ea dissolvi: quæ restant percipe porro; 45  
 Quandoquidem semel insignem conscendere curram  
 Vincendi spes hortata est, atque obvia cursu  
 Quæ fuerant, sunt placato conversa furore.

Cetera, quæ fieri in terris, cæloque tuentur  
 Mortales, pavidis cum pendent mentibus sæpe; 50

Efficiunt animos humileis formidine divum,  
 Depressosque premunt ad terram; propterea quod  
 Ignorantia caussarum conferre deorum  
 Cogit ad imperium res, & concedere regnum: &  
 Quorum operum caussas nulla ratione videre 55  
 Possunt, hæc fieri divino numine rentur.  
 Nam bene qui didicere deos securum agere ævum,  
 Si tamen interea mirantur, qua ratione  
 Quæque geri possint, præsertim rebus in illis,  
 Quæ supera caput ætheriis cernuntur in oris, 60  
 Rursus in antiquas referuntur relligiones,  
 Et dominos acreis asciscunt, omnia posse  
 Quos miseri credunt, ignari quid queat esse,  
 Quid nequeat; finita potestas denique cuique  
 Quanam sit ratione, atque alte terminus hærens: 65  
 Quo magis errantes tota regione feruntur.  
 Quæ nisi respuis ex animo, longèque remittis,  
 Diis indigna putando, alienaque pacis eorum;  
 Delibrata deum per te tibi numina sancta  
 Sæpe aderunt: non quod violari summa deum vis 70  
 Possit, ut ex ira pœnas petere imbibat acreis;  
 Sed quia tute tibi placida cum pace quietos  
 Constitues magnos irarum volvere fluctus;  
 Nec delubra deum placido cum pectore adibis;  
 Nec, de corpore quæ sancto simulacra feruntur, 75  
 In menteis hominum divinæ nuntia formæ,  
 Suscipere hæc animi tranquilla pace valebis.  
 Inde videre licet, qualis jam vita sequatur.  
 Quam quidem ut a nobis ratio verissima longe  
 Rejiciat, quamquam sunt a me multa profata, 80  
 Multa tamen restant, & sunt ornanda politis  
 Versibus, & ratio cæli, speciesque tenenda:  
 Sunt tempestates, & fulmina clara canenda,  
 Quid faciant, & qua de caussa quæque ferantur,  
 Ne trepides cæli divisis partibus amens, 85

Unde volans ignis pervenerit, aut in utram se  
 Verterit hinc partem: quo pacto per loca septa  
 Insinuarit, & hinc dominatus ut extulerit se:  
 Quorum operum causas nulla ratione videre  
 Possunt, ac fieri divino numine rentur.

Tu mihi supremæ præscripta ad candida calcis  
 Currenti spatium præmonstra callida Musa,  
 Calliope, requies hominum, divûmque voluptas;  
 Te duce ut insignem capiam cum laude coronam.

Principio, tonitru quatiuntur cæcula cæli,  
 Propterea, quia concurrunt sublime volantes  
 Ætheriæ nubes contra pugnantis ventis.  
 Nec fit enim sonitus cæli de parte serena,  
 Verum ubicumque magis denso sunt agmine nubes,  
 Tam magis hinc magno fremitus fit murmure sæpe.  
 Præterea, neque tam condenso corpore nubes  
 Esse queunt, quam sunt lapides, ac tigna: neque autem  
 Tam tenues, quam sunt nebulæ, fumique volantes.  
 Nam aut cadere abrupto deberent pondere pressæ,  
 Ut lapides; aut, ut fumus, constare nequirent,  
 Nec cohibere niveis gelidas, & grandinis imbreis.

Dant etiam sonitum patuli super æquora mundi,  
 Carbasus ut quondam magnis intenta theatris  
 Dat crepitum malos inter jaëtata, trabeisque:  
 Interdum percussa furit petulantibus Euris,  
 Et fragilibus sonitus chartarum commeditatur:  
 Id quoque enim genus in tonitru cognoscere possis,  
 Aut ubi suspensam vestem, chartasve volanteis  
 Verberibus venti versant, planguntque per auras. (115)

Fit quoque enim interdum, ut non tã concurrere nubes  
 Frontibus adversis possint, quam de latere ire  
 Diverso motu radentes corporis tractum:  
 Aridus unde aureis terget sonus ille, diuque  
 Ducitur, exierit donec regionibus arctis.

Hoc etiam pacto tonitru concussa videntur

Omnia sæpe gravi tremere, & divolsa repente  
 Maxima diffiluisse capacis mœnia mundi,  
 Cum subito validi venti conlecta procella  
 Nubibus intorsit sese, conclusaque ibidem  
 Turbine versanti magis ac magis undique nubem 125  
 Cogit, uti fiat spisso cava corpore circum.

Post ubi commovit vis ejus, & impetus acer,  
 Tum perterricrepro sonitu dat missa fragorem.  
 Nec mirum; cum plena animæ vesicula parva  
 Sæpe ita dat pariter sonitum displosa repente. 130

Est etiam ratio, cum venti nubila perflant,  
 Cur sonitus faciant: etenim ramosa videmus  
 Nubila sæpe modis multis, atque aspera ferri.  
 Scilicet ut crebram silvam cum flamina Cauri  
 Perflant, dant sonitum frondes, ramique fragorem. 135

Fit quoque, ut interdum validi vis incita venti  
 Percindat nubem perfringens impete recto.

Nam quid possit ibi flatus, manifesta docet res.

Hic, ubi lenior est, in terra cum tamen alta  
 Arbusta evolvens radicibus haurit ab imis. 140

Sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur  
 Dant infringendo graviter: quod item fit in altis  
 Fluminibus, magnoque mari, cum frangitur æstu.

Fit quoque ubi e nube in nubem vis incidit ardens  
 Fulminis; hæc multo si forte humore recepit 145

Ignem, continuo ut magno clamore trucidet:

Ut calidis candens ferrum e fornacibus olim

Stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem.

Aridior porro si nubes accipit ignem,  
 Uritur ingenti sonitu succensa repente: 150

Lauricomos ut si per monteis flamma vagetur,

Turbine ventorum comburens impete magno.

Nec res ulla magis, quam Phœbi Delphica laurus

Terribili sonitu flamma crepitante crematur.

Denique sæpe geli multus fragor, atque ruina 155

Grandinis, in magnis sonitum dat nubibus alte:  
 Ventus enim cum confercit, franguntur in arctum  
 Concreti montes nimborum, & grandine misti.

Fulgit item, nubes ignis cum semina multa  
 Excussere suo concursu, ceu lapidem si 160  
 Percutiat lapis, aut ferrum; nam tum quoque lumen  
 Exsilit, & claras scintillas dissipat ignis.

Sed tonitrum fit uti post auribus accipiamus,  
 Fulgere quam cernant oculi, quia semper ad aureis  
 Tardius adveniunt, quam visum quæ moveant res. 165  
 Id licet hinc etiam cognoscere: cædere siquem  
 Ancipiti videas ferro procul arboris auctum,  
 Ante fit ut cernas ictum, quam plaga per aureis  
 Det sonitum: sic fulgorem quoque cernimus ante  
 Quam tonitrum accipimus, pariter qui mittitur igni, 170  
 E simili causa, & concursu natus eodem.

Hoc etiam pacto volucris loca lumine tingunt  
 Nubes, & tremulo tempestas impete fulgit.  
 Ventus ubi invasit nubem, & versatus ibidem  
 Fecit, ut ante, cavam, docui, spissescere nubem, 175  
 Mobilitate sua ferviscit; ut omnia motu  
 Percalæfacta vides ardescere: plumbea vero  
 Glans etiam longo cursu volvenda liquefcit.  
 Ergo fervidus hic nubem cum percudit atram,  
 Dissipat ardoris quasi vim expressa repente 180  
 Semina, quæ faciunt nictantia fulgura flammæ:  
 Inde sonus sequitur, qui tardius adlicit aureis,  
 Quam quæ perveniunt oculos ad lumina nostros.  
 Scilicet hoc densis fit nubibus, & simul alte  
 Exstructis aliis alias super impete miro. 185

Nec tibi sit fraudi, quod nos inferne videmus  
 Quam sint lata magis, quam sursum exstructa quid existit;  
 Contemplator enim cum montibus adsimilata  
 Nubila portabunt venti transversa per auras:  
 Aut ubi per magnos monteis cumulata videbis 190

Insuper esse aliis alia, atque urgere superna  
 In statione locata sepultis undique ventis:  
 Tum poteris magnas moleis cognoscere eorum,  
 Speluncasque velut saxi pendentibus structas  
 Cernere, quas venti cum, tempestate coorta, 195  
 Complerunt, magno indignantur murmure clausi  
 Nubibus, in caveisque ferarum more minantur:  
 Nunc hinc, nunc illinc fremitus per nubila mittunt:  
 Quærentesque viam circumversantur, & ignis  
 Semina convolvunt e nubibus: atque ita cogunt 200  
 Multa, rotantque cavis flammam fornacibus intus,  
 Donec divolsa fulserunt nube corusci.

Hac etiam fit uti de causa mobilis ille  
 Devolet in terram liquidi color aureus ignis,  
 Semina quod nubeis ipsas permulta necesse est 205  
 Ignis habere: etenim cum sunt humore sine ullo,  
 Flammeus est plerumque colos & splendidus ollis.  
 Quippe etenim solis de lumine multa necesse est  
 Concipere ut merito rubeant, igneisque profundant.  
 Has igitur cum ventus agens contrusit in unum, 210  
 Compressitque locum cogens; expressa profundunt  
 Semina, quæ faciunt flammæ fulgere colores.

Fulgit item, cum rarescunt quoque nubila cæli.  
 Nam cum ventus eas leviter diducit eunteis,  
 Dissolvitque, cadant ingratis illa necesse est 215  
 Semina, quæ faciunt fulgorem: tum sine tætro  
 Terrore, & sonitu fulgit, nulloque tumultu.

Quod superest, quali natura prædita consent  
 Fulmina, declarant ictus, & inusta vapore  
 Signa, notæque graveis halantes sulfuris auras. 220  
 Ignis enim sunt hæc, non venti signa, neque imbris.  
 Præterea, per se accendunt quoque tecta domorum,  
 Et celeri flamma dominantur in ædibus ipsis.  
 Hunc tibi subtilem cum primis ignibus ignem.  
 Constituit natura minutis, mobilibusque 225

Corporibus, cui nil omnino obsistere possit.  
 Transít enim valide fulmen per septa domorum,  
 Clamor uti, ac voces: transit per saxa, per æra:  
 Et liquidum puncto facit æs in tempore, & aurum.  
 Curat item ut vasis integris vina repente 230  
 Diffugiant; quia nimirum facile omnia circum  
 Conlaxat, rareque facit lateramina vasis,  
 Adveniens calor, ejus ut insinuatur in ipsum, &  
 Mobiliter solvens differt primordia vini:  
 Quod solis vapor ætatem non posse videtur 235  
 Efficere, usque adeo pollens fervore corusco:  
 Tanto mobilior vis, & dominantior hæc est.

Nunc ea quo pacto gignantur, & impete tanto  
 Fiant, ut possint ictu discludere turreis,  
 Disturbare domos, avellere tigna, trabeisque, 240  
 Et monumenta virùm demoliri, atque ciere,  
 Exanimare homines, pecudes prosternere passim:  
 Cetera de genere hoc qua vi facere omnia possunt,  
 Expediam, neque te in promissis plura morabor.

Fulmina gignier e crassis, alteque putandum est 245  
 Nubibus exstructis; nam cælo nulla sereno,  
 Nec leviter densis mittuntur nubibus umquam.  
 Nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res,  
 Quod tunc per totum concresecunt aëra nubes,  
 Undique, uti tenebras omneis Acherunta reamur 250  
 Liquisse, & magnas cæli compleesse cavernas:  
 Usque adeo tætra nimborum nocte coorta  
 Impendent atræ formidinis ora superne,  
 Cum commoliri tempestas fulmina cœptat.

Præterea, persæpe niger quoque per mare nimbus, 255  
 Ut picis e cælo demissum flumen, in undas  
 Sic cadit, & fertur tenebris procul, & trahit atram  
 Fulminibus gravidam tempestatem, atque procellis,  
 Ignibus, ac ventis cumprimis ipse repletus:  
 In terra quoque ut horrescant, ac tecta requirant. 260



Sic igitur supera nostrum caput esse putandum est  
 Tempestatem altam: neque enim caligine tanta  
 Obruerent terras, nisi inædificata superne  
 Multa forent multis exemto nubila sole:  
 Nec tanto possent hæc terras opprimere imbri, 265  
 Flumina abundare ut facerent, camposque natare,  
 Si non exstructis foret alte nubibus æther.

His igitur ventis, atque ignibus omnia plena  
 Sunt; ideo passim fremitus, & fulgura fiunt:  
 Quippe etenim supera docui, permulta vaporis 270  
 Semina habere cavas nubeis; & multa necesse est  
 Concipere ex solis radiis, ardoreque eorum.  
 Hic ubi ventus eas idem qui cogit in unum  
 Forte locum quemvis, expressit multa vaporis  
 Semina, seque simul cum eo commiscuit igni: 275  
 Insinuatus ibi vortex versatur in alto,  
 Et calidis acuit fulmen fornacibus intus.  
 Nam duplici ratione accenditur; ipse sua nam  
 Mobilitate calefcit, & e contagibus ignis.  
 Inde ubi percaluit vis venti, vel gravis ignis 280  
 Impetus incessit; maturum tum quasi fulmen  
 Percindit subito nubem, ferturque coruscis  
 Omnia luminibus lustrans loca percitus ardor:  
 Quem gravis insequitur sonitus, displosa repente  
 Opprimere ut cæli videantur templa superne. 285  
 Inde tremor terras graviter pertentat, & altum  
 Murmura percurrunt cælum: nam tota fere tum  
 Tempestatas concussa tremit, fremitusque moventur:  
 Quo de concussu sequitur gravis imber, & uber,  
 Omnis uti videatur in imbrem vertier æther, 290  
 Atque ita præcipitans ad diluviem revocare:  
 Tantus discidio nubis, ventique procella,  
 Mittitur ardenti sonitus cum provolat ictu.

Est etiam cum vis extrinsecus incita venti  
 Incidit in validam maturo fulmine nubem: 295

Quam

Quam cum percudit, extemplo cadit igneus ille  
 Vortex, quod patrio vocitamus nomine fulmen.  
 Hoc fit idem in parteis alias, quocumque tulit vis.  
 Fit quoque ut interdum venti vis missa sine igni,  
 Ignescat tamen in spatio, longoque meatu, 300  
 Dum venit, amittens in cursu corpora quædam  
 Grandia, quæ nequeunt pariter penetrare per auras;  
 Atque alia ex ipso conradens aère portat  
 Parvula, quæ faciunt ignem commista volando:  
 Non alia longe ratione, ac plumbea sæpe 305  
 Fervida fit glans in cursu, cum multa rigoris  
 Corpora dimittens ignem concepit in auris.

Fit quoque, ut ipsius plagæ vis excitet ignem,  
 Frigida cum venti pepulit vis missa sine igni:  
 Nimirum quia cum vehementi perculit ictu, 310  
 Confluere ex ipso possunt elementa vaporis;  
 Et simul ex illa, quæ tum res excipit ictum,  
 Ut lapidem ferro cum cædimus, evolat ignis:  
 Nec quod frigida vis sit ferri, hoc secius illa  
 Semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum: 315  
 Sic igitur quoque res accendi fulmine debet,  
 Opportuna fuit si forte, & idonea flammis.  
 Nec temere omnino plane vis frigida venti  
 Esse potest, ex quo tanta vi immissa superne est:  
 Quin prius incurfu si non accenditur igni, 320  
 At tepefacta tamen veniat commista calore.

Mobilitas autem fit fulminis, & gravis ictus,  
 Et celeri ferme pergunt sic fulmina lapsu:  
 Nubibus ipsa quod omnino prius incita se vis  
 Conligit, & magnum conamen sumit eundi. 325  
 Inde, ubi non potuit nubes capere impetis auctum,  
 Exprimitur vis, atque ideo volat impete miro,  
 Ut validis quæ de tormentis missa feruntur.

Adde quod e parvis, ac lævibus est elementis:  
 Nec facile est tali naturæ obsistere quidquam: 330

Inter enim fugit, ac penetrat per rara viarum.  
 Non igitur multis offensibus in remorando  
 Hæsitat: hanc ob rem celeri volat impete labens.

Deinde, quod omnino natura pondera deorsum  
 Omnia nituntur: cum plaga sit addita vero, 335  
 Mobilitas duplicatur, & impetus ille gravescit,  
 Ut vehementius, & citius, quæcumque morantur  
 Obvia, discutiat plagis, itinerque sequatur.

Denique, quod longo venit impete, sumere debet  
 Mobilitatem, etiam atque etiam quæ crescit eundo, 340  
 Et validas auget vireis, & røborat ictum.

Nam facit, ut, quæ sint illius semina cumque,  
 E regione locum quasi in unum cuncta ferantur,  
 Omnia conjiciens in eum volventia cursum.  
 Forfan & ex ipso veniens trahat aère quædam 345  
 Corpora, quæ plagis intendunt mobilitatem.

Incolumisq; venit per res, atque integra transit  
 Multa, foraminibus liquidis quia travolat ignis.  
 Multaque perfringit, cum corpora fulminis ipsa  
 Corporibus rerum inciderint, qua texta tenentur. 350

Dissolvit porro facile æs, aurumque repente  
 Conservefacit; e parvis quia facta minute  
 Corporibus vis est, & lævibus ex elementis,  
 Quæ facile insinuantur, & insinuata repente  
 Dissolvunt nodos omneis, & vincla relaxant. 355

Autumnoque magis stellis fulgentibus alta  
 Concutitur cæli domus undique, totaque tellus;  
 Et cum tempora se veris florentia pandunt.  
 Frigore enim desunt ignes, ventique calore  
 Deficiunt, neque sunt tam denso corpore nubes. 360

Inter utrumque igitur cum cæli tempora constant,  
 Tum variæ causæ concurrunt fulminis omnes.  
 Nam fretus ipse anni permiscet frigus, & æstum:  
 Quorum utrumque opus est fabricāda ad fulmina nobis,  
 Ut discordia sit rerum, magnoque tumultu 365

Igni-

Ignibus, & ventis furibundus fluctuet aër.  
 Prima caloris enim pars, & postrema rigoris,  
 Tempus id est vernum: quare pugnare necesse est  
 Dissimileis inter se res, turbareque mistas.

Et calor extremus primo cum frigore mistus 370  
 Volvitur, autumnii quod fertur nomine tempus.

Hic quoque configunt hiemes æstatibus acres.  
 Propterea sunt hæc bella anni nominanda:  
 Nec mirum est in eo si tempore plurima fiunt  
 Fulmina, tempestasque cietur turbida cælo, 375  
 Ancipiti quoniam bello turbatur utrimque,  
 Hinc flammis, illinc ventis, humoreque misto.

Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam  
 Perspicere, & qua vi faciat rem quamque videre:  
 Non Tyrrhena retro volventem carmina frustra 380

Indicia occultæ divûm perquirere mentis,  
 Unde volans ignis pervenerit, aut in utram se  
 Verterit hic partem, quo pacto per loca septa  
 Insinuarit, & hinc dominatus ut extulerit se,  
 Quidve nocere queat de cælo fulminis ictus. 385

Quod si Juppiter, atque alii fulgentia divi  
 Terrifico quatiunt sonitu cælestia templa,  
 Et jaciunt igneis, quo cuique est cumque voluptas,  
 Cur, quibus incautum scelus adversabile cumque est,  
 Non faciunt, icti flammis ut fulguris halent 390

Pectore perfixo, documen mortalibus acre?  
 Et potius nullæ sibi turpis conscius rei  
 Volvitur in flammis innoxius, inque peditur,  
 Turbine cælesti subito conreptus, & igni?

Cur etiam loca sola petunt, frustra que laborant? 395  
 An con brachia suefaciunt, firmantque lacertos?  
 In terra que patris cur telum perpetiuntur

Obtundi? cur ipse sinit, neque parcat in hosteis?

Denique, cur numquam cælo jacet undique puro  
 Juppiter in terras fulmen, sonitusque profundit? 400

An simul ac nubes succedere, ipse in eas tum  
Descendit, prope ut hinc teli determinet ictus?

In mare qua porro mittit ratione? quid undas  
Arguit, & liquidam molem, camposque natanteis?

Præterea, si vult caveamus fulminis ictum, 405  
Cur dubitat facere, ut possimus cernere missum?

Si nec opinanteis autem vult opprimere igni,  
Cur tonat ex illa parte, ut vitare queamus?

Cur tenebras ante, & fremitus, & murmura concit?  
Et simul in multas parteis qui credere possis 410

Mittere? an hoc ausis numquam contendere factum,  
Ut fierent ictus uno sub tempore plures?

At sæpe est numero factum, fierique necesse est,  
Ut pluere in multis regionibus, & cadere imbreis,

Fulgmina sic uno fieri sub tempore multa. 415

Postremo, cur sancta deum delubra, suasque  
Discutit infesto præclaras fulmine sedes,

Et benefacta deum frangit simulacra? suisque  
Demit imaginibus violento vulnere honorem?

Altaque cur plerumque petit loca? plurimaque hujus 420  
Montibus in summis vestigia cernimus ignis?

Quod superest, facile est ex his cognoscere rebus,  
Προσῆρας Graji quos ab re nominatarunt,

In mare qua missi veniant ratione superne.  
Nam fit, ut interdum tamquam demissa columna 425

In mare de cælo descendat, quam freta circum  
Ferviscunt graviter spirantibus incita flabris:

Et quæcumque in eo tum sunt deprensa tumultu  
Navigia, in summum veniunt vexata periculum.

Hoc fit, ubi interdum non quit vis incita venti 430  
Rumpere, quam cœpit, nubem; sed deprimat, ut sit

In mare de cælo tamquam demissa columna  
Paullatim, quasi quid pugno, brachiique superne

Conjectu trudatur, & extendatur in undas:  
Quam cum discidit, hinc prorumpitur in mare venti 435

Vis,

Vis, & fervorem mirum concinnat in undis:  
 Verfabundus enim turbo descendit, & illam  
 Deducit pariter lento cum corpore nubem.  
 Quam simul ac gravidam detrudit ad æquora ponti,  
 Ille in aquam subito totum se immittit, & omne 440  
 Excitat ingenti sonitu mare fervere cogens.

Fit quoque, ut involvat venti se nubibus ipse  
 Vortex, conradens ex aëre semina nubis,  
 Et quasi demissum cælo prestera imitetur.  
 Hic ubi se in terras demisit, dissolvitque, 445  
 Turbinis immanem vim provomit, atque procellæ.  
 Sed quia fit raro omnino, monteisque necesse est  
 Officere in terris; apparet crebrius idem  
 Prospectu maris in magno, cæloque patenti.

Nubila concresecunt, ubi corpora multa volando 450  
 Hoc super in cæli spatio coiere repente  
 Asperiora, modis quæ possint indupedita  
 Exiguus, tamen inter se comprehensa teneri.  
 Hæc faciunt primum parvas consistere nubeis;  
 Inde ea comprehendunt inter se, conque gregantur, 455  
 Et conjungendo crescunt, ventisque feruntur  
 Usque adeo, donec tempestas sæva coorta est.

Fit quoque uti montis vicina cacumina cælo  
 Quam sint quæque magis, tanto magis edita fument  
 Assidue fulvæ nubis caligine crassa; 460  
 Propterea, quia cum consistunt nubila primum,  
 Ante videre oculi quam possint tenuia, venti  
 Portantes cogunt ad summa cacumina montis.  
 Hic demum fit, uti turba majore coorta  
 Condensa, ac stipata simul cernantur, & udo 465  
 Vertice de montis videantur surgere in æthram.  
 „ Nam loca declarat sursum ventosa patere  
 „ Res ipsa, & sensus, monteis cum ascendimus altos.  
 Præterea, permulta mari quoque tollere toto  
 Corpora naturam, declarant litore vestes 470

Suspensæ, cum concipiunt humoris adhæsum.

Quo magis ad nubeis augendas multa videntur

Posse quoque e falso consurgere momine ponti.

” Nam ratio cum sanguine abest humoribus omnis.

Præterea, fluviis ex omnibus, & simul ipsa 475

Surgere de terra nebulas, æstumque videmus:

Quæ velut halitus, hinc ita fursum expressa feruntur,

Suffunduntque sua cælum caligine, & altas

Sufficiunt nubeis paullatim conveniundo.

Urget enim quoque signiferi super ætheris æstus, 480

Et quasi densendo subtexit cærula nimbis.

Fit quoque, ut hûc veniant in cætum extrinsecus illa

Corpora, quæ faciunt nubeis, nimbosque volanteis.

Innumerabilem enim numerum, summamque profundi

Esse infinitam docui: quantaque volarent 485

Corpora mobilitate, ostendi, quamque repente

Immemorable per spatium transire solerent.

Haud igitur mirum est, si parvo tempore sæpe

Tam magnos monteis tempestas, atque tenebræ

Cooperiant maria, ac terras, impensa superne. 490

Undique quandoquidem per caulas ætheris omneis,

Et quasi per magni circum spiracula mundi

Exitus, introitusque elementis redditus exstat.

Nunc age, quo pacto pluvius concreseat in altis

Nubibus humor, & in terras demissus ut imber 495

Decidat, expediam. Primum jam semina aquarum

Multa simul vincam consurgere nubibus ipsis

Omnibus ex rebus, pariterque ita crescere utrasque,

Et nubeis, & aquam, quæcumque in nubibus exstat,

Ut pariter nobis corpus cum sanguine crescit, 500

Sudor item atque humor quicūque est denique membris.

Concipiunt etiam multum quoque sæpe marinum.

Humorem, veluti pendentia vellera lanæ,

Cum supra magnum venti mare nubila portant.

Consimili ratione ex omnibus annibus humor 505

Tollitur in nubis: quo cum bene semina aquarum  
 Multa modis multis convenere undique adaucta;  
 Confertæ nubes vi venti mittere certant  
 Dupliciter: nam vis venti contrudit, & ipsa  
 Copia nimborum, turba majore coacta, 510  
 Urget, & e supero premit, ac facit effluere imbreis.

Præterea, cum rarefcunt quoque nubila ventis,  
 Aut diffolvuntur solis super icta calore;  
 Mittunt humorem pluvium, stillantque, quasi igni  
 Cera super calido tabescens multa liquefcant. 515

Sed vehemens imber fit, ubi vehementer utroque,  
 Nubila vi cumulata premuntur, & impete venti.

At retinere diu pluvix, longumque morari  
 Confuerunt, ubi multa fuerunt semina aquarum;  
 Atque aliis aliæ nubes, nimbique rigantes 520  
 Insuper, atque omni volgo de parte feruntur;  
 Terraque cum fumans humorem tota rehalat.

Hinc ubi sol radiis tempestatem inter opacam  
 Adversa fulsit nimborum aspergine contra:  
 Tum color in nigris existit nubibus arqui. 525

Cetera, quæ sursum crescunt, sursumque creantur,  
 Et quæ concrefcunt in nubibus omnia, prorsum  
 Omnia, nix, venti, grando, gelidæque pruina,  
 Et vis magna geli, magnum duramen aquarum,  
 Et mora, quæ fluvios passim refrenat eunteis: 530  
 Perfacile est tamen hæc reperire, animoque videre,  
 Omnia quo pacto fiant, quareve creentur,  
 Cum bene cognoris elementis reddita quæ sint.

Nunc age, quæ ratio terrai motibus existet,  
 Percipe: & in primis terram fac ut esse rearis 535  
 Subter item, ut supera est; ventis, atque undique plenam  
 Speluncis, multosque lacus multasque lacunas  
 In gremio gerere, & rupeis, deruptaque saxa:  
 Multaque sub tergo terrai flumina tecta  
 Volvere vi fluctus, submersaque saxa putandum est: 540

Undi-



Undique enim similem esse sui, res postulat ipsa.

His igitur rebus subjunctis, suppositisque;  
Terra superne tremit magnis concussa ruinis  
Subter, ubi ingentis speluncas subruit ætas:  
Quippe cadunt toti montes, magnoque repente 545  
Concussu, late dissipant inde tremores.

Et merito, quoniam plaustris concussa tremiscunt  
Tecta viam propter non magno pondere tota.  
Nec minus exultant, ubi currus fortis equum vis  
Ferratos utrimque rotarum succutit orbeis. 550

Fit quoque, ubi magnas in aquæ vastasque lacunas  
Glæba vetustate e terra provolvitur ingens,  
Ut jactetur aqua, & fluctu quoque terra vacillet:  
Ut vas in terra non quit constare, nisi humor  
Destitit in dubio fluctu jactarier intus. 555

Præterea, ventus cum per loca subcava terræ  
Conlectus parti ex una procumbit, & urget  
Obnixus magnis speluncas viribus altas;  
Incumbit tellus, quo venti prona premit vis:  
Tum, supera terram quæ sunt exstructa domorum, 560  
Ad cælumque magis quanto sunt edita quæque,  
Inclinata minent in eandem prodita partem,  
Protractæque trabes impendent ire paratæ:

Et metuunt magni naturam credere mundi  
Exitiale aliquod tempus, clademque manere, 565  
Cum videant tantam terrarum incumbere molem.

Quod nisi respirent venti, non ulla refrenet  
Res, neque ab exitio possit reprendre eunteis:  
Nunc quia respirant alternis, inque gravescunt,  
Et quasi conlecti redeunt, ceduntque repulsi; 570

Sæpius hanc ob rem minitatur terra ruinas,  
Quam facit: inclinatur enim, retroque recellit,  
Et recipit prolapsa suas se in pondere sedes:

Hac igitur ratione vacillant omnia tecta,  
Summa magis mediis, media imis, ima perhilum. 575

Est hæc ejusdem quoque magni causa tremoris,  
 Ventus ubi, atque animæ subito vis maxima quædam,  
 Aut extrinsecus, aut ipsa tellure coorta

In loca se cava terræ conjecit, ibique  
 Speluncas inter magnas fremit ante tumultu: 580

Versabundaque portatur, post incita cum vis  
 Exagitata foras erumpitur, & simul artam

Diffidens terram magnum concinnat hiatum:  
 In Tyria Sidone quod accidit, & fuit Ægis

In Peloponneso: quas exitus hic animæ 585  
 Disturbât urbeis, & terræmotus obortus.

Multaque præterea ceciderunt mœnia magnis  
 Motibus in terris, & multæ per mare pessum

Subsedere suis pariter cum civibus urbes.  
 Quod nisi prorumpit, tamen impetus ipse animæ, 590

Et fera vis venti per crebra foramina terræ  
 Dispertitur, ut horror, & incutit inde tremorem:

Frigus uti nostros penitus cum venit in artus,  
 Concutit invitos cogens tremere atque moveri.

Ancipiti trepidant igitur terrore per urbeis: 595  
 Tecta superne timent, metuunt inferne, cavernas

Terræ ne dissolvat natura repente:  
 Neu distracta suum late dispandat hiatum;

Idque suis confusa velit complere ruinis.  
 Proinde licet, quamvis cælum terramque reantur 600

Incorrupta fore æternæ mandata saluti;  
 Attamen interdum præsens vis ipsa periculi

Subditat hunc stimulum quadam de parte timoris,  
 Ne pedibus raptim tellus subtracta feratur

In barathrum, rerumque sequatur prodita summa 605  
 Funditus, & fiat mundi confusa ruina.

Nunc ratio reddunda, augmen cur nesciat æquor.  
 Principio, mare mirantur non reddere majus

Naturam, quo tantus fuit decursus aquarum,  
 Omnia quo veniant ex omni flumina parte. 610

Adde vagos imbreis, tempestatelque volanteis;  
 Omnia quæ maria, ac terras sparguntque rigantque.  
 Adde suos fonteis: tamen ad maris omnia summam  
 Guttai vix instar erunt unius ad augmen:

Quominus est mirum, mare non augescere magnū, 615

Præterea, magnam sol partem detrahit æstu.

Quippe videmus enim vesteis humore madenteis  
 Exsiccare suis radiis ardentibus solem.

At pelage multa, & late substrata videmus.

Proinde licet quamvis ex unoquoque loco sol 620

Humoris parvam delibet ab æquore partem;

Largiter in tanto spatio tamen auferet undis.

Tum porro venti magnam quoque tollere partem

Humoris possunt verrentes æquora ponti:

Una nocte vias quoniam persæpe videmus. 625

Siccari, mollisque luti concrefcere crustas.

Præterea, docui multum quoque tollere nubeis

Humorem magno conceptum ex æquore ponti,

Et passim toto terrarum spargere in orbe,

Cum pluit in terris, & venti nubila portant. 630

Postremo, quoniam raro cum corpore tellus

Est, & conjunctas oras maris undique cingit;

Debet, ut in mare de terris venit humor aquai,

In terras itidem manare ex æquore salso:

Percolatur enim virus, retroque remanat 635

Materies humoris, & ad caput amnibus canis

Confluit: inde super terras redit agmine ulci,

Qua via secta semel liquido pede detulit undas.

Nunc ratio quæ sit, per fauces montis ut Ætnæ

Expirent ignes interdum turbine tanto, 640

Expediam: neque enim media de clade coorta

Flammæ tempestas Siculûm dominata per agros

Finitimis ad se convertit gentibus ora:

Fumida cum cæli scintillare omnia templa

Cernentes pavida complebant pectora cura, 645

Quid moliretur rerum natura novarum.

Hiscæ tibi rebus late est, alteque videndum,  
 Et longe cunctas in parteis dispiciendum,  
 Ut reminiscaris, summam rerum esse profundam,  
 Et videas, cælum summæ totius unum 650  
 Quam sit parvula pars, & quam multesima constet:  
 Et quota pars hominæ terræ sit totius unus.  
 Quod bene propositum si plane contueare,  
 Ac videas plane; mirari multa relinquant.

Num quis enim nostrum miratur, si quis in artus 655  
 Accipit calido febrim fervore coortam,  
 Aut alium quemvis morbi per membra dolorem;  
 Obturgescit enim subito pes, arripit acer  
 Sæpe dolor denteis, oculos invadit in ipsos:  
 Exsistit sacer ignis, & urit corpore serpens 660  
 Quamcumque arripuit partem, repitque per artus;  
 Nimirum, quia sunt multarum semina rerum:  
 Et satis hæc tellus nobis cælumque mali fert,  
 Unde queat vis immensi procreescere morbi.  
 Sic igitur toti cælo, terræque putandum est 665  
 Ex infinito satis omnia suppeditare,  
 Unde repente queat tellus concussa moveri,  
 Perque mare, & terras rapidus percurrere turbo,  
 Ignis abundare Ætnæus, flammescere cælum.  
 Id quoque enim fit, & ardescunt cælestia templa, 670  
 Ut tempestates pluvix graviore coortu  
 Sunt, ubi forte ita se tetulerunt semina aquarum.

At nimis est ingens incendii turbidus ardor.  
 Scilicet, & fluvius, qui non est, maximus eii est,  
 Qui non ante aliquem majorem vidit: & ingens 675  
 Arbor, homoque videtur: & omnia de genere omni,  
 Maxima quæ vidit quisque, hæc ingentia fingit:  
 Cum tamen omnia cum cælo, terraque, marique  
 Nil sint ad summam summæ totius omnem.

Nunc tamen, illa modis quibus inritata repente 680  
 Flam-

Flamma foras vastis Ætnæ fornacibus efflet,  
 Expediam. Primum totius subcava montis  
 Est natura, fere silicum suffulta cavernis:  
 Omnibus est porro in speluncis ventus & aër.  
 Ventus enim fit, ubi est agitando percitus aër. 685  
 Hic ubi percaluit, calefecitque omnia circum  
 Saxa furens, qua contingit, terramque, & ab ollis  
 Excussit calidum flammis velocibus ignem:  
 Tollit se, ac rectis ita faucibus ejicit alte,  
 Funditque ardorem longe, longeque favillam 690  
 Differt, & crassa volvit caligine fumum:  
 Extruditque simul mirando pondere saxa:  
 Ne dubites, quin hæc animam turbida sit vis.

Præterea, magna ex parti mare montis ad ejus  
 Radices frangit fluctus, æstumque reorbet. 695  
 Ex hoc usque mari speluncæ montis ad altas  
 Perveniunt subter fauceis: hac ire fatendum est,  
 „ Et penetrare mari penitus res cogit aperto,  
 Atque efflare foras, ideoque extollere flammæ,  
 Saxaque subjectare, & arenæ tollere nimbos. 700  
 In summo sunt ventigeni crateres, ut ipsi  
 Nominant, nos quas fauceis perhibemus, & ora.

Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere causam  
 Non satis est, verum plureis, unde una tamen sit.  
 Corpus ut exanimum si quod procul ipse iacere 705  
 Conspicias hominis; fit ut omneis dicere causas  
 Conveniat leti, dicatur ut illius una.  
 Nam neque eum ferro, neque frigore vincere possis  
 Interiisse, neque a morbo, neque forte veneno:  
 Verum aliquid genere esse ex hoc quod concio dicat, 710  
 Scimus: item in multis hoc rebus dicere habemus.

Nilus in æstati crescit, campisque redundat  
 Unicus in terris Ægypti totius annis.  
 Is rigat Ægyptum medium per sæpe calorem,  
 Aut quia sunt æstate Aquilones ostia contra, 715

Anni tempore eo, quo Etesia flabra feruntur;  
 Et contra fluvium flantes remorantur, & undas  
 Cogentes sursus replent, coguntque manere.  
 Nam dubio procul hæc adverso flabra feruntur  
 Flumine, quæ gelidis a stellis axis aguntur. 726  
 Ille ex æstifera parti venit amnis ab Austro  
 Inter nigra virum, percoctaque sæcla calore,  
 Exoriens penitus media ab regione diei.

Est quoque, uti possit magnus congestus arena  
 Fluctibus adversis oppilare ostia contra, 728  
 Cum mare permotum ventis ruit intus arenam.  
 Quo fit uti pacto liber minus exitus amni,  
 Et proclivus item fiat minus impetus undis.

Fit quoque, uti pluvix forsan magis ad caput ejus  
 Tempore eo fiant, quo Etesia flabra Aquilonum 730  
 Nubila conjiciunt in eas tunc omnia parteis.  
 Scilicet ad mediam regionem ejecta diei  
 Cum convenerunt, ibi ad altos denique monteis  
 Contrusæ nubes coguntur, vique premuntur.

Forfit & Æthiopum penitus de montibus altis 735  
 Crescat, ubi in campos albas descendere ninguis  
 Tabificis subigit radiis sol omnia lustrans.

Nunc age, Averna tibi quæ sint loca cūque lacusque,  
 Expediam, quali natura prædita constant.  
 Principio, quod Averna vocantur, nomen id ab re 740  
 Inpositum est, quia sunt avibus contraria cunctis,  
 E regione ea quod loca cum advenere volantes,  
 Remigii oblitæ pennarum vela remittunt,  
 Præcipitesque cadunt molli cervice profusæ  
 In terram, si forte ita fert natura locorum; 745  
 Aut in aquam, si forte lacus substratus Averno est.  
 Qualis apud Cumas locus est, montemque Vesevum,  
 Opleti calidis ubi fumant fontibus auctus.

Est & Athenæis in mœnibus, arcis in ipso  
 Vertice, Palladis ad templum Tritonidos almæ, 750  
 Quo

Quo numquam pennis appellunt corpora raucæ  
 Cornices, non cum fumant altaria donis:  
 Usque adeo fugitant non iras Palladis acreis  
 Pervigill causa, Grajùm ut cecinere poëtæ:  
 Sed natura loci hoc opus efficit ipsa sua vi. 755

In Syria quoque fertur item locus esse, videri,  
 Quadrupedes quoque quo simul ac vestigia primum  
 Intulerint, graviter vis cogat concidere ipsa,  
 Manibus ut si sint divis mactata repente.

Omnia quæ naturali ratione geruntur, 760  
 Et quibus e causis fiant, apparet origo:

Janua ne his Orci potius regionibus esse  
 Credatur posta, hinc animas Acheruntis in oras  
 Ducere forte deos Maneis inferne reamur:

Naribus alipedes ut cervi sæpe putantur 765  
 Ducere de latebris serpentina sæcla ferarum.

Quod procul a vera quam sit ratione repulsum,  
 Percipe: namque ipsa de re nunc dicere conor.

Principio hoc dico, quod dixi sæpe quoque ante,  
 In terra cujusque modi rerum esse figuras: 770

Multa, homini quæ sunt vitalia, multaque, morbos  
 Incutere, & mortem quæ possint accelerare:

Et magis esse aliis alias animantibus aptas

Res ad vitæ rationem, ostendimus ante,

Propter dissimilem naturam, dissimileisque 775

Texturas inter sese, primasque figuras:

Multa meant inimica per aureis, multa per ipsas

Insinuant nareis infesta atque aspera odore:

Nec sunt multa parum tactu vitanda, nec autem

Aspectu fugienda, saporeque tristia quæ sint. 780

Deinde videre licet quam multæ sint homini res:

Acriter infesto sensu, spurcæque gravesque.

Arboribus primum certis gravis umbra tributa est,

Usque adeo, capitis faciant ut sæpe dolores,

Siquis eas subter jacuit prostratus in herbis. 785

Est etiam in magnis Heliconis montibus arbor  
 Floris odore hominem tætro consueta necare.  
 Scilicet hæc ideo terris ex omnia surgunt  
 Multa modis multis multarum semina rerum,  
 Quod permista gerit tellus, discretaque tradit. 790

Nocturnumque recens extinctum lumen, ubi acri  
 Nidore offendit nareis consopit ibidem,  
 Dejicere ut pronos qui morbus sæpe suëvit.

Castoreoque gravi mulier sopita recumbit,  
 Et manibus nitidum teneris opus effluit eii, 795  
 Tempore eo si odorata est, quo menstrua solvit.

Multaque præterea languentia membra per artus  
 Solvunt, atque animam labefactant sedibus intus.

Denique, si in calidis etiam cunctere lavacris,  
 Plenior & solio in fueris ferventis aquaï; 800  
 Quam facile in medio fit uti des sæpe ruinas?

Carbonumque gravis vis, atque odor insinuatur  
 Quam facile in cerebrum, nisi aquam præcepimus ante?

At cum membra hominis percepit fervida febris,  
 Tum fit odor vini plagæ mactabilis instar. 805

Nonne vides etiam terra quoque sulfur in ipsa  
 Gignier, & tætro concrefcere odore bitumen?

Denique ubi argenti venas, aurique sequuntur,  
 Terrai penitus scrutantes abdita ferro;  
 Qualeis expirat scaptacula subter odores? 810

Quidve mali fit ut exhalent aurata metalla?  
 Quas hominum reddunt facies? qualeisque colores?

Nonne vides, audisve perire in tempore parvo  
 Quam soleant? & quam vitai copia desit,  
 Quos opere in tali cohibet vis magna? necesse est 815

Hos igitur tellus omneis exæstuet æstus,  
 Exspiretque foras in aperta, promptaque cæli.

Sic & Averna loca alitibus summittere debent  
 Mortiferam vim, de terra quæ surgit in auras,  
 Ut spatium cæli quadam de parte venenet; 820



Quo simul ac primum pennis delata sit ales,  
 Impediatur ibi cæco conrepta veneno,  
 Ut cadat e regione loci, qua dirigit æstus:  
 Quo cum conruit, hæc eadem vis illius æstus,  
 Reliquias vitæ membris ex omnibus aufert. 825  
 Quippe etenim primo quasi quemdam conciet æstum:  
 Posterius fit, uti cum jam cecidere veneni  
 In fonteis ipsos, ibi fit quoque vita vomenda,  
 Propterea quod magna mali sit copia circum. (830

Fit quoque ut interdum vis hæc, atque æstus Averni,  
 Aëra, qui inter aveis cumque est terramque locatus,  
 Discutiat, prope uti locus hinc linquatur inanis:  
 Cujus ubi e regione loci venere volantes,  
 Claudicat extemplo pennarum nisus inanis;  
 Et conamen utrimque alarum proditur omne. 835  
 Hic ubi nictari nequeunt, insistereque alis,  
 Scilicet in terram delabi pondere cogit  
 Natura; & vacuum prope jam per inane jacentes  
 Dispergunt animas per caulas corporis omneis.

Frigidior porro in puteis æstate fit humor, 840  
 Rarefcit quia terra calore, & femina siqua  
 Forte vaporis habet, prope dimittit in auras.  
 Quo magis est igitur tellus affecta calore,  
 Hoc fit frigidior, qui in terra est abditus, humor.  
 Frigore cum premitur porro omnis terra, coitque, 845  
 Et quasi concrefcit; fit scilicet, ut coëundo  
 Exprimat in puteos, siquem gerit ipsa, calorem.

Est apud Hammonis fanum fons luce diurna  
 Frigidus, at calidus nocturno tempore fertur:  
 Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri 850  
 Sole purant subter terras ferviscere raptim,  
 Nox ubi terribili terras caligine textit:  
 Quod nimis a vera est longe ratione remotum:  
 Quippe ubi sol nudum contrectans corpus aquai,  
 Non quierit calidum supera de reddere parte, 855

Cum

Cum superum lumen tanto fervore fruatur:  
 Qui queat hic subter tam crasso corpore terram,  
 Percoquere humorem, & calido sociare vaporibus?  
 Præsertim cum vix possit per septa domorum  
 Insinuare suum radiis ardentibus æstum? 860  
 Quæ ratio est igitur? nimirum terra magis quod  
 Rara tenet circum hunc fontem, quam cetera tellus.  
 Multaque sunt ignis prope semina corpus aquæ.  
 Hinc ubi roriferis terram nox obruit umbris,  
 Extemplo subitus frigescit terra, coitque. 865  
 Hac ratione fit, ut, tamquam compressa manu sit,  
 Exprimat in fontem, quæ semina cumque habet ignis,  
 Quæ calidum faciunt laticis tactum atque saporem.  
 Inde ubi sol radiis terram dimovit obortis,  
 Et rarefecit calido miscente vapore; 870  
 Rursus in antiquas redeunt primordia sedes  
 Ignis, & in terram cedit calor omnis aquæ:  
 Frigidus hanc ob rem fit fons in luce diurna.

Præterea, solis radiis jactatur aquæ  
 Humor, & in luci tremulo rarefcit ab æstu: 875  
 Propterea fit, uti quæ semina cumque habet ignis,  
 Dimittat: quasi sæpe gelum, quod continet in se,  
 Mittit, & exsolvit glaciem, nodosque relaxat.

Frigidus est etiam fons, supra quem sita sæpe  
 Stupa jacet flammam concepto protinus igni: 880  
 Tædæque consimili ratione accensa per undas  
 Conlucet, quocumque natans impellitur auris:  
 Nimirum quia sunt in aqua permulta vaporis  
 Semina, de terraque necesse est funditus ipsa  
 Ignis corpora per totum consurgere fontem, 885  
 Et simul exspirare foras, exireque in auras,  
 Non tam viva tamen, calidus queat ut fieri fons.

Præterea, dispersa foras erumpere cogit  
 Vis per aquam subito, sursumque ea conciliari:  
 Quod genus endo mari spirat fons, dulcis aquæ 890  
 Qui

Qui scatit, & salvas circum se dimovet undas.  
 Et multis aliis præbet regionibus æquor  
 Utilitatem opportunam sitientibus nautis,  
 Quod dulcibus inter salvas intervomit undas.  
 Sic igitur per eum possunt erumpere fontem, 895  
 Et scaterere illa foras in stupam semina: quo cum  
 Conveniunt, aut cum tædai corpori adhærent,  
 Ardescunt facile extemplo; quia multa quoque in se  
 Semina habent ignis stupæ tædæque tenentes.

Nonne vides etiam, nocturna ad lumina lychnū 900  
 Nuper ubi extinctum admoveas, accendier ante  
 Quam tetigit flammam? tædamque pari ratione?  
 Multaque præterea, prius ipso tacta vapore  
 Eminus ardescunt, quam cominus imbuat ignis.  
 Hoc igitur fieri quoque in illo fonte putandum est. 905

Quod superest, agere incipiam, quo fœdere fiat  
 Naturæ, lapis hic ut ferrum ducere possit,  
 Quem magneta vocant patrio de nomine Graji,  
 Magnetum quia sit patriis in finibus ortus.

Hunc homines lapidem mirantur, quippe catenā 910  
 Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex se.  
 Quinque etenim licet interdum, plureisque videre  
 Ordine demisso, levibus jactarier auris,  
 Unus ubi ex uno dependet subter adhærens;  
 Ex alioque alius lapidis vim, vinculaque noscit: 915  
 Usque adeo permananter vis pervalet ejus.  
 Hoc genus in rebus firmandum est multa prius, quam  
 Ipsius rei rationem reddere possis;  
 Et nimium longis ambagibus est adeundum:  
 Quo magis attentas aureis, animumque reposco. 920

Principio, omnibus a rebus, quascumque videmus,  
 Perpetuo fluere, ac mitti, spargique necesse est  
 Corpora, quæ feriant oculos, visumque laceasant:  
 Perpetuoque fluunt certis ab rebus odores,  
 Frigus ut a fluviis, calor a sole, æstus ab undis 925

Æquo.

Æquoris exesor mœrorum litora propter:  
 Nec varii cessant sonitus manare per aureis.  
 Denique in os falsi venit humor sæpe saporis,  
 Cum mare versamur propter; dilutaque contra  
 Cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror: 930  
 Usque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter  
 Fertur, & in cunctas dimittitur undique parteis.  
 Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi,  
 Perpetuo quoniam sentimus, & omnia semper  
 Cernere, odorari licet, & sentire sonorem. 935

Nunc omnes repetam quam raro corpore sint res,  
 Commemorare, quod in primo quoque carmine claret.  
 Quippe etenim, quamquam multas hoc pertinet ad res  
 Noscere, cum primis hanc ad rem protinus ipsam,  
 Qua de differere aggredior, firmare necesse est, 940  
 Nil esse in promptu, nisi mistum corpus inani.

Principio fit, ut in speluncis saxa superna  
 Sudent humore, & guttis manantibus stillent:  
 Manat item nobis e toto corpore sudor,  
 Crescit barba, pilique per omnia membra, per artus: 945  
 Diditus in venas cibus omneis, auget, alitque  
 Corporis extremas quoque parteis, unguiculosque.  
 Frigus item transire per æs, calidumque vaporem  
 Sentimus: sentimus item transire per aurum,  
 Atque per argentum, cum pocula plena tenemus. 950  
 Denique per dissepta domorum saxea voces  
 Pervolitant, permanat odos, frigusque, vaposque  
 Ignis: quin ferri quoque vim penetrare suëvit,  
 Undique qua circum corpus lorica coërcet,  
 Morbida vis quæcumque extrinsecus insinuatur. 955  
 Et tempestates terra cæloque coortæ  
 E cælo emotæ terraque repente facessunt,  
 Quandoquidem nihil est non raro corpore nexum.

Huc accedit, uti non omnia, quæ jaciuntur  
 Corpora cumque ab rebus, eodem prædita sensu, 960  
 Atque

Atque eodem pacto rebus sint omnibus apta.

Principio, terram sol excoquit, & facit are:

At glaciem dissolvit, & altis montibus alte

Exstructas ninguéis radiis tabescere cogit:

Denique cera liquefcit in ejus postea vapore; 965

Ignis item liquidum facit æs, aurumque resolvit:

At coria, & carnem trahit, & conducit in unum.

Humor aquæ porro ferrum condurat ab igni;

At coria, & carnem mollit durata calore:

Barbigeras oleaster eo juvat usque capellas, 970

Diffuat ambrosia quasi vero, & nectare tinctus:

At nihil est, homini fronde hac quod amarius exstet.

Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne

Unguentum; nam, setigeris subus acre venenum est,

Quod nos interdum tamquam recreare videtur: 975

At contra nobis cœnum tæterrimum cum sit

Spurcicies, eadem subus hæc res munda videtur,

Insatiabiliter toti ut volvantur ibidem.

Hoc etiam superest, ipsa quam dicere de re

Aggredior, quod dicendum prius esse videtur. 980

Multa foramina cum variis sint reddita rebus,

Diffimili inter se natura prædita debent

Esse, & habere suam naturam quæque, viasque;

Quippe etenim varii sensus animantibus insunt,

Quorum quisque suam proprie rem percipit in se. 985

Nam penetrare alia sonitus, aliaque saporem

Cernimus e succis, alia nidoris odores,

Propter diffimilem naturam, textaque rerum:

Præterea manare aliud per saxa videtur;

Atque aliud per ligna, aliud transire per aurum; 990

Argentoque foras aliud, vitroque meare.

Nam fluere hac species, illac calor ire videtur,

Atque aliis aliud citius transmittere eadem.

Scilicet id fieri cogit natura viarum,

Multimodis varians, ut paullo ostendimus ante. 995

Qua-

Quapropter bene ubi hæc confirmata atque locata  
 Omnia constiterint nobis præposita, parata:  
 Quod superest, facile hinc ratio reddetur, & omnis  
 Causa patefiet, quæ ferri pelliciat vim. (1000

Principio, fluere e lapide hoc permulta necesse est  
 Semina, sive æstum, qui discutit aëra plagis,  
 Inter qui lapidem, ferrumque est cumque locatus.  
 Hoc ubi inanitur spatium, multusque vacet  
 In medio locus: extemplo primordia ferri  
 In vacuum prolapsa cadunt conjuncta, fit utque 1005  
 Annulus ipse sequatur, eatque ita corpore toto.  
 Nec res ulla magis primoribus ex elementis  
 Indupedita suis arte connexa cohæret,  
 Quam validi ferri naturæ frigidus horror.

Quo minus est mirum, quod paullo diximus ante, 1010  
 Corpora si nequeunt de ferro plura coorta  
 In vacuum ferri, quin annulus ipse sequatur:  
 Quod facit, & sequitur donec pervenit ad ipsum  
 Jam lapidem, cæcisque in eo compagibus hæsit.  
 Hoc fit item cunctas in parteis, unde vacet 1015  
 Cumque locus, sive ex transverso, sive superne:  
 Corpora continuo in vacuum vicina feruntur.  
 Quippe agitantur enim plagis aliunde, nec ipsa  
 Sponte sua sursum possunt consurgere in auras.

Huc accedit item quare queat id magis esse: 1020  
 „ Hæc quoque res adjumento, motuque juvatur:  
 Quod simul a fronte est annelli rarior aër  
 Factus, inanitusque locus magis ac vacuatus;  
 Continuo fit, uti qui post est cumque locatus  
 Aër, a tergo quasi provehat atque propellat. 1025  
 Semper enim circum positus res verberat aër.  
 Sed tali fit uti propellat tempore ferrum,  
 Parte quod ex una spatium vacat, & capit in se.  
 Hic, ubi, quem memoro, per crebra foramina ferri est  
 Parvas ad parteis subtiliter insinuatus; 1030

Trudit & impellit, quasi navim velaque ventus.

Denique res omnes debent in corpore habere  
Aëra, quandoquidem raro sunt corpore, & aër  
Omnibus est rebus circumdatus appositusque.

Hic igitur, penitus qui in ferro est abditus aër, 1035  
Sollicito motu semper jaçtatur, eoque  
Verberat annellum dubio procul, & ciet intus  
Scilicet, atque eodem fertur, quo præcipitavit  
Jam semel, & quamquam in partem conamina sumsit.

Fit quoque ut a lapide hoc ferri natura recedat 1040  
Interdum, fugere, atque sequi consueta vicissim.

Exultare etiam Samothracia ferrea vidi,  
Et ramenta simul ferri furere intus ahenis

In scaphiis, lapis hic magnes cum subditus esset:  
Usque adeo fugere a saxo gestire videtur. 1045

Ære interposito discordia tanta creatur,  
Propterea, quia nimirum prius æstus ubi æris  
Præcepit, ferrique vias possedit apertas;  
Posterior lapidis venit æstus, & omnia plena  
Invenit in ferro: neque habet qua tranet, ut ante. 1050

Cogitur offensare igitur, pulsareque fluctu  
Ferreæ texta suo: quo pacto respuit ab se,  
Atque per æs agitatur, sine eo quæ sæpe resorbet.

Illud in his rebus mirari mitte, quod æstus  
Non valet e lapide hoc alias impellere item res: 1055  
Pondere enim fretæ partim stant, quod genus aurum:  
Ac partim raro quia sunt cum corpore, ut æstus  
Pervolet intactus, nequeunt impellier usquam;  
Lignea materies in quo genere esse videtur.

Inter utrasque igitur ferri natura locata, 1060

Æris ubi accepit quædam corpuscula; tum fit,  
Impellant ut eam Magnesiæ semina saxi.

Nec tamen hæc ita sunt aliarum rerum aliena,  
Ut mihi multa parum genere ex hoc suppeditentur,  
Quæ memorare queam inter se singulariter apta. 1065

Saxa

Saxa vides primum sola coalescere calce:  
 Glutine materies taurino ita jungitur una,  
 Ut vitio venæ tabularum sæpius hiscant,  
 Quam laxare queant compages taurea vincla.  
 Vitigeni latices in aquai fontibus audent 1070  
 Misceri, cum pix nequeat gravis, & leve olivum:  
 Purpureusque colos conchyli jungitur una  
 Corpore cum lanæ, dirimi qui non queat usquam:  
 Non si Neptuni fluctu renovare operam des:  
 Non mare si totum velit eluere omnibus undis. 1075  
 Denique res auro argentum concopulat una,  
 Ærique æs plumbo fit uti jungatur ab albo.  
 Cetera jam quam multa licet reperire? quid ergo?  
 Nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam,  
 Nec me tã multam hic operam consumere par est: 1080  
 Sed breviter paucis restat comprehendere multa.

Quorum ita texturæ ceciderunt mutua contra,  
 Ut cava convenient plenis hæc illius, illa  
 Hujusque; inter se junctura horum optima constat.  
 Est etiam, quasi ut annellis, hamisque plicata 1085  
 Inter se quædam possint coplata teneri:  
 Quod magis in lapide hoc fieri ferroque videtur.

Nunc, ratio quæ sit morbis, aut unde repente  
 Mortiferam possit cladem conflare coorta  
 Morbida vis hominum generi, pecudūque catervis, 1090  
 Expediam. Primum multarum semina rerum  
 Esse supra docui, quæ sint vitalia nobis:  
 Et contra, quæ sint morbo, mortique, necesse est  
 Multa volare; ea cum casu sunt forte coorta,  
 Et perturbarunt cælum, fit morbidus aër. 1095  
 Atque ea vis omnis morborum, pestilitasque,  
 Aut extrinsecus, ut nubes nebulæque superne  
 Per cælum veniunt, aut ipsa sæpe coorta  
 De terra surgunt, ubi putrorem humida nacta est,  
 Intempestivis pluviisque, & solibus iccta. 1100

Non-



Nonne vides etiam cæli novitate, & aquarum  
Tentari, procul a patria quicumque domoque  
Adveniunt? ideo quia longe discrepat aër.

Nam quid Britannum cælum differre putamus, ( 1105  
Et quod in Ægypto est, qua mundi claudicat axis?  
Quidve quod in Ponto est differre a Gadibus, atque  
Usque ad nigra virum, percoctaque sæcla calore?  
Quæ cum quatuor inter se diversa videmus  
Quatuor a ventis & cæli partibus esse,  
Tum color & facies hominum distare videntur 1110  
Largiter, & morbi generatim sæcla tenere.

Est elephas morbus, qui propter flumina Nili  
Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam.

Atthide tentantur gressus, oculique in Achæis  
Finibus: inde aliis alius locus est inimicus 1115  
Partibus ac membris: varius concinnat id aër.  
Proinde ubi se cælum, quod nobis forte alienum est,  
Commovet, atque aër inimicus serpere cœpit;  
Ut nebula ac nubes paullatim repit, & omne  
Qua graditur, conturbat, & immutare coactat. 1120  
Fit quoque, ut in nostrum cum venit denique cælum,  
Corrumpat, reddatque sui simile atque alienum.

Hæc igitur subito clades nova, pestilitalque,  
Aut in aquas cadit, aut fruges perfidit in ipsas,  
Aut alios hominum pastus, pecudumque cibatus: 1125

Aut etiam suspensa manet vis aëre in ipso:  
Et cum spiranteis mistas hinc ducimus auras,  
Illa quoque in corpus pariter sorbere necesse est.

Consimili ratione venit bubus quoque sæpe.  
Pestilital, etiam pecubus balantibus ægror. 1130

Nec refert utrum nos in loca deveniamus  
Nobis adversa, & cæli mutemus amictum:

An cælum nobis ultro natura cruentum

Deferat, aut aliquid, quo non consuevimus uti,

Quod nos adventu possit tentare recenti. 1135

Q

Hæc

Hæc ratio quondam morborum, & mortifer æstus  
 Finibus Cecropiis funestos reddidit agros,  
 Vastavitque vias, exhaustit civibus urbem.  
 Nam penitus veniens Ægypti e finibus ortus,  
 Aëra permensus multum, camposque natanteis, 1140  
 Incubuit tandem populo Pandionis: omnes  
 Inde catervatim morbo mortique dabantur.

Principio, caput incensum fervore gerebant,  
 Et duplicibus oculos suffusa luce rubenteis.  
 Sudabant etiam fauces intrinsecus atro 1145  
 Sanguine, & ulceribus vocis via septa coibat;  
 Atque animi interpret manabat lingua cruore,  
 Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu:  
 Inde, ubi per fauceis pectus complerat, & ipsum  
 Morbida vis in cor mœstum confluxerat ægris; 1150  
 Omnia tum vero vitæ claustra lababant.  
 Spiritus ore foras tætrumolvebat odorem,  
 Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.  
 Atque animi prorsum vires totius, & omne  
 Languabat corpus, leti jam limine in ipso. 1155  
 Intolerabilibusque malis erat anxius angor  
 Assidue comes, & gemitu commista querela,  
 Singultusque frequens noctem persæpe, diemque,  
 Conripere assidue nervos & membra coactans,  
 Dissolvebat eos, defessos ante, fatigans. 1160  
 Nec nimio cuiquam posses ardore tueri  
 Corporis in summo summam ferviscere partem:  
 Sed potius tepidum manibus proponere tactum,  
 Et simul ulceribus quasi inustis omne rubere  
 Corpus, ut est per membra sacer cum diditur ignis. 1165  
 Intima pars homini vero flagrabat ad ossa:  
 „Flagrabat stomacho flamma, ut fornacibus, intus.“  
 Nil adeo posset cuiquam leve, tenueque membris  
 Vertere in utilitatem: ad ventum & frigora semper  
 In fluvios partim gelidos ardentia morbo 1170

Membra dabant, nudum jacentes corpus in undas:  
 Multi præcipites lymphis putealibus alte  
 Inciderunt, ipso venientes ore patente.  
 Insedabiliter sitis arida corpora mersans  
 Equabat multum parvis humoribus imbrem. 1175  
 Nec requies erat ulla mali; defessa jacebant  
 Corpora; mussabat tacito medicina timore;  
 Quippe patentia cum totas ardentia nocteis  
 Lumina versarent oculorum expertia somno:  
 Multaque præterea mortis tum signa dabantur; 1180  
 Perturbata animi mens in mœrore, metuque;  
 Triste supercilium; furiosus voltus, & acer;  
 Sollicitæ porro, plenæque sonoribus aures;  
 Creber spiritus, aut ingens, raroque coortus;  
 Sudorisque madens per collum splendidus humos; 1185  
 Tenuia sputa, minuta, croci continctâ colore,  
 Salsaque, per fauceis raucas vix edita tussi.  
 In manibus vero nervi trahier, tremere artus:  
 A pedibusque minutatim succedere frigus  
 Non dubitabat: item ad supremum denique tempus 1190  
 Compressæ nares: nasi primoris acumen  
 Tenue: cavati oculi: cava tempora: frigida pellis,  
 Duraque; inhorrebat rictum; frons tenta minebat;  
 Nec nimio rigida post strati morte jacebant:  
 Octavoque fere candenti lumine solis, 1195  
 Aut etiam nona reddebant lampade vitam.  
 Quorum siquis, ut est, vitarat funera leti,  
 Visceribus tætris, & nigra proluvie alvi;  
 Posterius tamen hunc tabes letumque manebat:  
 Aut etiam multus capitis cum sæpe dolore 1200  
 Conruptus sanguis plenis ex naribus ibat:  
 Huc hominis totæ vires corpusque fluebat.  
 Profluvium porro qui tætri sanguinis acre  
 Exierat, tamen in nervos huic morbus & artus  
 Ibat, & in partibus genitales corporis ipsas. 1205

Et graviter partim metuentes limina leti  
 Vivebant ferro privati parte virili:  
 Et manibus sine nonnulli pedibusque manebant  
 In vita tamen, & perdebant lumina partim:  
 Usque adeo mortis metus his inceserat acer. 1210  
 Atque etiam quosdam cepere obliviam rerum  
 Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.  
 Multaque humi cum inhumata jacerent corpora supra  
 Corporibus, tamen alituum genus atque ferarum  
 Aut procul absiliebat, ut acrem exiret odorem: 1215  
 Aut, ubi gustarat, languebat morte propinqua.  
 Nec tamen omnino temere illis sedibus ulla  
 Comparebat avis, nec noctibus sæcla ferarum  
 Exhibant silvis, languebant pleraque morbo,  
 Et moriebantur: cum primis fida canum vis 1220  
 Strata viis animam ponebat in omnibus ægram;  
 Extorquebat enim vitam vis morbida membris.  
 Incomitata rapi certabant funera vasta:  
 Nec ratio remedi communis certa dabatur.  
 Nam quod alis dederat vitaleis aëris auras 1225  
 Volvere in ore licere, & cæli templa tueri:  
 Hoc aliis erat exitio, letumque parabat.  
 Illud in his rebus miserandum & magnopere unum  
 Ærumnabile erat; quod, ubi se quisque videbat  
 Implicitum morbo, morti damnatus ut esset, 1230  
 Deficiens animo mæsto cum corde jacebat  
 Funera respectans, animam & mittebat ibidem:  
 Idque vel in primis cumulabat funere funus.  
 Quippe etenim nullo cessabant tempore apisci  
 Ex aliis alios avidi contagia morbi: 1235  
 Nam quicumque suos fugitabant visere ad ægros,  
 Vitæ nimium cupidi, mortisque timentes,  
 Pœnibat paullo post turpi morte, malaque  
 Desertos, opis experteis, incuria mactans,  
 Lanigeras tamquam pecudes, & bucera sæcla. 1240

Qui fuerant autem præsto, contagibus ibant,  
 Atque labore, pudor quem tum cogebat obire,  
 Blandaque lassorum vox mista voce querelæ.  
 Optimus hoc leti genus ergo quisque subibat:  
 Inque aliis alium populum sepelire suorum 1245  
 Certantes, lacrimis lassu luctuque redibant.  
 Inde bonam partem in lectum mœrore dabantur:  
 Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus,  
 Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.  
 Præterea, jam pastor, & armentarius omnis, 1250  
 Et robustus item curvi moderator aratri,  
 Languebant, penitusque casis contrusa jacebant  
 Corpora, paupertate & morbo dedita morti.  
 Exanimis pueris super exanimata parentum  
 Corpora nonnunquam posses, retroque videre 1255  
 Matribus & patribus natos super edere vitam.  
 Nec minimum partim ex agris mœroris in urbem  
 Confluxit, languens quem contulit agricolarum  
 Copia, conveniens ex omni morbida parti.  
 Omnia complebant loca tecta, quo mage eos tū 1260  
 Confertos ita acervatim mors accumulabat.  
 Multa siti prostrata viam per, proque voluta  
 Corpora silanos ad aquarum strata jacebant,  
 Interclusa anima nimia ab dulcedine aquæ.  
 Multaque per populi passim loca promta, viasque 1265  
 Languida semianimo tum corpore membra videres,  
 Horrida pædore, & pannis cooperta, perire  
 Corporis inlue: pellis super ossibus una,  
 Ulceribus tætris prope jam sordique sepulta.  
 Omnia denique sancta deum delubra repleat 1270  
 Corporibus mors exanimis, onerataque passim  
 Cuncta cadaveribus cælestum templa manebant,  
 Hospitibus loca quæ complerant ædituentes.  
 Nec jam religio divum, nec numina magni  
 Pendebantur: enim præsens dolor exsuperabat. 1275

Nec mos ille sepulturæ remanebat in urbe,  
 Ut prius hic populus semper consuerat humari.  
 Perturbatus enim totus trepidabat, & unus  
 Quisque suum pro re consortem mœstus humabat.  
 Multaque vis subita, & paupertas horrida suasit; 1280  
 Namque suos consanguineos aliena rogorum  
 Insuper instructa ingenti clamore locabant,  
 Subdebantque faceis, multo cum sanguine sæpe  
 Rixantes potius, quam corpora defererentur.

---

### CREECHII CENSURA.

**M**ulta in hoc libro præclare disputavit Lucretius, at  
 excidit proposito; neque enim de Providentia opi-  
 nionem, quam oppugnavit totis viribus, concussit. Sit om-  
 nnis Meteorôn ratio perspicue declarata: Tonitru, Ful-  
 gur, Fulmen, Terræ-motus explicentur: omnia denique  
 agantur naturali ratione. at nulla umquam sine Domino:  
 saltem Dominum ipsa Natura non respuit; Natura enim  
 est ea brutæ materiæ particularum dispositio, quæ facit ut  
 isti oriantur effectus, quos vocamus naturales. Illa au-  
 tem dispositio si Casu inducta sit, non refutat; si pruden-  
 tia sit constituta, confirmat Providentiam. Ita singule  
 explicationes Physicos delectare possunt, Atheos non ju-  
 vant.

De Meteoris autem nemo accuratius collegit Veterum  
 Philosophorum opiniones, nemo acutius exposuit. His pau-  
 ca addiderunt recentiores Philosophi, non meliora. Et pro-  
 fecto ut hæc nostra ætas, ita plures post nostram memo-  
 riam nascentes (ista Vitruvius) cum Lucretio videbuntur  
 velut coram de Meteoris disputare.


De Terræ-motu, & Mari ea docet quæ res ipsa compro-  
 bat; nisi quod quidam Terræ-motus (de quibus forsan ali-

aliquando copiose) vires caussarum quas assignat, superare videantur.

Ætna nobile est argumentum, sed difficile; & in hoc deficit Poëta: at de Nili incremento, de Avernis, & de Fontibus admirandis, tamquam ipsa veritas loqueretur, differit. Id vero observandum, quod de fabuloso Jovis Ammonis Fonte minus satisfacit, quippe melius Naturam explicat Lucretius quam Fabulas.

De Magnete plura, quæ avide legeremus, scripserat, si nota fuissent Lapidis istius admirandi vires. Pestis & Morborum commoda explicatio. Thucydidem ita denique interpretatur, ut vim illius Historici exprimat, augeat majestatem. Neque ipsa Thucydidis narratio tam perspicua, aut tot ingenii luminibus distincta.

F I N I S.



CRASHED INDEX

CRASHED INDEX

CRASHED INDEX



## JACOBUS TONSON

BIBLIOPOLA LONDINENSIS

LECTORI CANDIDO

S. P. D.



*Equæ mei, neque hujus loci est, de Lucretii vita & laudibus, vel historicum, vel declamatorem agere: Gifanium adant, qui auctoris ævum, gentem, & familiam solliciti queritant; Gassendum, & Creechium consulant, quibus in intimos Epicuri recessus penetrare, genuinumque Poëtæ sensum rimari, & refellere curæ est. Id mihi solum negotii fuit, legitimum latinæ principem tibi nitidum offerre, Epicureumque curata bene curæ comessaturis Philosophis propinare. Textum ideo Creechii, utpote Lambino, & Fabro quammaximè consentientem, tibi fideliter, duobus, tribusve ad plurimum, locis exceptis, præbeo. Et, cum ipse minus in re Critica profecerim, parumque ingenio & sagacitate potuerim, subsidio tamen mihi diligentiam abunde comparavi, ut tu in ista arte progressus utiles possis facere; amplamque messem tuis falcibus demetendam industrius proposui. Hic enim habes, quod subtilitatem & acumen ingenii tui exercent, & acuunt; ut ex variantibus veras tandem possis lectiones eruere; & dum sedulo aliorum judicia in unum collata pensitas, melius confirmes tuum. Hic enim uno intuitu, quidquid integerrimæ latinæ custodes acerrimi*

*san*

sanxerunt, sine notarum alienarum farragine, appareat fixum & stabilitum: hic etiam, quidquid nugatores inanissimi somniarunt, fortasse cum nausea, percipies; non tamen sine usu, certissime sine mora & tædio, modico admodum temporis & pecuniæ dispendio, recognosces. Exinde etiam facilius elucescet, ut ipsius Lucretii verbis utar, quanto

cycnorum melior canor, ille gruum quam

Clamor, in ætheriis dispersus nubibus Austri.

Et nullus dubito, quin mecum sentias, & Jove æquo iudices, simul ac Lambinum, Gifanium, Fabrum, & Creechium, cum Nardio, & Fayo, ceterisque ejusdem farinae infelicissimis editoribus contuleris. Eorum tamen numero excerptas velim Bononiensem Pium melius de Lucretii lectoribus studiosis meritum; utpote qui variis MStis Codicibus venerandæ & erudite, ut ipse loquitur, vetustatis adjutus piaculum duxit, vel minimas eorum discrepantias prætermittere, omnes accuratissime notis suis vix aliter ferendis inferciens; quas cum conjecturis ejus integras tibi in manus trado: & siquid inde beneficii acceptum retuleris, gratias Domino Doctori Pellet, Medico eruditissimo, qui editionem Pii Bononiensem, raram admodum, conferendam benignissime communicavit, ut habeas, impense rogo. Eodem etiam nomine celebranda est insignis humanitas Cl. Viri Joannis Mori Episcopi Eliensis, qui editionem Gifanii impressam Antuerpiæ A. D. 1565. cum notis marginalibus & emendationibus Jacobi Susii, & Theodori Munckeri, aliamque apud Gryphium A. D. 1540. cum duabus collationibus Nicolai Heinsii, utrosque olim libros Petri Francii Professoris Amstelodamensis, ex instructissima sua bibliotheca suppeditavit. Cui omnino adjungendus est Cl. Vir Robertus Cannon Ecclesiæ Eliensis Canonicus, pari studio de re literaria promovenda sollicitus, qui fragmentum Gottorpiæ, & tres MStos Codices Isaacii Vossii,

ipsas-

ipsasque ejusdem Vossii Emendationes, quas imprimendas se designasse sæpius in Notis suis ad Catullum declarat Vossius, amicissime commodavit; omnesque juris publici fieri perliberaliter voluit. His igitur viris optimis gratias quammaximas, uti tanto devinctum beneficio decet, agas: meque tuis commodis semper inserviturum, bonoque rei literariæ publico magnifice jam consulentem, & modo cœptis aspirent eruditi, semper consulturum foveas, & exstimules. Vale.



# E X P L I C A T I O N O T A R U M.

- A. *significat Gifanii Editionem impressam Antuerpie. 1565.*
- A. marg. *alias Lectiones margini Gifanii additas.*
- a. -- -- *aliam Gifanii impressam Lugd. Bat. 1595.*
- B. -- -- *Paræi. Francfordiæ. 1631.*
- Bm. *Lectiones MSti Codicis Eo. Rejani, margini Codicis qui fuit Thomæ Creech adscriptas.*
- C. -- -- *apud Gryphum Lugduni. 1540.*
- c. *Lectiones ejusdem marginales.*
- Cr. *Conjecturas Th. Creechii notis suis infertas.*
- D. -- -- *Fayi in us. Delph. Parisiis. 1680.*
- E. -- -- *Nardii. Florentiæ. 1647.*
- F. *Fabri Emendationes.*
- G. *Fragmentum Gottorpiæ 800. vel 900. annorum.*
- H. 1. 2. *Collationes Heinsianas; quæ non nisi ad primum, & sextum librum pertinent.*
- I. -- -- *Baronis de Coutures. Paris. 1692.*
- K. *Notas MStas Domini Jacobi Susii.*
- L. -- *Lambini. Francfordiæ. 1583.*
- M. *Marulli Lectiones, margini Gifanii additas.*
- P. -- -- *Pii. Bononiæ. 1511.*
- V. *Lectiones Vossianas, quas margini libri sui imprimendi adscripserat.*
1. 2. 3. *Collationes trium MStorum Codicum Vossii a Cl. Viro Roberto Cannon factas.*

VARIÆ LECTIONES  
 IN LUCRETII  
 LIBRO I.

- verf. 4. **C** *Oncelebras*) ceperas 1.  
 5 *Exortum*) exortu not. Pii.  
*Lumina*) lumine G.  
 7 *Adventumque tuum*) adventuque tuo C. E. Bm. ad  
 ventumque Turnebus. V.  
 9 *Placatumque*) pacatumque C. E.  
*Lumine*) numine c. not. Pii.  
 11 *Genitabilis*) genitalis A. B. D. I. genetabilis M.  
 13 *Initum*) initium A. B. I. nutum Bm. not. Pii. un-  
 de aliqui male *nuncium* pro *Zephyro* K.  
*Percussæ*) percussam G. percussæ C. E. V. L. A.  
 marg. P.  
 14 Hic versus sequenti postponitur V.  
 15 *Capta lepore*) quodque lepore H. 2. P.  
 16 Deest. A. B. E. V. 1. 2. P. *Lambini* etiam iudicio  
 exterminandus.  
 17 *Quo quamque*) quocumque Bm. not. Pii. H. 1.  
 24 *Fit*) sit *Faber*.  
 28 *Ornatum*) ora latum G. 1. K. prælatum V. ex  
*Wallio*. altatum *Salmasius*.  
 34 *Regit in gremium*) regium in gremium G.  
 35 *Rejicit*) reficit A. B. H. 1. I. B. refficit not. Pii.  
*Devinctus*) devictus C. E. G. utramque lectionem  
 agnoscit *Pius*.  
 36 *Suspiciens*) suspirans C. utramque lectionem agno-  
 scit *Pius*. suscipiens G. V.  
 38 *Pendet*) pendent C.  
 39 *Hunc tu*) nunc te Bm.

- 44 *Deesse* . Post hunc versum inferuntur 57. versus & quinque sequentes H. 1. Bm. quos tamen H. 2. non recipit.
- 45 *Memmiada* & te ) Memmius & te A. B. C. E. I. P.  
Decst. V. & 1. 2. 3.
- 47 *Ne mea* ) nec mea D. Creech.
- 49 *Ratione* ) regione c. *Pio* etiam ex vetust. exemplar. in textum recipiente , qui utramque lectionem agnoscit.
- 52 *Quove eadem rursus* ) Quod eadem rursus K.  
*Resolvat* ) resolvit P.
- 61 *Suis* ) sui P.
- 62 *Promeritis* ) pro meritis C. utramque agnoscit *Pius*.
- 67 *Grajus* ) gnarus c. utramque agnoscit *Pius*.  
*Mortales* ) immortales c. utramque habet *Pius*.  
*Tollere* ) tendere A. marg. L. ex *Nonio*.
- 68 *Obsistere* ) absistere c. utramque *Pius* agnoscit.
- 71 *Virtutem irritât animi* ) irritat animi virtutem G.  
irritat virtutem animi C. P.
- 72 *Cupiret* ) cuperet G. 1.
- 78 *Quanam* ) quantum C. E. G. P.  
*Atque* ) utque A. B. I.  
*Alte* ) aliter G.  
*Herens* ) hæreat A. B.
- 80 *Obteritur* ) opteritur G. Exteritur A. marg.
- 83 *Endogredi* ) Indugredi C. E. G. P. 1. 2. 3.  
*Quod contra , sapius* ) quod contra sapius A. quin  
contra C. E. M. P. Bm. H. 2.  
*Sapius olim* ) sapius illa c. G. H. 1. K. P.
- 86 *Iphianassai* ) Iphianassæo C. Iphianassai c. Iphia-  
nasseo E.
- 87 *Delecti* ) dilecti G.
- 90 *Cui* ) Quæ c. P. Quo L.
- 91 *Celare* ) celerare c. P. celebrare A. marg.
- 93 *Muta metu* ) Volta metu *Avancius*.

- 95 *Donarat* ) donaret P.  
 96 *Ad aram* ) ad aras G.  
 103 *Quovis* ) quodvis G. K.  
 104 *Desciscere* ) desistere *Gassendus*.  
*Quæres?* ) quæres A. B. C. L. P.  
 105 *Tibi jam* ) tibi me A. B. I.  
*Possum* ) possunt C. E. H. 2. possum c. H. 1.  
 107 *Timore?* ) timore P.  
 108 *Nam si* ) jam si Bm.  
*Certam* ) certum C. P.  
 115 *Morte diremta* ) morte peremta *Creech*.  
 118 *Ennius ut noster cecinit, qui primus* ) *Ennius ut*  
*primus cecinit qui noster* G.  
 120 *Hominum* ) omnium A. B. I.  
 123 *Permanent* ) permaneant G. H. 1. K. 3. perveniant  
 H. 2. P.  
 124 *Deest*. 3.  
 125 *Exortam* ) exortum H. 1. extremum c. exorto *vel*  
*exortam* P.  
 126 *Et fundere* ) effundere G. V. E. 3. cui fundere P.  
 130 *Genantur* ) gerantur A. B. C. D. E. I. L. P. 1. 2.  
 131 *Primis* ) primum C. P. *Gassendus*.  
 134 *Terrificet* ) terrificent A. B.  
*Affectis* ) affectas 1.  
*Sepultis* ) sepultas 1.  
 137 *Animi* ) animus A. B. H. 1. I. Bm.  
 141 *Sperata voluptas* ) spectata voluntas C. E. Bm.  
 142 *Perferre* ) efferre A. B. G. H. 1. Bm. L.  
 143 *Serenas* ) severas *Creech*.  
 145 *Menti* ) mentis c. P.  
 150 151. post 159. collocantur D. confusa admodum  
 apud *Pium* omnia hæc, hoc ordine descripta:  
 Quippe ita...  
 Quod multa...  
 Quorum operum...

Possunt hæc...

Et quo quæque...

Cujus principium hic...

Nullam rem e nihilo...

Quas ob res ubi...

De nihilo, &c.

152 *Ita*) ut Bm.

158 *Et unde*) ut unde A. marg. V. 3.

160 *Fierent*) fiant H. 1.

162 *E terra*) & terra D.

165 *Teneret*) tenerent C. G. P. V. 3.

168 *Corpora*) semina *Gassendus*.

170 *Quidque creatur*) quæque creantur A. B. C. D. E.  
I. P. Bm.

174 *Certis*) cunētis *Creech*.

175 *Præterea*) propter ea G.

176 *Vites*) uvas D.

*Sudante*) suadente C. G. L. H. 1. V. 3. *Gassendus*.  
*sua dante Salmasius*.

177 *Quia*) qui G. 1, quæ V. que 2. 3.

178 *Quodcumque creatur*) quodcumque ora cantu G. 3.  
Orcatu 1. creatum V.

180 *Oras*) auras *Faber*.

182 *Alienis*) alicujus *Pius*. ex sinceris tamen exemplaribus inter notas reponit *alienis*.

191 *Crescendoque*) crescentefque C.

192 *Quæque*) quicque G. V. 2. 3.

196 *Possit*) possit A. C. P.

201 *Pontumper*) pontu per K. ex *Salmasio*.

206 *Nilo*) nullo *Pius* ex *Lactantio Romanæ editionis*.

207 *Creatae*) creata P.

208 *Possint*) possent G.

*Proferrier*) proferre per *Pius* ex *Lact.*

*Auras*) oras c.

209 *Quoniam*) quando *Pius* ex prob. exempl.



- 210 *Meliores reddere fœtus*) meliores reddere fœti G. reddier fœtus A. B. reddere fœtus I. D. 1. 3. reddi L. F.
- 216 *Quidque*) quæque A. B. C. D. E. P.
- 220 *Enim*) Ei A. B. C. supple *naturæ*.
- 221 *Et nexus*) at nexus A. marg.
- 222 *At nunc*) -- Quod nunc A. B. H. 1. E. I. P.  
*Constant*) constat A. B.
- 223 *Obiit*) obeat B. C. D. E. P.
- 228 *Generatim*) generatum A. marg.
- 229 *Redducit -- aut redductum*) Reducit -- aut reductum A. B. D. G. V. Deducit -- & deductum H. 1. Educit -- reductum D. E.
- 231 *Ingenui*) ingeniti A. marg. C. P. ingentis H. 2.  
*Pius* tamen ex vett. codd. restituit *Iagenui*.
- 236 *Consistit*) consistat 1.
- 237 *Predita*) redita 3.
- 240 *Nisi materies*) nec materies H. 1.
- 241 *Nexas*) nexus A. B. C. Gass. L. P. nexu E. *Pius in notis*.  
*Endopedite*) endopedita A. B. Gass. L. indopedita C. E. G. 1. 2. 3. P.
- 242 *Tactus enim lethi satis esset caussa profecto*) Quidam legunt: Tactus enim lethi omnibus esset caussa profecto. Tractus enim c. H. 1. P.
- 243 *Ubi*) ibi P.  
*Eorum*) quorum B. C. E. a. V. I. K. P. 3.
- 244 *Queque*) quenquam H. 2.
- 247 *Res corpore*) in corpore Gass.  
*Satis acris*) satis actis c. P. *quidam codd. leg. acris*, not. P.
- 248 *Pro textura*) prætextura c. P.  
*Reperta*) retexta P.
- 251 *Pereunt*) haud pereunt *Pius in not.*
- 256 *Pueris*) puerum Bm. H. 1.
- 258 *Fessæ*) seræ. *Quidam fœtæ*.

- 258 *Pingues*) pecudes per pingua C. E. P.  
 262 *Percussa*) perculsa C. G. V. 1. 2. 3. E. L. P.  
 265 *Nisi morte*) nec morte H. 1.  
     *Adjutam*) adjuta A. B. C. D. E. Bm. P. adulta G.  
 266 *Age res*) agefis A. C. D. E. I. i. e. age si vis P.  
     *Quoniam*) quum jam H. 1. 2.  
     *Non posse*) nil posse A. C. D. E. I. P.  
 267 *Genitas ad nil*) genitum ad nihilum I. genita ad  
     nihilum A. B. C. D. E. P. genitas ad nil G. H. 1. 2.  
 270 *Præterea*) propterea *Faber*.  
 272 *Incita*) infita *Aliqui*.  
     *Pontum*) portus A. B. Bm. porcas *Salmasius*,  
     cortus G. 1. 3. pontum M.  
 275 *Sternit*) sævit c. H. 1. M. Codd. *Pii* MSS.  
 277 *Murmure pontus*) murmure cõrtus *Faber*. V.  
 280 *Vertunt*) verrunt *Gassendus*.  
 281 *Propagant*) ministrant H. 2.  
 282 *Ac cum*) quam quom L. quam cum A. B. C. D.  
     E. I. ut cum c. P. e cum G.  
 283 *Quod*) quem G. 2. quum H. 1.  
 287 *Turbidus*) turgidus V. 1. turbio G. 2. 3.  
 288 *Incurrens*) incurrit A. C. E. G. P.  
 290 *Ruit qua*) ruunt quæ *Faber*.  
     *Qua quidquid*) quam quidquam A. C. qua quic-  
     quam E. P.  
 292 *Flumen cum*) cum flumen E. G. H.  
 294 *Vertice torto*) vertice toto G. 2. 3.  
 295 *Rapidoque*) rapidique A. B. C. E. H. 1. I. P. 1. 2.  
     *rotantia*) rotanti A. B. C. E. L. P. H. 1. 2. rotan-  
     tes c. Bm. *Pius* ex codd. fidelioribus restit. *rapi-*  
     *doque rotantes*.  
 297 *Ac moribus*) ac motibus A. marg. a. C. D. & mo-  
     tibus P.  
 299 *Tum*) quum H. 1. quin H. 2. A. marg. P.  
 301 *Calidos*) validos H. 1. Bm.

- 306 *Fluctifrago*) fluctivago *Nonius*.
- 307 *Eadem dispensæ*) eadem dispensæ *D. Nonius*. dispensæ *Gellius*. candenti c. A. marg. eadē candenti *P. Serefcunt*) rigescunt 1.
- 308 *At neque*) ac neque *H. 1.*
- 309 *Æstu*) æstus *E. P.*
- 312 *Multis*) multum *M. H. 1. P.* multis olim *Faber*.  
V. 1. 2.
- 314 *Stillicidi casus*) Stillicidi & casus *H. 2.*
- 318 *Manus dextras*) manus extras *A. marg. c. &* quidam codd. *Pii*.
- 319 *Versum hunc non agnoscit* *Bm.*
- 320 *Sint*) sunt *A.*
- 322 *Præclusit*) præcludit *A. marg. præcluset* *G.*
- 327 *Deest vesco* *G.*
- 328 *Quid quoque*) quid quæque *A. marg. C. P.*  
*Possis*) posset *A. marg. P.*
- 329 *Cæcis*) cæsis *G.*
- 332 *Cognosse in*) commune in *Bm.*
- 334 *De summa*) in summa *Bm.*
- 337 *Corporis*) corporum *A. B. C.*  
*Exstat*) estat *G. Gassendus*. est ut *V. 1. 2.*
- 344 *Privata carerent*) privata jacerent *Turnebus*.
- 346 *Quiesset*) fuisset *Gassendus*.
- 348 *Esse licet*) esse liquet *C. E.* celiceret *G.* forte *elicier* *V.*
- 349 *In faxis*) En faxis *H. 2.*
- 350 *Flent*) fuunt *Bm.*
- 353 *Totas usque ab*) totos *C. E.* tota usque vel ab *A.*  
totas usque ab *K.* *Pius* ex vett. exempl.
- 357 *Qua possent*) quæ possent *D.*
- 358 *Fieri*) qua irent *V.*  
*Videres*) videres vel valerent *G.* valerent 2. 3.
- 362 *Pendere*) pondere *G.*
- 363 *Corporis*) corporum *P.*

- 363 *Est*) hoc verbum desideratur in D.  
 364 Postponitur 365. E.  
 367 *At contra*) aut contra G.  
*Corporis esse*) corporum inesse P. c. A. E. corporis  
 esse quidam codd. *Pii*.  
 368 *Dedicat*) indicat C. deliquat D. L.  
*Vacui minus*) vacuum G. H. 1. P. nimis intus *Creech*.  
 369 Deest *id* E.  
 372 *Fingunt*) figunt G.  
*Præcurrere*) percurrere H. 2. 2.  
 377 *Sint*) sunt H. 1.  
 381 *Quo poterunt*) qui poterunt A. marg.  
*Cum pisces*) quo pisces H. 1. P.  
 383 *Admixtum dicendum est rebus*) admixtum dicendum  
 est in rebus D. dicendum rebus C. dicendū est G. 2.  
 384 *Initum*) initium A. B. H. 1. 2. *Creech*. P. *in notis*  
*tamen* P. legit *initum*.  
*Res quæque*) re quaque.  
 385 *Concurfu*) Concurso A. P. V.  
*Corpora lata*) tempora læta H. 1.  
 386 *Si cita*) Si cito D. *Gassendus*.  
 387 *Fuat*) fiat A. B. C. D. E. I. P. V. fiat A. marg.  
 G. 3. *flabit* quidam codd. *Pii*.  
 388 *Celerantibus auris*) densantibus auris c. P.  
 390 *Compleri*) complere A. B. D.  
*Quemque*) quisque G. V. 1. 2. 3.  
 396 *Denferier*) densarier C. D. P. condensier G.  
 398 Deest *se* C. E. P.  
 400 *In* deest P.  
 401 *Possum commemorando*) possunt commemorāda H. 2.  
 402 *Quidem dictis*) fidem dictis c.  
*Conradere*) contradere A. C. E. I. P.  
 403 *Parva sagaci*) prima sagaci Bm.  
 404 *Tute*) quidam legunt *rupte* pro *tuopte*. *Pias* tu te E.  
 407 *Institierunt*) institerint C. D. E.

- 407 *Certa viai*) prima viai Bm.
- 411 *Quod si*) Quod nisi A. B. D. I. P.  
*Paallumve abscefferis ab re*) palumve re abscefferis  
 ab re G. -- recesseris - A. B. D. E. I. P.
- 412 *Promittere*) permittere G.
- 413 *De fontibus magnis*) de fontibus amnes G. 2. 3. e  
 fontibus H. 1. P. amnis 1.
- 419 *Jam repetam*) ut repetam G. H. V. 1. 2. 3.
- 421 *Consistit rebus*) constitit in rebus A. marg. C. E. G. P.
- 423 *Nam corpora*) quæ corpora *Gass.*  
*Communis*) communes P.  
*Deliquat*) dedicat A. B. C. E. V. I. P.
- 424 *Quo nisi*) cui nisi C. E. G. 2. 3. P. quoi V. 1.
- 426 *Animi*) animos C. E. Bm. P.
- 428 *Haud usquam*) haud quaquam A. marg. P.  
*Sita*) cita *Pius in not.*
- 429 *Quaquam*) quoquam C. E. G. M. V. A. marg. *not. Pii.*
- 431 *Possis dicere*) poscit G. dicier (vel dici) possit K.
- 433 Delet F.  
*Quod quasi*) quo quasi H. 1. Bm. Quæ quasi tertia  
 sit *Creech.*  
*Rerum natura*) numero natura A. B. D. I. V. L. 1. 2. 3.
- 434 *Esse aliquid*) esse aliud C. P. esse quid H. 1.
- 435 *Augmine*) agmine C.
- 437 *Corporum*) corporis G. corporeum M. H. 2. *not.*  
*Pii. Alii Corporum* adaugebit.
- 443 *Possint*) possunt G.
- 448 *Cadat*) cadet P.
- 452 *Numquam*) nusquam V. 3.
- 454 *Saxis*) saxi C. E. P.  
*Ignibus*) ignis C. F. G. V. P. 3.  
*Aquai*) aquarum H. 1. P.
- 462 *Porro deinde*) pars deinde D.
- 466 *Cum dicunt*) ut dicunt E. P.
- 467 *Ne forte*) ne contra A. marg. C. E.

- 467 *Esse fateri*) forte fateri A. marg. C. E. contra fa-  
teri H. 1. cuncta fateri P.
- 468 *Quando ea*) quando & A. B. D.
- 470 *Aliud rebus*) aliud terris A. marg. C. E. 1. 2. 3. P.
- 473 *Geruntur*) genuntur L.
- 474 *Forme*) forma G.
- 477 *Trojai*) Trojanis A. B. C. D. E. 1. 2. I. P.
- 481 *Constat*) constet H. 1.
- 483 *Gerantur*) regantur C.
- 485 *Delet* H. 1.  
*Quæ*) qua 1. 2.
- 487 *Vincunt*) evincunt C. P.  
*Corpore demum*) corpore damnum c.
- 488 *Et si*) etsi B. C. D. L. P.  
*Credere quidquam*) forsitan quicquam E. forsita  
quicquam H. 1. fors ita -- P.
- 491 *Clamor ut, ac voces*) Clamor ut it vocis C. E. H. 1.  
ad vocis H. 2. - it ac voces *Pius in notis.*
- 492 *Fero*) fere c. P.  
*Ferventia*) ferventi A. B. I. *Cass.* L. ferventum H. 1.
- 493 *Collabefactatus*) Quin labefactatus A. C. E. Tum  
labefactatus M. P.
- 494 *Æris flamma*) acri flamma C. E. M. P.
- 499 *Vera tamen*) rara tamen c. P.
- 500 *Cogit, ades*) Cognita de paucis c. H. 1. P. Cogni-  
ta ades paucis H. 2. ex vett. *exx. Pius rest.*
- 501 *Esse ea*) esse & P.
- 512 *Inane est*) inane P.
- 518 *Rerum cohibere*) tectum cohibere C. E. H. 2. P.
- 521 *Si nil esset*) siquidem nihil est H. 1. Bm.
- 522 *Cæca*) certa A. B. D. L. H. 1. V.
- 523 *Quæcumque*) quacunque H. 1. *not. Pii.*
- 527 *Cæca*) certa A. B. D. L. H. 1. V. tota *Pius in not.*  
solida nempe, & plena, nullos meatus habentia.
- 528 *Pleno*) pœna G. H. 1. V. Quæ spatium pœna pos-  
sint

- sint distinguere inanis V. penitus 3. pœnitus 1.  
*Inane*) Inani V. 3.
- 531 *Queunt*) queant H. 1.  
*tentata*) in quibusdam codd. *Pii* scribitur *terebrata*.
- 534 *Findi*) fundi G. V. 3. scindi P.
- 537 *Et quam*) & quo A. B. C. D. E. I. P.
- 538 *Tam magis his rebus*) tam magis iestibus hæc F.  
*Tentata*) codd. *Pii* quidam habent *temerata*.
- 543 *Nihiloque renata*) nihiloque reducta *Gass.* nihilo  
 quæsitâ C. E. Bm. nihilo quoque nata A. B. D. I.  
 & prisc. exempl. *Pii*. nihilo quæ tanta M.
- 552 Hiatus ad vers. 565. C. M.
- 553 *Materiai*) materiesque c. P. materieque H. 1.
- 554 *Redacta*) reducta H. 1. P. redacta *Pius in not.*
- 556 *Pervadere florem*) pervadere finem A. B. c. 2. I. *Gass.*  
 L. P. finis 1. 3. H. 1. fine G. codd. fideliores *Pii*  
 retinent *florem*. quam lect. ipse probat.
- 558 *Diei*) dies, & F. V.
- 559 *Infinite*) infinita F. V. 3.  
*Omnis*) omne C. E. P.
- 561 *Id numquam reliquo*) nunquam reliquo A. B. D.  
 nunquam id reliquo L. relicuo G. V. 1.
- 566 *Huc*) hûc A. B.
- 568 *Constant*) constant C. E.
- 569 *Fiant*) fiunt H. 2. P.  
*Cumque genantur*) quæque gerantur C. G. 1. 2. 3. P.  
 quæque geruntur E. H. 2. *Pius in not.* legit *fiant?*  
*geruntur?* interrogative.
- 570 *Simul*) semel c. G. V. 1. 2. 3. P. *in not.* tamen P.  
 reponit *simul*.
- 573 *Omnis*) omni *Gass.* *Creech.*
- 576 *Condensio*) condense c.
- 577 Post hunc versum collocatur versus 629. cum sex  
 sequentibus G. P.
- 579 *Crescendi*) crescendis H. 1.

- 579 *Tuendi*) vitamque tenendi c. H. 1. A. marg. P. G. elegantius *tuendi*, *Pii not.*
- 582 *Quin omnia*) quando omnia C. A. B. D. E. Bm. I. quin omnia c. G.
- 584 *Corpori*) corpore C. E. P. corpori etiam esse K. *Ostendant*) ostendunt P.
- 587 *Revinctā*) revincta C. E. revincta c. H.
- 590 *Atque*) utque A. B. Cr. *Hærens*) hæreat A. B. Cr.
- 592 *Victum*) vultum *Creech.*
- 593 *Quoniam extremum cujusque*) quoniam est extremum quodque C. E. G. P. Bm. V. 3.
- 594 *Corporis est aliquod, quod*) corporis illius quod nostri C. E. G. V. P. 3.
- 597 *Secretum*) concretum c. P.
- 598 *Quoniam est ipsum pars, primaque, & ima*) quoniam ipsum primæ quoque & imæ C. quoniam ipsum sunt primaque & ima c. G. H. 1. ipsum: primæ quoque & imæ E. Bm. quoniam sunt ipsum primaque & ima P. & una 2.
- 600 *Agmine*) Augmine C. P.
- 602 *Ut nequeant ulla*) unde queant nulla A. B. C. E. K. P. unde queant ulla 1. 2. I. L.
- 605 *Ullorum*) illorum G.
- 607 *Neque deminui*) nec diminui H. 1. P. diminui quid A. marg. C. E. deminuitam G.
- 612 *Perfiniet*) præfiniet 2. 3. P.
- 613 *Minimamque*) P. *in not.*  
*Quid escit?*) quid esset? D. E. M. 1. 2. quid esset C. P. quod escit K. quod esset P. *in not.*
- 614 *Non erit*) Nil erit B. C. E. Bm. P. Nihil erit G.  
*Ut distent*) ut distet C. E. G. P. ut discet Bm.
- 617 *Quoi quoniam*) Quod quoniam C. E. G. 1. 2. 3. P.
- 618 *Animum*) animi C. E. H. 2.
- 620 *Constent*) constat G. constant H. 1.



- 622 *Denique ni*) Denique si B. C. a. 1. 2. 3. K. E. P.  
 625 *Quæ multis*) quæ ullis B. a. I. K. quæ nullis C. E.  
 G. 1. 2. P.  
 628 *Per quæ*) per quas c. H. 1. P.  
 629 Deest cum sex sequentibus Bm.  
 630 *Tamen*) tunc, prisc. exempl. *Pii*.  
*Tempore quædam*) corpore quædam D. tempore  
 quæque C. E. G. P.  
 632 *Clueant*) pereant H. 2.  
 635 Inferuntur versus omissi ad versum 552. C. M.  
 640 *Clarus ob obscuram linguam*) clarius obscurans lin-  
 guam c. P. deest *ob* G.  
 641 *Quam de graves inter Grajos*) quam gravior Grajos  
 inter C. *Pius in not.* quam de Grajis inter Grajos  
 E. quam de Grajis qui inter Grajos P. quam gravis  
 est inter 1. quam de gravis Grajos inter H. 2.  
 643 *Inversis*) immerfis *Gassen*.  
 647 *Ex vero si*) exurosi G. ex uno si L.  
*Puroque creatæ*) vereque creatæ G.  
 648 Deest enim A. B.  
*Denserier*) densarier C. H. 2.  
 650 *Super ignis*) suus ignis C. D. E. M. H. 2. prisc. ex-  
 empl. *Pii*. sunt qui legunt *separ ignis*. *Pius in not.*  
 651 *Conductis*) conjunctis c. P.  
*Esset*) esse, legendum velit *Pius*.  
 652 *Disque supatis*) seque paratis c. P. que superatis G.  
 atque supatis H. 2. disque sipatis codd. MSS. *Pii*  
 C. E.  
 656 *Atque hi si*) id quoque si E. C. G. P. 1. 2. 3.  
*Admistum inane*) admisto inani E. H. 2.  
 658 *Mussant*) musant H. 2. mussant G. musæ V. 3.  
 amusæ V. multi C. E. inesse c. P. esse A. B. I. mu. 1. 2.  
 659 *Fugitant*) fugiunt C. E. fugiant P.  
*Purum, &*) purum A. B. C. D. E. P.  
 661 *Exemto rebus inani*) inane G. exemptum rerum  
 ina-

- inane P. exempto rerum inane *not.* P.  
 662 *Denferi*) denfari C.  
 663 *Raptim*) raptum K. H. 1. natum C. D. E. H. 2.  
 raptis G. Vett. libb. V. 3.  
 666 *Ulla credunt*) minus credunt 1. mia 2. 3.  
*Ratione*) rationi A.  
 667 *Cætu*) cætus C. G.  
*Stringui*) stringi P.  
*Mutareque*) massareque C. E. P. musareque G.  
 mussareque V. 3.  
 668 *Ex ulla*) Ex nulla 1. 2. 3. ex una c. P. ex ulla P.  
*in not.*  
*Reparcent*) reporcent A. codd. *Pii.* receptent C. D.  
 E. M. H. 2. codd. *Pii.* pararent c. P. parcere por-  
 cent codd. *Pii.*  
 669 *Funditus*) funditur G.  
 670 *Deest ex* G.  
*Fient*) fiunt E.  
 673 *Olli*) ollis A. B. C. D. E. L. P.  
 675 *Virescât*) vivefcât G.  
 678 *Ordine mutant*) ordine, sese E.  
 679 *Corpora sese*) corpora rerum E. H. 1.  
 681 *Decedere*) descedere A. discedere M. C. H. 2. de-  
 scendere H. 1. P. 3.  
*Abire*) adire C. E. H. 2.  
 682 *Alia*) alio C. E. 1. 2. P.  
*Quedam*) quodam H. 2.  
 683 *Si tamen*) si tandem *Quidam.* tantum *Alii.*  
 684 *Omnimodis*) omnimodus C. D. P. omni' modis L.  
 unimodus c. *Pius in not.*  
*Crearent*) crearet A. B. C. D. E. P.  
 688 *Simulata*) similata D. E. H. 2. P.  
 692 *Rem veram*) naturam *Faber.*  
*Ignem*) ignis *Pius in not.*  
 693 *Hic idem*) hoc idem C. P.

- 696 *Quem*) qui C. E. P.  
 700 *Quo*) quid C. E. H. 2.  
*Quid*) quod C. E. H. 2. P.  
 701 *Quo*) quæ A. B. 1. 2. P.  
 703 *Solam*) solem C.  
 704 *Summam* deest G. 3. ignem 1.  
 709 *Putarunt*) putantur G.  
 710 *Ipsum per se*) ipsas per se c. *Gass.* P.  
 716 *Terra atque anima*) terra, vento procreſcere Bm.  
 717 *Acragantinus*) Agrigētinus A. B. D. Agragantinus G.  
 719 *Amfractibus aquor*) ac fractibus longi G.  
 720 *Ionium glaucis*) Ionio & Libycis H. 2. *prisc. codd.*  
*Pii.*  
*Aspergit virus*) adſpergit littus A. B. C. D. E. Bm.  
 I. P. *aspargit virus* G. V. 3.  
 723 *Italie*) Hæliæ G.  
*Terrai*) terrarum a. B. C. E. G. I. P. 3.  
 724 *Deest se* G. D.  
 725 *Deest ut* B.  
*Eruptos*) eructos *codd. antiqui pro eructatos Pius.*  
*Ut vis evomat*) vis ut omniat ignis G. Vis ut omneat Bm. 3. Vis ut vomat L. V.  
 726 *Ferat*) ferant A. B. P.  
*Rursum*) surſum F. V.  
 727 *Videtur*) videntur C. P. *in notis.* videtur P.  
 729 Post hunc verſum ſequuntur 732. 733. poſtea 730.  
 731. deinde hiatus uſque ad 786. G.  
 731 *Carumque*) clarumque F.  
 740 *Tripode ex Phæbi*) tripode a Phæbi P. *in not.*  
 743 *Quod*) quo B. I.  
 746 *Corpus*) corpore Cr.  
 747 *Deinde quod omnino*) denique & omnino H. 1.  
 748 *Faciunt*) facient H. 1.  
 752 *Quod*) quæ A. C. E. I.  
 753 *Minimum conſistere*) minimum in conſistere. *Gass.*  
 L. Deest

- L. Deest *minimum* D.
- 754 *Quod jam*) quoniam A. B. C. E. I. P.
- 755 *Mollia*) talia constituunt Bm.
- 756 *Atqui*) at qui C. H. 2. ut qui c. H. 1. Bm. P. *in notis* tamen P. reponit *atqui*.
- 758 *Virescere*) vigescere A. B. C. E. V. *virescere* c.)
- 759 *Habebas*) habebis P. E.
- 762 *Coorta*) coacta a. B. C. D. E. Bm. Cr. P.
- 763 *Fulmina*) flumina H. 2.
- 767 *Retroque*) retræque, quidam codd. *Pii*.
- 769 *Omnia*) omnes P.
- 772 *Ut mutet*) & mutet 3.
- 774 *Non animans*) non animas H. 1. 3. non animans c. P.  
*Non ex animo*) non ex animo E. P.  
*Quid corpore*) cum corpore A. B. C. D. E. P. *quoque corpore* Gass.
- 775 *Quidque*) quisque V. 1. quodque P. *in not.*  
*Cætu*) cætum C. P. *in not.* P. reponit *cætu*.
- 776 *Ostendet*) ostendit H. 1.  
*Videbitur aër*) vocabitur aër Gass.
- 777 *Simul atque ardor cum rore manere*) simul & quodam cum C. E. P. atque ignem cum rore *Pius in notis*.
- 780 *Emineat*) demineat H. 1. De numero ne quid C. P.
- 782 *Ignibus ejus*) ignibus ipsis Gass.
- 784 *Imbrem gigni*) ignem gigni H. 1. 3.
- 785 *Ex imbri*) ex igni H. 1. 3.  
*A terra*) in terram H. 1. 3.
- 787 *Mutare*) mutando C. E. Bm. *prisci* codd. *Pii*.
- 788 *De cælo*) a cælo G. H. 1.  
*Sidera mundi*) sidera cæli *quidam* codd.
- 789 *Facto*) factum G. H. 1. 1. 3.
- 796 *Umquam*) usquam C. E. G. 3. P.
- 802 *Rebus mutarier*) rebus res vertier F.

- 806 *Tabe*) tabi D. E. tabes C. P.  
*Vacillant*) vacillent B. D. E. 3. focillant c. M. P.  
 totum hunc versum *Pius* ex *Prisciani* lib. 7. restituit: *Et tabe membrorum arbusta vacillent.*
- 808 *Non possunt*) ne possint A. B. c. P. non possint G. L. uti possint C. D. E.
- 810 *Adjuvat*) adjuvet C. E. P.  
*Jam corpore*) jam tempore Bm. P. jam robore, quidam codd. *Pii*.
- 814 *Multa modis*) multimodis a. B. C. D. E. P.
- 815 *Mista*) multa G. 3.
- 818 *Contineantur*) continuentur 1.
- 834 *Principium*) principio C. E. G. P. 3.
- 836 *Sic & de*) hic & de G. 3. & sic de E. & sic de M.
- 841 *Ignibus ex ignem, humorem ex humoribus esse*) ignibus exiguis humorem humoribus esse C. ignem ex ignibus humorem ex c. P. Ignibus ex ignis humorem humoribus esse G. V. 3. Sic ignem inter se parvis coeuntibus nasci - Ignibus, exiguis humorem humoribus esse E.
- 852 *Effugiat*) efficiat G.  
*Sub dentibus*) sub cœtibus E. P. sub moribus *Muretus*. sub dentibus, *prisci* codd. *Pii*.
- 853 *Sanguen? an ossa?*) sanguisne, anne os? A. sanguis, anne os? B. sanguis an? an ne os? C. E. sanguinis an ne os? H. 2. P. *in not.* sanguis an ossa? D. 1. 2. 3. sanguis an? os an? *Creech*. sanguinis ad nos P. sanguis ὁμοίως codex *Pii*. ὁμοίως legi velit *Pius*.
- 856 *Victa*) cuncta Bm.
- 857 *Recidere ad*) neque cedere jam ad C. E. H. 2. neque recidere jā ad c. H. 1. reccidere L. decidere *Quidam*.
- 860 *Scire licet, nobis*) seu velut in nobis C. E. H. 2.
- 861 Deest hic versus C. E. G. V. 1. 2. 3. P.
- 862 *Sive*) sine pro fin *Vossius* ex codd. suis,

- 862 *Commisto*) commistos *Pius in not.*
- 867 *Venisque*) sanieque C. E. M. G. V. 3.  
*Misto*) mista.
- 873 *Inferas*: Ex alienigenis quæ lignis exoriuntur,  
Præterea tellus quæ corpora cumque alit, auget.  
C. L. P. Præterea tellus quæ corpora cumque alit,  
auget Ex alienigenis quæ lignis *exoriuntur* V. o.  
riuntur G. 1.
- 880 *Minutas*) minacis C. E. Bm. minace G. minaci V. 3.
- 882 *Aut aliùm*) aut aliquid A. C. B. E. P. V.  
*Nostro quæ corpore*) nostra quo corpora A. B. I. no-  
stro quo corpore G. nostro in quæ corpore E.
- 883 *Cum lapidi lapidem*) Cum lapidem in lapidem Bm.  
P. codd. tamen *Pii* lapidi lapidem.
- 886 *Lanigeræ*) lanigero, corrigi *Pius in not.*  
*Quali sunt*) quales sunt C. E. P.  
*Ubera*) ubere C. E. G. P.
- 889 *Atque in terris*) & in terram P. in terra vi V.
- 890 *Fumumque*) summumque P. Desunt 890. 891. G.
- 894 *Immista*) immissa E. 894. 895. delendos censet  
*Creech.*
- 895 *In rebus*) in multis *Gass.*
- 899 *Donec fulserunt flammæ fulgore coorto*) fulserint  
codd. antiq. *Pii*. Donec fluxerunt c. P. Donec  
flammai fulserunt igne coorto D. flammai fulse-  
runt flore coorto A. B. *Gass.* - fulserunt flammai  
flore coorto L. *Creech.*
- 902 *Quæ cum confluxere*) quæ tum cum fluxere P.
- 903 *Tanta*) facta c. H. 1. 2. P. G. V. 3.
- 904 *Celarier*) celerarier D.
- 908 *Contineantur*) contingantur? c. G. H. 1. 2. Bm.  
3. P. conjungantur F.
- 917 *Hac*) hæc G.
- 918 *Tremulo*) in cod. reverendæ vetustatis *Pii* scri-  
bitur *remulo*,

- 919 *Salsis*) falsis *Pius in not.*  
 921 *Fallit*) fallunt Bm.  
 931 *Animos*) animum C. E. P. soni gratia restituit  
*Pius in not. animos.*  
 934 *Oras*) horrida P. *in not.*  
 937 *Dulci*) dulcis B. E.  
 941 *Tali factō*) tali tactu L.  
 943 *Retroque*) ideoque P.  
 949 *Constet*) constant E.  
*Comta figura*) cuncta figura C. E. P. ex prisc. exempl.  
 952 *Summaī ecquænam*) summaī quænam B. D. I. V.  
 summa audi quænam C. E. Bm. P. V. summa quæ-  
 dam 3.  
 953 *Necne sit*) nec sit A. B. nec sic C. P. hæc sic C. E.  
 ita *Pius* corrigit *in not.* nec si volvas Bm.  
 954 *Genantur*) gerantur G. 1. 2. 3. geratur P. gerun-  
 tur D. I.  
 955 *Pervideamus*) pervidea Bm.  
 956 *Pateat vel ad usque*) patefiat ad usque C. E. P. pa-  
 teat vasteque B. D. I. *Gass. L. Creech. V. 3.*  
 958 *Namque*) nam qua V. 2. nam quam *Alii. 3.*  
*Debebat*) debebit F. deberet I.  
*Habere*) habere? V.  
 960 *Ultra sit*) extra fit D.  
*Ut*) & F. aut Bm.  
 961 *Quo*) quod C. V. 1. P.  
 962 *Summam*) summum c. P.  
 964 *Assistas*) absistas D.  
 965 *Possidit*) possedit C. 1. 3. P.  
 968 *Procurrat*) percurrat P.  
 969 *Jaciatque*) jaceatque A.  
 970 *Id validis*) invalidis A. B. C. E. *Gass. P.*  
 971 *Deest hic versus* Bm.  
*Quo*) quod C. E.  
 973 *Sumasque*) summasque P.

- 975 *Exemta*) exempto P.
- 976 *Quod prohibeat, officiatque*) quod probeat G. 3. efficiatque G. H. 1. 2. P. 2. 3. faciatque C. E. afficiatque *Quidam*.
- 978 *Non est ea finis profecto*) non est a fine profectum C. E. G. Bm. V. non est in fine P. a fine 3.
- 980 *Telo*) cœlo Bm.
- 981 *Fiet*) fiat G. V.
- 984 *Si inclusum certis confisteret*) conclusum certis confisteret *Gassend.*
- 986 *Confluxet*) confluit G. 1. 2.
- 987 *Geni*) geri A. B. D. E. I. 2. L. P.
- 989 *Ubi*) ibi P.
- 992 *Imum*) unum c. P.
- 993 *Possint*) possunt G. possent H. 2.
- 994 *Semper* ☉) semper in G. P. V.  
*Genuntur*) geruntur A. B. D. E. L. P. V. 3.
- 995 *Æternaque*) infernaque Bm. 3.
- 999 *Et contra*) e contra C. E.
- 1002 *Flumina*) fulmina G. E.
- 1003 *Possint*) possunt A. P. *possent* corrigit *Pius*.
- 1004 *Ire, remeando*) in remeando A. marg. c. in remanendo P. irremeando, fidelia exemplaria *Pii*.
- 1100 *Ut sic alternis*) utque sit alterius Bm.
- 1011 Adulterinum putat a.
 Neptuni corpus acerbum . 2. 471. maris aqua salsa .  
 Nequa . 1. 268. subaudi ratione .  
 Nexare . 2. 98. neſtere .  
 Nexilis vestis . 5. 1349. ne-

*nectendo facta*. aggrup-  
 pata.  
 Nictantia fulgura. 6. 181.  
*micantia*.  
 Nictari pro niti. 6. 836  
 Nigrare. 2. 732. atro co-  
 lore esse.  
 Nigror. 3. 39. nigredo.  
 Nilum pro nihilum, per  
 contractionem. 1. 206. &  
*alibi passim*.  
 Ningues pro nives. 6. 736  
 Nisus. 4. 904. conatus.  
 Nisus pedum. 5. 912. gres-  
 sus pedum, quibus tota  
 corporis moles innititur.  
 Nixare pro conniti. 3. 1013  
 Nixari pro niti. 4. 509  
 Noctivagus. 4. 586. qui  
 vagatur noctu.  
 Nodum anni appellat æ-  
 quinoctiale punctum Lu-  
 cretius. 5. 687  
 Nominitare. 3. 353. & 4.  
 48. nominare, appellare.  
 Non sensus pro eo quod sen-  
 sus non habet. 2. 930  
 Nonne videre. 2. 16. sub-  
 audi est, vel licet.  
 Nothum Lunæ lumen. 5.  
 575. non proprium, sed a  
 Sole acceptum.  
 Notities pro notitia. 5. 183  
 Nulla una pro nulla omni-  
 no. 2. 1077. & alibi.

Nullius *secunda correpta per*  
*systolen*. 1. 225. & 925.  
*sic illius, totius, ullius,*  
*V. Systole*.  
 Numen pro nutu. 3. 145.  
 --- pro motu. 4. 180  
 Numerum pro numerorum.  
 5. 1408

## O

O pro I *usurpabant vete-*  
*res. sic olli pro illi*.  
 1. 673  
 O pro V *Archaismi genus.*  
*vulnere pro vulnere*. 1. 35.  
 & alia multa.  
 Obbrutescere. 3. 544. stu-  
 pidum, & inertem fieri.  
 Obsidit ab obsido, *secunda*  
*longa*. 4. 352  
 Obstipus. 4. 519. in al-  
 teram partem flexus.  
 Obturare amorem edendi.  
 4. 867. saturare.  
 Obturgescere. 6. 658. cir-  
 cum turgescere.  
 Occiderunt *tertia per systo-*  
*len correpta*. 3. 1041  
 Occipere. 5. 887. incipere.  
 Odos pro odor. 4. 88  
 OE pro V *genus Archai-*  
*smi. mœnera pro mune-*  
*ra*. 1. 30. & alibi. *sic*  
*pœnire pro panire*; &  
 C c 4 mœ-

- mœrorum pro murorum  
*apud Virgil. Æneid. 10.*  
 24.
- Offectus pro obstructus, so-  
 pitus. 4. 767
- Offensare. 6. 1051. *impin-*  
*gere.*
- Offensus, us. 2. 223. &  
*alibi. occurfatio. --- pro*  
*offensione, ac tædio. 3.*  
 954
- Olescere pro augeri, adole-  
 scere. 2. 1130
- Olivum pro oleum. 2. 392
- Olli pro illi. 1. 673. & *alibi.*
- Omne, Lucretio est spatium  
*illud infinitum, extra*  
*hunc orbem, in quo mun-*  
*dos innumerabiles ex ato-*  
*mis fortuito concurrenti-*  
*bus quotidie nasci, ac*  
*quotidie interire, ipse ac*  
*ceteri Epicurei ridicule*  
*contendunt. Græcis τὸ*  
*πᾶν. 1. 75. & sæpius.*  
*Hoc alibi poëta rerum*  
*summam, & summam*  
*summarum appellat.*
- Omne genus simulacra. 4.  
 739. *omnis generis. Ita*  
*Catullus: Aucupia om-*  
*ne genus.*
- Omnigenus. 2. 758. &  
*alibi. omnis generis.*
- Omnimodis. 1. 684. & 2.
488. *modis omnibus, &*  
*mnino.*
- Omniparens terra. 5. 260.  
*unde oriuntur omnia.*
- Omniparentes terræ. 2. 705
- Omnituentes sensus. 2.  
 942. *qui omnia tuentur,*  
*& percipiunt, juxta Lu-*  
*cretium.*
- Omnium dissyllabum per  
*synæresin. 2. 910. & 5.*  
 1022
- Opella. 1. 1107. *parva o-*  
*pera, parvus labor. Sic*  
*opella forensis apud Ho-*  
*ratium in Epistolis.*
- Opinatus, us. 4. 467.  
*opinatio.*
- Oppilare. 6. 725. *obstruere.*
- Opplere. 2. 145. *replere.*
- Opposta. 4. 151. *opposita.*
- Oppressus, us, 1. 851. *op-*  
*pressio.*
- Orbi pro orbe. 5. 75. & 1345
- Orbus pedum. 5. 838. *pe-*  
*dibus carens.*
- Ordia. 4. 32. *primordia,*  
*rerum principia.*
- Organici. 2. 412. *qui or-*  
*gana pulsant, vel citharas.*
- Organicus saltus Helico-  
 nis. 3. 133. *citharis reso-*  
*nans.*
- Offifraga. 5. 1078. *avis*  
*quæ ossa frangit.*



## P

- P**ædor. 6. 1267. *squalor, immundities.*  
 Palantes. 2. 10. *errabundi, vagi, dispersi.*  
 Παλλάδιον. 4. 1154. *parva Pallas.*  
 Palpebræ, *secunda longa.* 4. 950  
 Panaces. 4. 123. *panacea, genus herbæ odoratæ.*  
 Panchæi odores. 2. 417. *Arabici; Panchaia enim Arabiæ Felicis pars.*  
 Pandæ naves. 5. 1441. *curve, cave.*  
 Pandionis populus. 6. 1141. *Athenarum, ubi Pandion rex imperavit.*  
 Pangere. 1. 26. *scribere; quod stilum in cera pangere, seu figere scribentes solerent.* Gifanius.  
 Pappi. 3. 387. *flores carduorum levissimi.*  
 Paragoge *figura est additio syllabæ in fine vocis, ut proferrier.* 1. 208. & *passim non tantum apud Lucretium, sed etiam apud alios veteres poetas.*  
 Parti pro parte. 5. 512. & 6. 557  
 Participari. 3. 692. *participem fieri.*  
 Particulatim. 3. 541. *per singulas particulas.*  
 Partire. 5. 683. *partiri, dividere.*  
 Parum multa pro pauca. 6. 779. & *alibi.*  
 Pascua rura. 5. 1247. *pastionibus apta.*  
 Partum turpe. 2. 680. *malus & illicitus questus.*  
 Pavire pro tundere. 2. 376  
 Pausa pro finis. 1. 748  
 Pauxilli. 1. 835. *diminutivum a pauci.*  
 Pauxillus a paullus, *quod veteribus est parvus.* 3. 230. Gifanius.  
 Pecubus. 6. 1130. *pecoribus.*  
 Pelage quarto casu numeri multitudinis. 5. 36. *τὸ πέλαιν.*  
 Pellacia. 2. 559. & *alibi. fallacia, a pelliciendo, siue in fraudem trahendo.*  
 Pellacia ponti. 5. 1002. *maris tranquillitas.*  
 Pellicere. 5. 1003. *in fraudem trahere.*  
 Penetrabile. 1. 495. *quod penetrare potest.*  
 Penetralior. 2. 382. *magis penetrans.*  
 Penetrare pro in mentem veni-

- nire.* 5. 1261  
 Penetrat *secunda producta.*  
 4. 617  
 Penetratum *pro eo quod pe-*  
*netravit.* 4. 674. &  
 1239  
 Pennipotentis *pro avibus.*  
 2. 877. & 5. 787  
 Percallescere. 6. 177  
 Perciere. 3. 185. *permo-*  
*vere.*  
 Percire. 3. 304. *commo-*  
*vere.*  
 Percoquere. 6. 722  
 Percupere. 4. 1145  
 Perdelirium. 1. 693. *ma-*  
*xime insanum.*  
 Perfica natura. 2. 1116.  
*quæ perficit res.*  
 Perfingere. 3. 306. *penitus*  
*figere.*  
 Perfinire. 1. 612. *prorsus*  
*terminare.*  
 Perfluctuare artus. 3. 721.  
*fluctuare per artus.*  
 Perfructus *participium a*  
*perfruo.* 3. 969  
 Perfurere. 1. 276. *vehe-*  
*menter furere.*  
 Perhilum. 6. 575. *perpaul-*  
*lulum.*  
 Peritare *pro perire.* 3.  
 716  
 Permananter. 6. 916. *vi*  
*quadam permanandi.*  
 Permittere *pro emittere.* 4.  
 692  
 Perniciale. 1. 452. *perni-*  
*ciem afferens.*  
 Pernoscere. 3. 182  
 Perolere. 6. 1153. *gra-*  
*viter olere.*  
 Perparvus. 5. 588  
 Perpotare laticem. 1. 939.  
 & *alibi. i. e. totum ebi-*  
*bere.*  
 Perquam *pro valde.* 3. 188  
 Perque forare. 5. 1267. &  
*perforare. V. Tmesis.*  
 Perque plicatis. 2. 394.  
 & *perplicatis. V. Tmesis.*  
 Persentire. 4. 25  
 Persentiscere. 3. 250. *sen-*  
*su affici.*  
 Persidit *a persido; quod est*  
*decumbo; deorsum feror.*  
 6. 1124  
 Per subtilis. 3. 180  
 Pertæsum est *a pertædet.* 3.  
 1074. & 5. 1149  
 Perterget *a pertergeo.* 4.  
 250  
 Perterricrepus. 6. 128.  
*crepitu perterrens.*  
 Pertolerare. 5. 317  
 Pervadere *pro contingere.*  
 1. 556  
 Pervalere. 6. 916  
 Pervigilium. 6. 754. *diu-*  
*turna, & pernox vigilia.*  
 Per-

- Pervigilii , *tetrasyllabum*  
*per synæresin.* 6. 754  
 Pervolgare. 2. 163. & 4.  
 209. *celebrare, complere.*  
 Pessum *pro deorsum.* 6. 588  
 Pestilitas. 6. 1096. *pesti-*  
*lencia.*  
 Petere terram genibus. 1.  
 93. *i. e. molliter genua*  
*flexere.*  
 Petessere *pro petere.* 3. 648.  
 & 5. 808  
 Petitus terræ suavis. 3. 173.  
*lapsus in terram remissus,*  
 & *languidus, qualis est*  
*eorum qui animo deficiunt.*  
 Πίλιμα. 4. 1162. *osculum.*  
 Phrygius numerus. 2. 620.  
*acerrimus erat, atque im-*  
*petu plenus.*  
 Pinniger. 5. 1074. *aliger.*  
 Plaga *pro ictu, atque im-*  
*pulsu.* 1. 627. & *passim.*  
 Plangere *pro verberare.* 6.  
 114  
 Plura *pro amplius.* 6. 244  
 Pluria *pro plura.* 1. 877. &  
 4. 1082  
 Plusculum. 4. 620. *plus*  
*aliquanto.*  
 Pœniceus color. 2. 829.  
*puniceus, Tyrius, Vide*  
*OE. pro V.*  
 Pœnire *pro punire.* 6. 1238  
 Positura. 1. 686. Πέσις,

*situs.*

Possidat *pro possideat.* 1. 387

Possido *pro possideo.* 1. 965

Posta *pro posita.* 1. 1058.

& 6. 763

Postscænium. 4. 1179. *quod*  
*post scenam latet.*

Potesse *pro posse.* 1. 666.

& *alibi.*

Potestur *pro potest.* 3. 1023.

*ἀρχαῖως.*

Potis est. 1. 453. & *alibi.*

*potest.*

Potitur *secunda brevi.* 2.

652

Potitur *primordia.* 2. 652.

*principia in se continet.*

Præcipitanter. 3. 1076

Præditus culpa. 5. 200

Prædulce. 4. 639. *dulcis-*

*simum.*

Prælongus. 3. 614

Præmeditator, *secunda per-*

*sona presentis imperativi*

*numeri singularis, a præ-*

*meditor.* 4. 822

Præmetuere. 3. 1032. *an-*

*te metuere.*

Præmonstrare. 6. 92

Prænuntius. 5. 736. *qui*

*prænuntiat.*

Præpandere lumina men-

*ti.* 1. 145

Præpedire. 3. 365. *impe-*

*dire.*

Præ-

- Præportare. 2. 621. *præferre.*
- Præposta *i. e. præposita.* 6. 997
- Præproperanter. 3. 780. *celerrime.*
- Prælagire *pro ante significare.* 3. 511
- Præspargere. 5. 738. *ante spargere.*
- Præstare *pro exhibere.* 3. 215
- Præstinguere. 3. 1057. *extinguere.*
- Præterferre. 4. 573. *ulterius ferre.*
- Prætermittere *pro sinere.* 4. 1184
- Præterradere. 4. 531. *transfundo deterere.*
- πρῆσις. 6. 423. *præster, igneus turbo.*
- Prima viai. 1. 1068. *vie principium.*
- Prima virorum. 1. 87. *vir principes. Hellenismus est. τὸ πρῶτον ἴψ' ἀνδρῶν.*
- Primigenus. 2. 1106
- Primitus. 5. 1092. *primum.*
- Primoribus ex elementis. 6. 1007. *primis nempe principiis.*
- Princeps. 1. 95. *pro primus, prima.*
- Principiale. 2. 423. *quod pertinet ad principia.*
- Principiale tempus. 5. 247. *quo res cæperunt esse.*
- Principiorum corpora. 1. 991. *ipsa principia, seu prima corpora.*
- Privus. 3. 390. & 723. *singulus.*
- Pro quam particula est *comparativa.* 2. 1137
- Pro re. 6. 1279. *pro facultatibus.*
- Probare *pro ostendere.* 6. 32
- Proceleusmaticus pes *constat e quatuor syllabis brevibus. Hunc veteres poëta aliquando adhibuerunt loco dactyli, aut spondæi, præcipue initio versus. Vide 3. 233*
- Proclivus, *i. e. proclivis.* 6. 728
- Procrefcere. 1. 716. & 2. 546. & 6. 664
- Procludere. 3. 1094. *de novo efficere.*
- Prodiderunt *tertia correpta per systolen.* 3. 86. V. *Systole.*
- Profatus, *παθητικός.* 6. 80
- Proferrier. 1. 208. V. *Paragoge.*
- Prohibeat *trisyllabum per syn-*

- syneresin* . 1. 276. V.  
*Syneresis* .  
 Projectus , us . 3. 1000.  
*projectio* .  
 Proinde *trisyllabum* per  
*syneresin* . 4. 810  
 Prolatare , *i. e.* proferre .  
 1. 982  
 Proluvies . 5. 948. *aqua-*  
*rum ingens fluxus* .  
 Proluvies alvi . 6. 1198.  
*diarrhœa* .  
 Promittere *pro affirmare* . 3.  
 378  
 Promissus , *i. e.* *procul mis-*  
*sus* . 4. 685  
 Properanter . 5. 301  
 Proponere *pro offerre* . 6.  
 1163  
 Proporro . 2. 979. & *alibi* .  
*i. e.* *deinceps* , porro .  
 Propritim . 2. 975. *singil-*  
*latim* , *proprie* .  
 Proque voluta . 6. 1262.  
 & *provoluta* . V. *Tmesis* .  
 Prorsum meare . 1. 1004.  
*i. e.* *cursum continuare* ,  
*numquam sistendo* , *vel re-*  
*grediendo* . *prorsum enim*  
*est ante* .  
 Prostare *pro eminere* . 2.  
 428  
*Prosthesis* figura est *additio*  
*literæ* , *vel syllabæ initio*  
*ditionis* . ut 6. 672. *te-*  
*tulerunt pro tulerunt* .  
 Protelum . 2. 531. *tenor*  
*trahendi jugum* , *impul-*  
*sus non interruptus* .  
 Protollere . 5. 310. *profer-*  
*re* .  
 Protraxe . 5. 1158. *protra-*  
*xisse* .  
 Provolare . 4. 1238. *procul*  
*volare* .  
 Provomere . 6. 446. *pro-*  
*fundere* .  
 Puelli . 4. 1245. *infantes* ,  
*parvi pueri* .  
 Pulli *pro novellæ arbores* .  
 5. 1363  
 Pumilio . 4. 1155. *nanus* .  
 Puncto in tempore . 6. 229.  
*in puncto temporis* .  
 Puncto tempore . 2. 263.  
 & 1006. *momento* , *arti-*  
*culo temporis* .  
 Pupula . 2. 810. & *alibi* .  
*pupilla* , *oculi acies* .  
 Pusi *pro pueri* , *pusiones* . 4.  
 1020  
 Puteales lymphæ . 6. 1172.  
*puteorum aquæ* .  
 Putror . 2. 871. & 6. 1099.  
*putredo* .  
 Pythia . 1. 740. *sacerdos*  
*templi Delphici* .

## Q

- Q**ua porro cumque . 1.  
 509. porro *quacumque*.  
 V. *Tmesis*.  
 Qua vi cumque . 1. 569. *i. e.*  
*quacumque vi*. V. *Tmesis*.  
 Quæ , *diphthongo correpta*  
*propter insequentem in a-*  
*lia dictione vocalem*. At  
 contra quæ amara. 2. 404  
 Quæ amara cumque . 2.  
 404. *quæcumque amara*.  
 V. *Tmesis*.  
 Quæsit pro *querit*. 5. 1228  
 Quam ante pro *antequam*.  
 3. 986  
 Quamde pro *quam*. 1. 641.  
*vox obsoleta*.  
 Quas ob res pro *quamobrem*.  
 1. 156  
 Quantula . 2. 893. *quam*  
*parva*.  
 Quatinus pro *quatenus*. 2.  
 927. & 3. 219  
 Qui *correptum ope hiatus*.  
 5. 75. V. *Hiatus*.  
 Qui pro *quomodo*. 1. 169  
 Quibat . 1. 94. *poterat*.  
 Quiete, *i. e. per somnum*.  
 4. 987  
 Quietès pro *cubilibus*. 1. 406  
 Quisse pro *quivisse, potuis-*  
*se*. 5. 1421  
 Quo *correptum ope hiatus*.

6. 716. & 730  
 Quo quamque inducere  
 pergis . 1. 17. *subaudi*  
*animantem*.  
 Quoad *monosyllabum per*  
*syneresin*. 2. 849. & 5.  
 1212  
 Quod pro *at*. 1. 83. & 2.  
 350  
 Quoique pro *cuique*. 1. 77.  
 & *alibi*.  
 Quom pro *cum*. 2. 1038.  
 & 4. 472

## R

- R**abies pro *rabiei*. 4.  
 1076. ἀρχαϊκῶς.  
 Radiatum insigne diei. 5.  
 699. *Sol*.  
 Radiatus *Sol*. 5. 463  
 Ramenta ferri. 6. 1043.  
*i. e. scobs*. la limatura.  
 Rancens. 3. 719. *rancidum*.  
 Raptim. 1. 663. *celeriter*.  
 Rareque facit. 6. 232. &  
*rarefacit*. V. *Tmesis*.  
 Raucifonus. 5. 1083. *rau-*  
*cum sonum edens*.  
 Re tamen *apse*. 2. 658.  
*reapse, reipsa tamen*. V.  
*Tmesis*.  
 Recellere pro *removere*. 6.  
 572  
 Recens pro *recenter*. 2. 416  
 Re-

- Receptare. 3. 504. *recipere*.  
 Recesse pro recessisse per  
*synopen*. 3. 69  
 Reconflari. 4. 925. *reparari*.  
 Recrescere. 5. 261. *ite-  
rum crescere*.  
 Reddere pro dare, tribue-  
 re, Lucretio frequens. 1.  
 204. & alibi sepius.  
 Redducere pro reducere; ut  
*lex carminis servetur*. 1.  
 229. & 4. 990. & 5. 1336.  
 quamquã syllaba re som-  
 muniis est Lucretio.  
 Referre pro deliberare, &  
*consultare*. 1. 700. ut re-  
 ferre ad senatum, ad po-  
 pulum.  
 Refutatus, us. 3. 524.  
*refutatio*.  
 Regnare. 5. 245. *ite-  
rum gignere*.  
 Rehalare. 6. 522. *exhala-  
re, remittere*.  
 Rei monosyllabum per syn-  
*eresin*. 4. 883  
 Reij pro rei. 1. 689. &  
*sic prima per diphthongum  
producitur, alioqui brevis  
futura*.  
 Reliquas tetrasyllabum per  
*dieresin*. 4. 973  
 Rellatum pro relatum. 2.  
 1001  
 Remedii trisyllabum per  
*syneresin*. 6. 1224  
 Remota pro remota. 4. 271.  
 Renidescere. 2. 328. *reni-  
dere, splendere*.  
 Renutare. 3. 351. &  
 4. 604. *rennere, abne-  
gare, recusare*.  
 Reparcent facere. 1. 668.  
*i. e. facient, non parcent  
facere. re enim particula  
simplicibus verbis adjun-  
cta, contrariam illis si-  
gnificationem plerumque  
induit. Gifanius.*  
 Repentia pro memoria. 3.  
 863  
 Reppertum pro repertum.  
 5. 1296  
 Repulsare. 4. 583  
 Repulsus, us. 4. 105  
 Residit a residuo. 5. 1424  
 Respectare pro respicere. 5.  
 376. & 973  
 Respondeamus tetrasylla-  
 bum per *syneresin*. 3. 963  
 Restare pro obsistere, repu-  
 gnare. 1. 111  
 Retentare. 2. 728. *reti-  
nere, prohibere, arcere*.  
 Retinentia pro memoria.  
 3. 675  
 Retractare. 4. 1193. *vi-  
cissim, & contra tracta-  
re, recellere, crissare*.  
 Gifanius.

- Retro pro contra, vicissim. 1. 767. & alibi.
- Retrocita cornua. 4. 550. ultro citroque ducta, ait Gifanius.
- Revicta pro victa. 1. 587
- Revincere. 4. 490
- ρᾶδιν. 4. 1160. subtilis, tenuis, gracilis.
- Rictum. 5. 1063. rictus, hiatus oris.
- Rigari pro manare ac diffundi. 2. 262
- Rixare pro rixari. 6. 1284
- Roborare. 4. 1032. robur addere.
- Rorifer. 6. 864. rorem ferens.
- Ros salis. 4. 440. maris humor salisus.
- Rota solis pro ipso solis orbe. 5. 433
- Ruere pro impellere, ac raperere. 1. 273. & alibi.
- Rursum, & rursus pro contra, aut vicissim. 1. 52. & 661. & alibi.
- Rufus color rubro finitimus. 4. 73
- S
- S** in carmine elidebatur apud antiquos non secus ac M, & vocales omnes. ut Nam si de nihilo fierent, ex omnibus rebus. 1. 160. & similia sexcenta.
- S pro R antiqui usurpabant, ut quæsit pro quærit. 5. 1228. & alia multa.
- Saccatus humor corporis. 4. 1022. lotium, sive urina, quæ quasi per saccum in vesicam percolatur.
- Sæclum. 1. 21. & alibi passim utitur hac voce poëta pro genere, subole, multitudine: sic hominum sæcla, mortalia sæcla, scriptorum, ferarum. sic γεγενᾶ apud Græcos & spatium XXX. annorum, & genus significat. Gifanius.
- Sæpe est numero factum. 6. 413. factum est sepe numero V. Tmesis.
- Samothracia ferrea. 6. 1042 annuli ferrei in Samothracia primum facti.
- Sanguen neutro genere pro sanguis. 1. 837. & alibi. vox obsoleta.
- Satias, satiatis pro satietas. 2. 1038. & 5. 40. & 1390
- Satus, us. 4. 1226. satio, σπορά.



- Scaphium. 6. 1044. *vasis  
genus.*
- Scaptefula. 6. 810. *locus in  
Macedonia, ubi argentum  
effoditur, α σπάρτην,  
fodere. sumitur pro qua-  
cumque argentifodina.*
- Scapus. 5. 1352. *textorum  
instrumentum, cujus pul-  
su tela densetur, seu potius  
jugum circa quod stamina  
volvuntur.*
- Scatere *secunda brevi.* 5. 950
- Scatit *pro scatet.* 5. 41
- Scelerofus. 1. 84. *scele-  
stus.*
- Scibat *pro sciebat.* 5. 932
- Scilicet. 1. 809. *& alibi.  
adverbium affirmantis,  
probantis, & concedentis.*
- Scruposus. 4. 526. *scrupis  
impeditus, asper. sunt  
autem scrupi minuti la-  
pilli.*
- Scymni leonum. 5. 1035.  
*σχύμνοι, catuli leonum.*
- Secius. 6. 314. *minus.*
- Secreta facultas. 1. 174.  
*i. e. cujusque rei propria.*
- Secreta teporis. 2. 842. *i.  
e. teporis expertia.*
- Secretus cibo. 1. 195. *cibi  
expers, jejunos.*
- Secundum *pro statim post.*  
3. 35
- Semianimo *tetrasyllabum  
per syneresin.* 6. 1266
- Semimarinus. 5. 890
- Seminium. 3. 742. *semen.*
- Semperflorens Homerus.  
1. 125
- Senecta ætate. 5. 884
- Senectus, a, um. 3. 773.  
*senio confectus.*
- Sensiferi motus. 3. 241.  
*& alibi; unde scilicet  
creantur sensus.*
- Sensile. 2. 887. *sensu præ-  
ditum.*
- Sentiscere. 3. 394. *& 4.  
590. sentire.*
- Seorsum *dissyllabū per syn-  
eresin.* 2. 472. *& 683*
- Seorsus *pro seorsum.* 4. 497
- Sepit *ultima producta ope  
cæsura.* 4. 946
- Serescere. 1. 307. *exsicca-  
ri.*
- Serpentia sæcla ferarum.  
6. 766. *serpentes, angues.*
- Severa silentia noctis. 4.  
462. *tristia scilicet.*
- Si correptum *ob hiatum.* 4.  
1054. *& 6. 796. V.  
Hiatus.*
- Sibi *elegantiae tantum caus-  
sa positum.* 2. 871. *& 3-  
334*
- Siculū *pro Siculorum.* 6.  
642

- Sicyonia . 4. 1118. *calcei Sicyonii, ob nimiam elegantiam mulierculis tantum & amatoribus convenientes.*
- Sidere pro deorsum ferri, sedere. 5. 493
- Siet pro sit. 2. 962. & 3. 102. & alibi. ἀρχαῖως.
- Silani. 6. 1263. *fistulae, e quibus erumpit aqua.*
- σιλννί. 4. 1162. *puella simis naribus, quales Sileni & Satyri.*
- Silvifraga flabra. 1. 276. *quae silvas frangunt.*
- Similia trisyllabum, duabus ultimis in unam longam contractis per syneresin. 2. 908
- Simul pro simul ac, statim ac. 1. 88. & alibi.
- Simulata igni pro similia. 1. 688
- Simulus. 4. 1162. *diminutivum a simus. pressis naribus.*
- Singulariter pro singulariter. 6. 1065
- Sis pro suis. 3. 1038. & 5. 1076
- Sola terræ. 2. 592
- Solatia somni. 5. 1404. *videtur positum pro eo quod vice somni vigilantes oblectat.*
- Solstitialis. 5. 616. *ad solstitium pertinens.*
- Solum pro ima pedis parte. 1. 926. & 4. 2
- Solute adverbium. 4. 53
- Sonere pro sonare. 3. 157
- Sonor pro sonus. 1. 645
- Sordi pro sorde. 6. 1269
- Species pro intuitu, vel aspectu. 1. 322. & 4. 243
- Species verna diei. 1. 10. *i. e. vernæ diei. Multus est in hoc loquendi genere Lucretius. sic infra v. 82. impia rationis elementa, i. e. impie rationis. & v. 120. per gentes Italas hominum, i. e. hominum Italorum. quamquam ibi nonnulli legunt omnium per syneresin. Lib. 2. v. 500. Purpura, Thessalico concharum tincta colore, i. e. concharum Thessalicarum. Lib. 4. v. 598. Humanum genus est avidum nimis auricularum, i. e. avidarum auricularum; nisi forte τὸ avidum per synopen dicitur pro avidarū. Lib. 5. 24. Quid Nemeæus enim nobis nūc magnus*

- gnus hiatus Ille leonis obesset? *i. e. Nemeæi leonis. Lib. 6. 1281. aliena rogorum insuper instructa, i. e. rogorum alienorum. & alibi. Apud alios quoque poetas hujusmodi exempla invenire est. Virgil. 8. Æneid. v. 526. Tyrrenusque tubæ mugire per æthera clangor, tubæ scilicet Tyrrenæ. Horatius Epod. 10. Graja victorum manus, i. e. Grajorum victorum. Propertius Eleg. 7. l. 3. Mæcenæ eques Etrusco de sanguine regum, i. e. regum Etruscorum. Idem Eleg. 19. l. 3. Librorumque tuos, docte Menandre, sales, i. e. librorum tuorum. Ovidius Artis Amat. lib. 1. v. 114. Rex populo prædæ signa petenda dedit, i. e. prædæ petendæ. Vetus Poëta apud Ciceronem de Nat. Deor. l. 1. c. 42. ubi iniantur gentes orarum ultimæ, i. e. orarum ultimarum.*
- Spiclorum æquor. 4. 106. Speculorum plana, vel æqualis superficies.
- Spiclorum pro spiculatorum. 3. 199
- Spiracula mundi. 6. 492
- Spirare pro manare. 6. 890
- Spiffescere. 6. 175
- Spödaicus versus appellatur Hexameter, qui spondæum in quinta sede recipit loco dactyli. Talis est ille: Quæ caput a cæli regionibus ostendebat. 1. 65. & plerique alii Lucretiani.
- Squamigeri pro piscibus. 1. 373
- Stacte, es, & æ. 2. 846. succus odoratus, ex variis aromatibus confectus.
- Stare pro esse. 1. 748
- Sterila pro sterilia. 2. 844
- Stinguere. 1. 667. & 2. 827. & 4. 1091. pro extinguere.
- Stridit a strido, is. 6. 148
- Stringere pro deterere. 1. 487
- Stringor. 3. 693. rigor, gelu.
- Structum. 4. 362. constructio, fabrica.
- Süadēt trisyllabum per diæresin. 4. 1150
- Suaviloquens carmen. 1. 944. & 4. 20
- Suaviloqui versus. 2. 528

- Sub divo . 4. 212. *sub aperto celo.*
- Sub verbo . 4. 786. *ad nutum, ad jussum.*
- Subare . 4. 1192. *complexum maris, aut feminae appetere.*
- Subcavus . 6. 556. *cavatus subter.*
- Subditare . 6. 603. *idemtidem subdere.*
- Subiectare . 6. 700. *subjicere.*
- Sublima cæli . 1. 341. *pro sublimia, a sublimus. Archaismus est.*
- Suboles *pro soboles.* 4. 1225
- Subortus, us . 5. 304. *novus ortus.*
- Subtertenuatur annulus in digito . 1. 313. *qua parte scilicet digiti attingit.*
- Subus *pro suis.* 6. 974
- Süemus *trisyllabum.* 1. 55.  
V. *Diæresis.*
- Süerint *trisyllabum per diæresin.* 4. 304. *consueverint.*
- Süesse *pro sueviffe, trisyllabum per diæresin.* 5. 910
- Suffire . 2. 1098. & 4. 1168. *vaporare, suffumigare.*
- Suffugere . 4. 361. *clam fugere.*
- Suffulcire . 4. 865. *sustinere.*
- Summatim . 3. 262. *per summam, & compendium.*
- Summatus, us . 5. 1141. *summa potestas, principatus.*
- Super ignis . 1. 650. *ignis superus, qui sursum fertur. Vide Gifanium.*
- Supera *pro supra.* 1. 430. & *passim.*
- Superantior . 5. 395. *magis abundans.*
- Superare *pro superesse.* 1. 631. & *alibi.*
- Superne *ultima brevis.* 6. 543
- Surpere *pro surripere.* *per syncopen.* 2. 314
- Sursus *pro sursum.* 6. 718
- Synæresis *figura, i. e. contractio duarum vocalium in unam syllabam, que Crasis etiam, Diphthongus impropria, Episyналаëpha, Synizesis, & Synecphonesis appellatur, veteribus poetis familiarissima fuit, Comicis presertim. Lucretius quoque ea sæpissime utitur. Quam si quis ignoraverit, vel minus animadverterit, multorum versuum mensuram*

*ram minime assequetur .  
Ita suaveis dissyllabū est  
Lucretio 1. 7. deesse pa-  
riter 1. 44. & alia pas-  
sim , quæ suis locis in-  
venies .  
Systole figura est quæ sylla-  
bas longas corripit . ita  
nullius secunda brevi. 1.  
225*

## T

**T**Abē , ultima produ-  
cta ope cesuræ , vel  
per diastolen figuram , quæ  
syllabas breves producit .  
1. 806  
Tabificus . 6. 737. qui dis-  
solvit , ac tabem indu-  
cit .  
Tactile . 5. 152. quod tan-  
gi potest .  
Talipedare antiqui dice-  
bant pro vacillare pedibus  
ob lassitudinem . 3. 503.  
Festus .  
Tangere pro tangeris . 2.  
680  
Tartara leti . 3. 42  
Te adventumque tuum . 1.  
6. & 7. i. e. te advenien-  
tem . ἐν δὲ δύο . Ita Vir-  
gilius 2. Georgic. pateris  
libamus & auro , pate-

*ris nempe aureis .  
Tela diei lucida . 1. 148.  
Solis radii . Hinc Phœ-  
bum venatorem poëta fin-  
gunt .  
Templa humida linguarū .  
4. 628. palati cavi-  
tas .  
Templum usurparunt vete-  
res pro cælo , & quovis  
etiam loco sive hominum ,  
sive inferorum . Acheru-  
sia templa . 1. 121  
Tenerascere . 3. 766. tene-  
rum fieri .  
Tenere pro esse . 6. 862. --  
pro novisse . 2. 1171  
Tenuem primæ producta .  
4. 735  
Tenuis . 2. 232. vel est spon-  
deus , prima producta per  
diastolen , & reliquis con-  
tractis per synæresin : vel  
est tribrachys loco spon-  
dæi .  
Tenuius , quatuor breves  
loco dactyli . 3. 244. V.  
Proceleusmaticus .  
Terrificare . 1. 134. ter-  
rere .  
Terriloqua vatū dicta .  
1. 104  
Tetulerunt pro tulerunt per  
prosthesin . 6. 672. V.  
Prosthesis .*

Tha-

- Thalassina vestis. 4. 1120.  
*caerulei, & marini coloris.*
- Tibi venustatis tantum gratia positum. 2. 1038. & 3. 28
- Timefactus. 2. 43. *exterritus.*
- Timentes mortis. 6. 1237
- Tmesis figura est quae compositam vocem in duas dividit; interjecta aliqua particula. ut seque gregari pro & segregari. 1. 453. & alia sexcenta.
- Tmesis insigne exemplum. 6. 389
- Tolerare ævum pro vitam degere. 2. 1169
- Tolerare exitium. 5. 302. *sustinere, arcere.*
- Tonitralia templa cæli. 1. 1098. *ubi scilicet tonitrua fiunt.*
- Tonitrus pro tonitru. 6. 163
- Tonsæ. 2. 554. *remi.*
- Tormentum pro ictu & concussione, a torqueo. 5. 318
- Tornatus. 4. 362. *torno politus.*
- Torreat dissyllabum per syneresin. 3. 930
- Torrens flumen. 4. 1093
- Torrescere. 3. 903. *torreri.*
- Tortari. 3. 661. *torqueri.*
- Torte adverbium. 4. 306
- Tractim. 3. 529. *sensim.*
- Tralucere. 4. 309
- Transmittere pro transire. 6. 993
- Transpectus, us, a transpicio. 4. 273
- Transulerunt, tertia correpta per systolen. 3. 135. *V. Systole.*
- τραυλίζει. 4. 1157. *leniter balbutit.*
- Tremiscere. 6. 547. *tremere.*
- Tremis artus. 3. 488. *Hel-lenismus est poetis frequens.*
- Tribrachys in fine versus loco spondei. 3. 449. *est autem pes ex tribus brevibus constans.*
- Tripectora vis Geryonæ. 5. 28. *Geryonem scilicet finxerunt poetæ tergeminno corpore fuisse.*
- Triquetrae orae terrarum, 1. 718. *i. e. Siciliae orae; a tribus ejus insulae promontoriis, Pachyno, Peloro, & Lilybæo.*

Triquetrum . 4. 657. *triangulum.*

Tritonis Pallas, pro Tritonia . 6. 750. *ita dicta, quod apud Tritonem fluvium primum apparuerit.*

Trochleæ . 4. 903. *organa ad sursum tollenda magna corpora.*

Tuantur a tuor . 4. 362

Tuditare . 2. 1143. & 3. 395. *tundere, urgere, impellere.*

Tuimur a tuor, video . 1. 301

Turbantibus pro turbatis . 5. 503

Turbare pro agitari . 5. 505

Turbare pro errare, vagari . 2. 125. *Gifanius.*

Turicremæ aræ . 2. 353. *in quibus nempe tus crematur.*

Tute pro tu . 1. 270. & alibi. *quod etiam Cicero ni familiare.*

Tutemet . 1. 103. *tu ipse.*

## V

U pro E; ut scribundis versibus pro scribendis . 1. 25. & alibi passim in his quæ Gerundia Grammatici appellant .

U pro O; ut frondiferae que domos avium pro frondiferas . 1. 19

U pro Y scribebant veteres Romani; nam Y peregrinum est. incluta pro incluta . 1. 41. & pleraque alia.

Vaceferi . 6. 1003. *inaniri.*

Vacuare . 6. 1023

Vagare . 3. 628

Vage . 3. 872. *incerto errore.*

Vagor prima producta . 2. 576. *vagitus.*

Valescere pro valetudinem recipere . 4. 17

Vaporare . 5. 1130. *vapore infici.*

Vapos pro vapor . 6. 952

Variantia pro varietas . 1. 654. & 3. 319

Ubera lactis pro lacte ipso . 1. 886. *vide Tibullum Eleg. 3. lib. 1.*

Vegere pro vegetare, vigorem addere . 5. 533

Vehementer, trisyllabum, duabus primis in unam longam contractis . 2. 1024

Vehementi trisyllabum . 3. 153. *V. Synæresis.*

Velivolum mare . 5. 1441. *in quo scilicet naves velis volant.*

Ven-

- Ventigenus . 6. 701. *ex quo ventus erumpit.*
- Ventus pro inani gloria . 3. 46
- Veratrum . 4. 644. *hellebori genus venenosum.*
- Vermina . 5. 995. *vermes.*
- Verfabundus turbo . 6. 437. *quod sc. versando feratur.*
- Versare pro vertere, mutare . 2. 881
- Vertere pro verti . 4. 1123
- Verutum . 4. 411. *hasta ferro acuto præfixa.*
- Vescum sal . 1. 327. *esui aptum.*
- Veterinum semen . 5. 863. *equinum.*
- Vexamen pro vexatio . 5. 341
- Victor pro voti compos . 1. 76
- Videlicet pro videre licet . 1. 211
- Viduatus manuum . 5. 838. *manibus carens.*
- Vietus . 3. 386. *languidus, flaccidus.*
- Viri prima producta ; patrius casus a virus . 2. 475
- Viritim . 2. 1170. *in singulos homines.*
- Viro prima longa a virus . 2. 852
- Virus pro fœce aqua marinae, seu sale . 5. 270
- Virus Ionium . 1. 720. *videtur dictum pro sordibus ab aqua marina contrahitis. Gifanius.*
- Vis ferri pro ipso ferro . 6. 999. *& multa similia.*
- Visere ad ægros . 6. 1236. *morbo affectos invisere.*
- Visu pro visui . 5. 102
- Vita humana pro hominibus . 1. 63. *& alibi. Tibullus lib. 2. Eleg. 1. absolute dixit vita : his vita magistris Desuevit querna pellere glande famem.*
- Vitalia rerum . 2. 575. *causæ quæ rebus vitam largiuntur.*
- Vitalia sæcla . 1. 203. *pre-finita annorum spatia, quibus vita hominum terminatur.*
- Vitaliter . 5. 146. *vitalem in modum.*
- Vitigenus liquor . 5. 15. *vinum.*
- Vivam progeniem qui in oras luminis edant . 2. 617. *quod qui non eliditur, & corripitur ob insequentem vocalem. V. Hiatus.*
- Vivatus . 3. 410. *vividus, incolumis.*




- Vivere pro esse . 3. 303. *u-*  
*surpat quoque Horatius*  
*non semel.*  
 Vivescere . 4. 1061. *vivi-*  
*dum fieri.*  
 Ullæ rei pro ulli . 1. 688  
 Umbrare . 2. 628. *umbra*  
*regere.*  
 Unæ figuræ pro unius . 2.  
 778  
 Unde vacefit cumque . 6.  
 1015. *undecumque vace-*  
*fit. V. Tmesis.*  
 Unguiculi . 6. 947. *ungues.*  
 Uniter . 3. 851. *uno quo-*  
*dam nexu.*  
 Unversum pro universum  
*per syncopen.* 4. 263  
 Unus enim tum quisque .  
 5. 988. *tum enim unus-*  
*quisque. V. Tmesis.*  
 Vocamen . 2. 656. *vocabu-*  
*lum.*  
 Voci pro voce . 4. 703  
 Vocitare . 6. 297. *appellare.*  
 Volantes pro aves . 6. 833  
 Volgatus pro eo qui *lustra-*  
*vit, circumerravit.* 5. 428  
 Volgivaga Venus . 4. 1064.  
*promiscua, incerta.*  
 Volgivagus . 5. 930. *erra-*  
*bundus.*  
 Volgo : 1. 239. & 905.  
*vulgo, passim.*  
 Volta pro vultus , *quarto*  
*casu numeri multitudinis.*  
 4. 1206  
 Volturius . 4. 684. *vultur.*  
*avis rapacis genus.*  
 Volvendus pro volubilis .  
 5. 515. & 1275  
 Volvētia pro voluta . 6. 344  
 Vorlus pro versus , *adver-*  
*bium.* 2. 1053  
 Usurpare corpora prima .  
 1. 55. *i. e. usu loquendi*  
*sepius vocare.*  
 Usus foret pro opus foret .  
 1. 185. & *alibi.*  
 Uvescere . 1. 307. *humo-*  
*rem imbibere, madefieri.*  
 Vulturnus . 5. 744. *ventus*  
*medius inter Eurum, &*  
*Notum.*

F I N I S .



Lectioes nonnullæ præter nostram sententiam in textum Lucretii, quo casu incertum, receptæ; quæ tamen veterum aliquot Editionum, & MSS. Codd. auctoritate nituntur.

Lib. III. vers.	956	Non restitue	Nec
	1065	animo	animi
Lib. IV. vers.	24	percipis	perspicis
	994	terroribus	erroribus
Lib. V. vers.	324	Diminui	Deminui
Lib. VI. vers.	210	Has	Hasce
	243	possunt	possint
	439	detrudit	detrusit
	578	tellure	a tellure
	913	demisso	demissos
	1198	Visceribus	Ulceribus
	1257	mœroris	ægroris



# NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

**A** VENDO veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. Fra Lorenzo Filippi Inquirente Generale del Santo Ufficio di Padova, nel Libro intitolato *Titi Lucretii Cari de Rerum Natura Libri VI. ad optimorum exemplarium veritatem exacti* non esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giuseppe Comino*, Stampatore in Padova, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dato li 8. Aprile 1750.

( Giovanni Emo Proc. Rif.

( Giovanni Alvise Mocenigo I. Rif.

(

Registrato in Libro a carte 22. al num. 224.

*Michel Angelo Marino Segretario.*



SCIP.



SCIPIONIS  
CAPICII

DE PRINCIPIIS RERUM  
AD PAULUM III.

PONT. MAX.

LIBRI II.

*Ex optimis Editionibus representati.*



PATAVII. MDCCCLII.

EXCUEBAT JOSEPHUS COMINUS

SUPERIORUM PERMISSU.

2017

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PH.D. THESIS

BY

DR. [Name]

DEPARTMENT OF [Department]

CHICAGO, ILLINOIS

19[Year]

*Petrus Bembus Cardinalis Scipioni  
Capicio S. P. D.*

**P**oema de Principiis Rerum tuum, heroicis carminibus conscriptum, in duos divisum libros, legi sane libentissime: est enim ejusmodi ut magnopere cum Lucretii stylum & elegantiam, tum antiquorum hominum ætatem illam cultam & perpolitam redoleat: itaque & tibi gratias habeo, qui me jucundissima tuorum librorum lectione oblectaveris; & Tassum nostrum ea de re plusculum etiam quam soleo amo; soleo autem & debeo certe plurimum, quod eum puto tibi authorem fuisse ut mihi illos mitteres; ab ipso enim accepi. quamobrem edas illos censeo, sinasque per manus, perque ora gentium pervagari: magna enim tua cum laude nomen ipsum proferent, & æternitati consecrabit tuum. reliqua de Tasso, cum ad te redierit, intelliges. Vale. Quarto Non. Jul. M. D. XLV. Romæ.

*Paulus Manutius in Epistola ad Isabellam Villamarinam Salernitani Principis conjugem, qua illi dedicat Scipionis Capicii libros de Principiis Rerum duos, & de Vate maximo tres. Venetiis 1546.*

Hinc Capicius ille tuus tuarum laudum laudatissimus præco; qui te admiratur unam, qui observat; qui cum de te multa & vera prædicavit, ita concludit, unam habere quæ optabilia sunt, omnia. itaque me quidem eodem studio inflammavit; nihil umquam ut ardentius optarim quam ex tuis unus esse. quod quo facilius impetrarem, feci, ipso permittente atque etiam libente Capicio, ut ejus libros de Principiis Rerum duos, de Vate maximo tres meæ in te summæ observantiæ testes emitterem. Divinum carmen est, multis luminibus ingenii, multa arte distinctum. etenim nihil legi in hoc genere perfectius: ut ne Lucretius quidem pluris apud me sit: quo cum antea propter sermonis elegantiam delectarer, utererque multum, cœpit mihi jam minus esse familiaris, posteaquam Capicium legi. Hoc opus, & quia scriptum est a tui studiosissimo, & quia versibus te dignis, idest luculentissimis; non dubito, quin a me missum avide accipias, sic, inquam, ut de isto me munere ames plurimum.



*Loquens de Lucretii Edit. a Daniele Pareo procurata  
Francofurti 1631. 8.*

Præ cæteris vero hoc habet eximium Editio Lucretii Pæreana, quod illi subjuncta sunt duo Poemata recentia lectu haud indigna, Scipionis Capicii Neapolitani de Rerum Principiis Libri duo, & Aonii Palearii Libri III. de Immortalitate Animorum, quos ex merito laudat Jacobus Sadoletus lib. V. Epistolar. pag. 200. seq.

*Idem in Supplemento supra dicti cap. pag. 55.*

Lucretii placita Epicurea carmine confutanda sibi sumserunt, Latino Heroico quidem Aonius Palearius, Scipio Capicius, Polignacus Cardinalis, & Thomas Ceva S. J. Anglico Henricus Morus, & Richardus Blackmore; Gallico Carolus Claudius Genestus, & Italico Alexander Marchetti.  
& pag. 59.

Poema de Animorum Immortalitate libris tribus Lucretio oppositum, & Aonii Palearii nomine sæpius editum, a Paleario scriptum esse negavit, præter rem, ut opinor, Robertus Titius litteris ad Marcum Velferum. Vide Velferi opera pag. 878.

*Auctor Prefationis in Anti-Lucretium Cardinalis  
de Polignac in fine hæc habet.*

His præmissis, jam audiendus est Vates ingens, dum ingentem causam tuetur, sæpe quidem antea defensam, sed a libidinibus, quæ nunquam silent, semper impugnatam; & quæ nunc primum Latinæ Poeseos insignibus prodit magnifice decorata. Nam quæ a Paleario, Scipione Capicio, & aliis fortasse nonnullis Poemata de Religione naturali scripta sunt, ea cum hujusce argumenti partem tantum attingunt, tum Poeseos nitore \* quantum distent, ipsa lectione aperietur.

---

\* Nimii fortasse & tamquam prodigi in laudando Capicio, scriptore optimo, fuerunt Bembus, & Manutius, Itali homines: parci contra & adstricti Fabricius, & Auctor Prefationis in Anti-Lucretium, Germanus ille, hic Gallus. Tu, Lector, qui æquitati studes, coërce quod redundat, supple quod deficit, & rectam demum de Capicio sententiam tuleris.





SCIPIONIS CAPICII  
DE PRINCIPIIS RERUM  
AD PAULUM TERTIUM  
PONT. MAXIMUM  
LIBER PRIMUS.



ATURÆ mundique cano quæ fe-  
mina primum,  
Quæ causæ fuerint, atque unde  
exordia rerum:  
Arduus, aspirent tantis modo nu-  
mina cœptis,  
Egregiusque labor, longis qui  
corda tenebris

Solvere, & optata valeat perfundere luce. §  
Hos mea num fluctus, hæc nare per æquora puppis  
Audet, & intacto sua credere vela profundo?  
Rex superùm, superique patris mens unica, per quem  
Ipsa parens vires natura accepit, & ortus:  
Quo sine mortales longis erroribus actæ 10  
Complentur miseræ tetra caligine mentes,  
Annuæ, & his vires tribuens ingentibus aquas  
Pollicitis, per te eduxit quas conditor orbis  
Immensi, arcanas da rerum pandere causas.  
Et tu, quem claræ jampridem gloria gentis, 15

Et tua præcipue virtus immiscuit astris,  
 Sive feros arces Turcas oriente, piusque  
 Te manet ille labor, formidatosque coerces  
 Imperio populos, & Christi signa reposcis,  
 Optatamque diu terris das, maxime, pacem, 20  
 Farnesi, & fessis tandem paris oia rebus:  
 Seu gentis te cura piæ sanctusque moratur  
 Relligionis amor, dum tam diversa sequentum  
 Hac super, ambigua solvis formidine mentes,  
 Et certa in veram prodit sententia lucem: 25  
 Ignoti vada pande maris, tenuemque procellis  
 Eripe, & ad tanti cymbam rege marmoris oram.

Perpetuæ tractus telluris, vastaque ponti  
 Æquora cœrulei, cœlique immensa profundi  
 Mirati spatia, & mundum fulgentibus astris 30  
 Distingui, & vario ferri vaga sidera motu  
 Solerti ingenio mortales, abdita nosse  
 Naturæ arcana, & mundi indagare latentes  
 Tentarunt ortus, dulcique cupidine rapti  
 Quærendi in rebus rationem, quæ hisce creandis 35  
 Vis sit, scrutantes, & quæ genitalis origo,  
 Invenere viam, qua rerum cernere causas,  
 Primaque nascentis possent exordia mundi:  
 Dumque animo naturæ agitant secreta parentis,  
 His diversa super decernere contigit, impar 40  
 Ut votum est cunctis, nec mens mortalibus una:  
 Tantarumque ortus rerum penitusque latentum  
 Aggressos aperire, globus caliginis atræ  
 Obtexit magis, eque aliis innectere nodos  
 Assuerunt alios, uno centumque soluto 45  
 Implicuere, novusque umquam non defuit error.

Ille igitur quicumque fuit qui tradere primus  
 Hæc potuit, statuitque novo primordia mundo,  
 Et qui cœperunt naturæ prodere causas,  
 Principio finxere rudem nec corpore certo

Informemque globum: varias unde omnia primum  
 Discreta in formas, rerumque effluxerit ortus.  
 Nanque hi, quæ vacuo nascuntur in æthere, tellus  
 Quæque ferax parit, & falsi quæ stagna profundi,  
 Mirificis concreta modis, dum sumere cernunt 55  
 Hæc aliam, atque illis aliam subrepere sensim  
 Naturam, penitusque nova mutare priorem:

In variasque eadem semper cessisse figuras,  
 Inque alias rursus species extincta novari,  
 Omnigeno haud ullam statuere in corpore formam: 60  
 Hinc ortum duxisse rati genitalia partes  
 Ducta per expressas orientis semina mundi:

Inque illo, possent generatim unde omnia nasci,  
 Materiam latuisse rudem, confusaque certas  
 Reddenda in species cunctarum exordia rerum. 65

Hinc chaos id Graji dixerunt nomine, primæ  
 Quod causæ nondum expromtæ, visque abdita matris  
 Naturæ, rerumque forent ibi corpora, nullas  
 Formata in partes, tantumque incerta facultas,  
 Qua prima in species coalescere semina possent 70  
 Quæque suas, nascique opus admirabile mundus:

Id vero, fieri possent unde omnia, prorsus  
 Principio posuere carens, nullumque putarunt  
 Huic ortum posse, aut spatium præscribierævi,  
 Materia hæc fuerit cunctis quod prima creandis: 75  
 Dum non ex alio potuisset gignier, esset

Quando nil genitum quod non hinc sumserit ortum:  
 Nec fieri e nihilo, quia corpora quæque videntur  
 Ex alio gigni, inque aliud corrupta resolvi.

Hæc illis ratio, quis primis noscere curæ 80  
 Semina certa fuit rerum, decernere suavit,  
 Tellurem, & quicquid circum hanc diffunditur, ortum  
 Principio ex illo, lateque potentia cœli  
 Mœnia convexi, atque orbis duxisse coruscos:  
 Hanc longum sectati idem quos impulit ardor 85

Naturæ effectus studio indagare sagaci,  
 Ante alios Pharij regio quæ læta Canopi,  
 Et fortunati suadent stagnantia Nili  
 Flumina, mortales illinc contendere primos  
 In lucem educos: & qui flammantia mentem 90  
 Astra super vigilem atque excelsi culmen olympi  
 Tollentes, solisque viam, lunæque meatus  
 Sunt primi varios scrutati, & quo vaga motu  
 Sidera volvantur, servent quem fixa tenorem,  
 Qui regere humanos casus, fortisque futuræ 95  
 Eventum stellas, atque hinc se posse putarunt  
 Ipso qui maneat mortales finis ab ortu  
 Præfagire, Magi patrio de nomine dicti.

Hæc igitur se se extendens, lateque recepta  
 Ancipites primo invasit sententia mentes, 100  
 Obtinuitque diu, donec solertia major  
 Acrius humanos animos exquirere causas  
 Edocuit rerum, cœpitque patefcere longus  
 Paulatim qui se cunctis offuderat error:  
 Næque animadversum est, dives quæ educit & auctat 105  
 Natura, haud aliter prodire in lumina vitæ  
 Semina, ni e certis capiant hæc certa peremtis  
 Corporibus, neque proferri genitabile quicquam  
 Aspicere est, ni cujusquam sublata recedat,  
 Alteriusque obitu nascendo forma novetur: 110  
 Causa etenim certa est rebus resoluta creandis  
 Materies apta in certam se vertere formam:  
 Et quia tam varias species & corpora quæque  
 E certis gignit rebus natura, nec ullas  
 Suevit ab incerta partes expromere matre. 115  
 Haudquaquam dederit quod rerum semina corpus  
 Cunctarum certa, incertum infectumque putarunt:  
 Nec potuisse sua specie formaque carere  
 Formata in lucem quod cuncta edaxerit, unde  
 Lumina cœrulei sint orta nitentia mundi. 120

Sumserit unde sua immensi spumantibus undis  
 Circum septa maris tellus primordia mater,  
 Quis rerum varias peperit fœcunda figuras,  
 Umbriferas volucrum sedes, silvasque virentes,  
 Arboreos fœtus, fruges, suavesque liquores: 125  
 Divitibusque aurum venis canique metalla  
 Argenti, & chalybum solidique effuderit æris:  
 Ex quo tot pecudum facies, formæque volucrum  
 Principio, & monstra omnigenum sunt ducta natantum.  
 Unde etiam humani species pulcherrima fulsit 130  
 Corporis, ætheriæ donati munere mentis.  
 Ergo materiem, fuerit quæ rebus origo  
 Omnibus, informem patuit non esse rudemque.

Præterea quod non vera ratione putarint  
 Corpore ab informi naturæ semina oriri, 135  
 Inde etiam aspicere est, tenues quod lucis in oras  
 Non aliter quicquam prodit, nec concipit ullos  
 Ipsa parens fœtus, perimat ni corpora quædam,  
 Miris juncta modis genitalia fœdera solvens,  
 Hinc factura novis natura exordia rebus; 140  
 Atque ita dissidium patiens abeunte priore  
 In liquidas auras exstincto e corpore forma,  
 Materies aliam in faciem mutata resurgit.  
 Sic alia atque alia in lucem natura profundit  
 Semina, & inde novas iterum manare figuras 145  
 Cernimus, inque alias species sic cuncta renasci.  
 Quare non poterit corpus formarier ullum,  
 Ni vis leti aliud perimat compage soluta,  
 Qua prior alterius constabat forma peremti:  
 Non etenim quicquam fit, ni certa intereat res. 150  
 Sic aliud porro ex alio fit, sic nova passim  
 Exoritur proles forma cedente priore.

Aspice brumali torpet cum frigore cœlum  
 Extrema in Scythia, gelidæve Propontidos oris,  
 Flumina, quæ volucris cursu lata arva secabant, 155  
 Ut

Ut fluidam linquant formam, rapidumque liquorem  
 In pigram glaciem durataque corpora mutant:  
 Mox ubi sol propius radios intendit, & acrem  
 Dissolvens hiemem concretas verberat undas,  
 In solidum densata gelu, vitreumque rigorem 160  
 Liquitur in fluvium species resoluta rapacem.

Sic etiam liquidas fundit cum concava guttas  
 Sub rigidis spelunca jugis, quæ dives opimi  
 Lucanus pecoris curvo proscindit aratro,  
 In lapides stillans humor concrefcere duos 165  
 Cernitur, & mollis paulatim astringier unda:  
 Non fecus ac terram densat cum frigidus aër,  
 Vis tectis labens aut flentibus humida ramis,  
 Stillandi ut linquat morem, quæque uda fluebat  
 In glaciem conversa rigens jam stiria pendet. 170

Cernis item, nigrans tormento inclusus aheno  
 E salice ambusto, nitroque & sulphure pulvis  
 Immissi rapidam si vim conceperit ignis,  
 Quam subito in magnum se vertit corpus, & aer  
 Fit tenuis, nuperque locum collectus in arctum 175  
 Jam non se capiens fracto velut æthere fulmen  
 Erumpit, cœlumque horrendo murmure complet,  
 Fumiferas spargens nubes procul usque per auras,  
 Emissam flammante pilam dum turbine torquet.  
 Usque adeo haud aliter fiunt nova corpora, forma 180  
 Ni prior extinctis rebus sublata recedat.

Sic igitur cuncta omniparens natura profundit.  
 Humida sic promit fruges & gramina tellus,  
 Et fœtu ramos, & silvas frondibus ornat.  
 Denique per terras omnes falsumque profundum 185  
 Non alia ratione queunt tot corpora gigni,  
 Nec valet in proprias species genus ire animantum,  
 Ni prior extinctam discedens forma relinquat  
 Materiam unde novis rebus deducitur ortus.  
 Ergo quod rerum fudit primordia, certum est 190

Non

Non potuisse suam non esse in corpore formam.

Hinc ultra humanæ sese solertia mentis  
 Extendit, rursusque alii referare latentis  
 Naturæ arcana, & mundi manifestius ortus  
 Tentarunt primos, rerumque ostendere causas: 195  
 Atque hi non uno posuerunt omnia claudi  
 Corpora complexu, nec certos cingere fines  
 Naturæ loca, nec spatio hæc præscribier ullo,  
 Quandoquidem innumeri possint existere mundi.  
 Quare id, quod circum sese diffundit inane, 200  
 Esse infinitum, atque omnes excedere metas,  
 Quod nullæ claudant oræ, nec finiat ullum  
 Extremum, careatque omni quod denique fine.  
 Hoc intra immensum spatium volitare minuta  
 Corpora, quæ quoniam nequeant in frustra, minores 205  
 Nec findi in partes quam sint ea, nomine Graji  
 Dixerunt atomos, atque hinc elementa parentem  
 Naturam, & cunctis formare exordia rebus.  
 Dumque ea perpetuum variis per inane feruntur  
 Motibus, & cocunt concursu corpora crebro, 210  
 Nexibus inter se validis, & fœdere firmo  
 Conjungi, inque unum converti plurima corpus;  
 Atque ita cunctarum rerum primordia certis  
 Conciliis fieri, in lucemque exurgere certam  
 Materiam, ex qua naturæ ducatur origo, 215  
 Corporibusque fluant genitalia semina cunctis:  
 Inde ubi fera dies actumque hæc finiat ævum,  
 Rursus in antiquas atomos corrupta revolvi,  
 In veteresque iterum converti corpora partes:  
 Sic rursus exigua immensum per inane volare, 220  
 Concursu donec cocuntia corpora crebro  
 In nova juncta modis miris elementa resurgant:  
 Sic alios infinitum per inane creari,  
 Solvi alios, rursusque minuta in corpora verti,  
 Inque vicem his obitum contingere semper & ortū, 225

Et

Et posse innumeros hoc pacto existere mundos.

Hac prima omnigenam ratione effingere matrem  
 Corpora naturam, cunctisque exordia rebus,  
 Grajorum est multis suatum, quibus semina mundi  
 Prima fuit curæ & rerum cognoscere causas. 230  
 Hæc eadem Latio illata est, nativæque recepta,  
 Roma, tuis, studio claris cultoque coruscis  
 Eloquio, ante alios Italum qui primus amœnos  
 Pieridum ingressus lucos e fronde perenni  
 Detulit in Latium Grajo ex Helicone coronam, 235  
 Naturæ arcanas rerum dum pandere causas  
 Nititur, & raræ deflagrat laudis amore.  
 Hanc pater admittens dulci Lucretius ore  
 Exposuit, blandoque tulit super æthera cantu.  
 Felix, si obscuris verum cognoscere lumen 240  
 In rebus potuisset mellifluoque lepore  
 Mananti optasset rationem carmine dignam.  
 Non illo Aonidum quisquam de fonte liquores  
 Largius hausisset, nulliusque incluta nomen  
 Dignius æternum loqueretur fama per ævum. 245  
 Magne pater, nostra o veniens ne deleat ætas  
 Carmina, si Solis radiis modo sidera quicquam  
 Luminis adjiciunt, merito te semper honore  
 Prosequar, hocque tuo vivet cum nomine carmen,  
 Dum natura satis servabit fœdera rebus 250  
 Imposita, & celso pendebunt lumina mundo.

Sed longe errarunt qui sic statuere parentem  
 Semina naturam, rerumque expromere causas,  
 Obscuris merfi in tenebris, veraque remoti  
 A ratione procul, qui nil mortalia summum 255  
 Cœlicolum curare patrem, casuque putarunt  
 Illa regi, æthereasque animas ut corpora, vitæ  
 Lumine dilapso pariter succumbere leto.  
 Falso itaque est illis ea sic discernere suatum,  
 Namque haud innumeris rerum primordia constant 260



Corporibus, parvisque adeo, ut concidier ulla  
 In partes nequeant fierive minora secando,  
 Nec mixtum raris densive in rebus inane  
 Plusve minusve datur, spatium nec inane vacansve.  
 Quod vero hæc rebus non sint exordia primis, 265  
 Nec naturæ ortus dederint ea parva parenti  
 Corpora, quæ nequeant frangi in partesve secari,  
 Quæque vacent numero late volitantia certo,  
 Hinc liquet, & vera poterit ratione probari.  
 Nempe ea prima forent si rebus femina cunctis, 270  
 Hæreere inque vicem tangi jungique necesse  
 Hæc foret, & sese per mutuanectere certo  
 Concilio, in certam quo sic commissa coirent  
 Materiam, inque unum transirent plurima corpus.  
 Hæc vero quia sic fierent, hærentia circum 275  
 Parte alia atque alia fieret per corpora tactus,  
 Cûque alio atque alio hæreret quodque undique corpus.  
 Quare essent multæ omnino, quîs mutuus inter  
 Ipsa foret tactus genitalia corpora, partes:  
 Atque ita nequaquam diversis illa carerent 280  
 Partibus, & spatio constarent singula certo,  
 Unde nec innumera hæc essent, cum cætera, quæ ex his  
 Orta forent, minime sint infinita, sed illis  
 Sit modus, & constent mensura singula certa.  
 Sic itaque ex atomis nequaquam corpora gigni, 285  
 Nec duci hinc rebus possunt exordia primis,  
 Nec spatium porro in rebus contingere inane  
 Possset, ut in cunctis exstaret plusve minusve  
 Corporibus vacui pro textura nexuque  
 Cujusque in densisque parum, multumque daretur 290  
 In raris spatii, impleret quod cuncta, vacantis.  
 Namque nec in densis, nec raris occupat ullum  
 Corporibus spatium, nec inest in rebus inane.  
 Quandoquidem genitis si quid contingere possset  
 Corporibus vacui, raris quod maxime inesset, 295

Dum

Dum laxæ partes essent, astringier, inque  
 Angustum vi humana aliquod se cogere corpus  
 Possset, ut hærentes inter compressior esset  
 Particulas nexus, & se densaret in arctum,  
 Contractumque minus fieret totum undique corpus. 300  
 Sed non ulla potis vis est rarissima quamvis  
 Corpora in angustum spatium densare minusve.  
 Quod licet in tenui penitus cognoscere flatu,  
 Quem strato in campo tentum super æthera sollem  
 Aut jacere, aut forti salientem reddere pugno 305  
 Assuetus juvenis lentæ insufflavit alutæ.  
 Illum etenim si quis pressando arctare, minusve  
 Contrahere in spatium tentabit, scindier ante  
 Dirumpique pilam, subitoque exire tumentis  
 Effracto flatum claustro, & vanescere cernes, 310  
 In spatium arctari detur quam angustius unquam:  
 Usque adeo certum est non esse in rebus inane.

Id vero ex alia constat ratione, patetque  
 Inde etiam, quod dum contentum corpus, & intra  
 Quemvis conclusum locum ita immutatur & omni 315  
 Afficitur parte, ut totum densetur in arctum:  
 Quod fit præcipue astrictum est ubi frigore corpus,  
 Concepta calida vi discedente, necesse est  
 Ut quantum spatii se arctante relinquitur illo,  
 Tantum aliud corpus conjunctum repleat, ipsa 320  
 Invita illius quamvis natura repugnet;  
 Ut nil non rerum admittat natura feratque,  
 Dum nullum omnino spatium patiat inane.  
 Idque cucurbitula immisso perfusa calore  
 Aut carni impressa, aut cedenti concava cuius 325  
 Materiæ ostendit: namque hinc dum frigore cedit  
 Obrepente calor, quique illa includitur aer  
 Contrahitur, spatiumque ideo minus occupat, & se  
 Cogit in angustum, spatii non ulla vacare  
 Pars datur, hærenti sed succedente repletur 330

Corpore quod reliquum est, alio licet ipsa resistat  
Illius & sese adversum natura feratur,

Ut nihil haud usquam spatii sit inane vacansve.

Sic etiam fluxæ trahitur vis humida lymphæ

Natura adversante sui, si forte perustus 335

Limoso in stagno clausave in valle jacentem

Hauferit inclusam terebrato hanc stipite messor,

Illa subit, tractusque loci quem deserit aer

Occupat, & sursum salientis lubrica fuciu

Fertur, ut in rebus spatium non detur inane. 340

Ergo qui innumeros mundos statuere, vacansque

Atque infinitum spatium quod parva teneret

Corpora, conciliis quæ inter se hærentia certis

Omnia proferrent vitalis lucis ad oras,

Errarunt vera longe a ratione remoti. 345

Quare id quod visum est aliis decernere rerum

De causis mundique ortu scrutemur, & ultra

Pergamus super his illorum exponere sensus.

Atque videnda horum prior est sententia, certæ

Qui naturæ unum esse infinitumque putarunt 350

Corpus, quo cælo ac terris, undisque profundi

Sint maris & primis deducta exordia rebus:

Atque hoc in spatium immensum diffundier extra

Mœnia convexi corpus flammantia mundi.

Hæc vero haudquaquã ratio est his tradita simplex. 355

Nam diversa alii cælo constare putarunt.

Natura id corpus, quæque ex hoc condita primis

Corporibus dias venissent lucis ad oras.

Ast alii licet a cæli id statuere alienum,

Natura tamen esse rati sunt una eademque 360

Corporibus qua unum ex his est, aut liquidus aer,

Aut ardens ignis, vel aquarum mobilis humor.

Rite tamen nulli corpus, quo exordia rebus

Prima forent cunctis, infinitumque carensque

Præscripto spatium, cælum, quia tempore certo 365

Volvitur, & mensura finitum esse necesse est,  
 Constituerunt esse, quod illud vertier ullo  
 Non posset certo infinitum tempore corpus.

Aut igitur natura alia penitusque remota  
 Materiam a genitis rebus primam esse putarunt: 370  
 Aut eadem e tribus est uno quæ in corpore primis,  
 Aere vel liquido, aut igni, tremulove liquore.

Sed qui materiam hanc rebus statuere creandis,  
 Hi quoque semoti vera a ratione vagarunt.  
 Namque extra cœlum cujusvis non datur usquam 375  
 Naturæ esse, ac non infinitum modo corpus,  
 Sed nec certa etiam cui sit mensura, nec ullum  
 Omnino, usque adeo e cœli nil finibus exit.

Et natura illud quo sint exordia rerum  
 Esse a corporibus cunctis non posse remota, 380  
 Ardua quæ mundi amplectuntur mœnia corpus,  
 Inde patet, certa que potest ratione probari.

Cuncta etenim, dum se corrumpunt corpora, in illud  
 Unde erat his ortus demum se extincta resolvunt.

Namque id quod rebus fundit primordia cunctis 385  
 Corpus idem est, illæ sua cum se in semina vertunt,  
 In corpusque abeunt unde his manavit origo.

Sed quæ diffidium patiuntur corpora, certum est  
 Non nisi in horum aliquod verti, quæ finibus ambit  
 Immensis late qui amplectitur omnia mundus. 390

Ergo id materies fuerit quod prima creandis  
 Corporibus, dederitque novo primordia mundo,  
 Diversum a mundi natura haud esse necesse est:  
 Quare pars ejus rationis, qua nova rerum  
 Semina manare ex horum quæ ostendimus uno 400  
 Corpore decrerunt, similis magis altera vero est.

Sed qui hæc gignendis posuere exordia rebus  
 Errarunt, horumque etiam sententia longe  
 Abfuit a ratione, ipsum dum semina corpus  
 Prima ferens rerum, extra lata existere cœli 405  
 Mœnia

Mœnia in immensum spatium statuère profundi.  
 Et sese extendens omnes excedere metas,  
 Perpetuos fufum in tractus, nec finibus ullis  
 Comprensum, veræ prorsus rationis egentes, (410  
 Qui spatium hoc ingens mundi, immensasque cavernas  
 Vasto animo augere, & tantos protendere fines  
 Tentarunt meditando, inque id se extollere mente  
 Quod nil fit, nullove queat consistere pacto.  
 Ac si is qui cœli diffunditur undique tractus  
 Non satis ad speciem naturæ usufque fuisset, 415  
 Cujus qui norint spatium, quamque omnia late  
 Finibus immensis claudat, non debeat æque  
 Quam tanta iis moles esse admirabile quicquam.

Sed quæ corporibus vis est ostendit eadem  
 Natura haud posse infinitum existere corpus, 420  
 Qua est horum quodvis quod cælum clauditur intra;  
 Ex illis etenim aut grave quodque est, aut leve corpus.  
 Et gravia in præceps recta mundique feruntur  
 Ad medium deorsus pressanti pondere tracta:  
 At contra e medio fursum tendentia recta 425  
 Tolluntur levia, eque imo sublata resurgunt,  
 Atque intra cælum sic corpora cuncta moventur.  
 Ast infinito in spatio non est locus usquam  
 Omnino medius, pars certa aut terminus ullus:  
 Inde infinitum haudquaquam levitate daretur 430  
 Extolli, aut pressum delabi pondere corpus,  
 Dum locus huic superus non usquam aut inferus esset  
 Quo sese ferret, regio nec certa, neque illi  
 Hi possent certi prorsus contingere motus,  
 Qui natura agitant quæ claudit corpora mundus. 435  
 Quare ex illorum natura existere corpus  
 Nequaquam id posset certo quod sine careret.  
 Ergo sive alia id corpus constare putarint  
 Natura e genitis rebus, quod certa creandis  
 Corporibus tulerit genitalia semina cunctis, 440

Sive eadem qua aër ignisve humorve fuissent,  
Esse infinitum nequaquam posse fatendum est.

Hæc de principiis varie decernere rerum  
Est aliis visum atque aliis, qui devia longis  
Per nemora errarunt seclis altosque recessus, 445  
Dum cupide exquirunt naturæ claustra latentis  
Ingredi, & arcanas mundi cognoscere causas.  
Nunc age mens hominum quid vestigaverit ultra  
His super, & quæ jam late sententia rerum  
De ortu per magnas admissa est undique gentes 450  
Expeditam, juvat in lucos penetrare silentes,  
Perque alta umbriferi nemoris deserta vagare,  
Dum claro obscura studeo referare reperta  
Carmine, & arenti latices inducere campo  
Aonidum viridi e luco, quo terra liquore 455  
Emittat madefacta novo de gramine flores,  
Unde meæ insignis pingatur laurea fronti.  
-Sed jam quæ late invaluit sententia cunctis  
Observata diu de ortu dicenda parentis  
Naturæ, & prima nascentis origine mundi. 460  
Materiam primam qua rerum corpora consistunt  
Cunctarum in tenues quæ oriuntur luminis oras,  
Quæque perempta atri vis leti dura resolvit,  
Quatuor in rebus statuerunt, igne, animaque,  
Humenti lymphæ, ac terra; quæ cætera gigni 465  
Corpora cuncta rati e primis elementa vocarunt.  
Et conjuncta quidem in reliquis ea quatuor esse  
Omnibus, ac genitis confusa admistaque rebus,  
Naturam per se ipsa habeant cum singula certam.  
Hinc fore simplicia in puraque existere prima hæc 470  
Natura, at mista, & compacta his cætera primis.  
Namque in corporibus cum frigus inesse caloremque  
Aspicerent, calida uno eodemque haud posse putarunt  
Corpora principio genitali, & frigida oriri.  
Adversatur enim frigus pugnatque calori: 475

Sic quoque cum ariditas insit tum liquidus humet  
 Corporibus, quæ etiam res mutua prælia miscent,  
 Arida non posse atque humentia corpora gigni  
 Principio ex uno, & communi e matre creari.  
 Quatuor his vero ratio est effectibus illa, 480  
 Per cuncta aërias quæ oriuntur corpora in auras,  
 Unus ut adversus sit cuivis de tribus uni  
 Qui superant, reliquis e binis differat idem  
 Alterutri, porro a reliquis non discrepet hilum.  
 Nam quæ cuncta calent penitus frigentibus obstant, 485  
 At vero hæc aut humida sint aut sicca necesse est.  
 Frigida sunt itidem calidis adversa, sed illis  
 Arida vel vis est aut humens, sic quoque certis  
 Humida dissidiis inter se atque arida certant,  
 Sed natura calens horum vel frigida utrisque est; 490  
 Unde quater geminos certum est in rebus inesse  
 Quatuor affectus genitis, quæ arentque calentque,  
 Quæque hument calida, & quæ frigent humida, quæque  
 Arenti e natura immisto frigore constant.  
 Quatuor esse igitur statuerunt prædita binis 495  
 Singula per se rerum elementa affectibus, unde  
 Certa quater diversa foret genitæ origo  
 Corporibus, natura creat quæ dives & auctat.  
 Esse autem calidæque ignem arentisque putarunt  
 Naturæ, & lymphæ humorem frigere liquentis, 500  
 Et tepidum humere aëra, magnæ frigore brutum  
 Telluris corpus permisto arere parentis.  
 Quatuor ipsa autem sunt credita corpora cunctas  
 Res supra ortas pura, & qualia prima necesse est  
 Esse in corporibus quæ sunt elementa creandis. 505  
 Cum vero cunctis eadem sit rebus origo  
 Materiæ, ex alioque aliud non ducere corpus  
 Semina principio pote sit, dum exorta quaternis  
 Cuncta e corporibus posuissent semina primis,  
 Quatuor hæc etiam esse in re unaquaque fateri 510

Juncta necesse fuit, primisque his cætera mistis  
 Corpora produci ex elementis, primaque cunctis  
 Confusa in genitis admistaque corpora rebus,  
 Inque unum e puris fieri coëuntibus ipsis  
 Materiem rerum quascunque sub ætheris oris 515  
 Arida producit tellus aut mobilis humor.  
 Id vero in gignendis solvendisque putarunt  
 Corporibus nosci, dum res per prima viderent  
 Quatuor hæc gigni in lucem extinctasque resolvi.  
 Suppositis etenim fornax calcaria flammis 520  
 Dum calet, & duri ardenti torrentur ab igne  
 Inclusi filices, nativum pondus in auras  
 Ætherias abit, atque urendo densa dehiscit  
 Materies, quodque e rapida de marmore flamma  
 Demitur excocto in tenuem sese aëra vertit. 525  
 At filice ex ipso si ferro alliditur, ardens  
 Scintilla, & calidus frigenti excuditur ignis.  
 Præterea in lapidem tellus densatur, idemque  
 Liquidus in marmor densando cogitur humor.  
 Sic illis igitur visum est elementa creari 530  
 Per prima hæc genitas res, corruptasque resolvi.  
 Namque rudi e terra, tenerove humore coacto  
 Fit lapis, unde aër, & candens gignitur ignis.  
 Sic quoque cum dubii subeunt certamina belli  
 Ferro instructæ acies, & totis viribus hostes 535  
 Mutua confertis exercent prælia dextris,  
 Dum cava terribili tinnitu pulsa resultant  
 Arma, vomunt crebros gladiis tundentibus ignes.  
 Præterea duris sonipes calcaribus ætus  
 Dum salit, & filices ferratis calcibus urget, 540  
 Excudit rutilos ignes, soleaque latentem  
 In tennes acer scintillam dissipat auras.  
 Defossi quoque pars chalybis rubigine sensim  
 Exesa in terram putrescit, at aëra solvit  
 Se pars in tenuem levibusque adjungitur auris. 545  
 Idem



Idem etiam fornace chalybs ardente liquefcens  
 Humorem in tenerum diffolvitur, & nova fufis  
 Ducitur e rivo ferventi forma metallis.  
 Collifis etiam diffundi cernitur ignis  
 Etrabibus, duraque abstrufam ex arbore flammam 550  
 Excudi, montesque procul fumare minaci  
 Ventorum impulsu feſe allidentibus alto  
 Stipite concuſſo patulis per mutua ramis,  
 Flammarumque globos undantes furgere in auras.  
 Denique dum magnos nativa incendia montes 555  
 Ruſtare, & calidas in cœlum volvere flammâs  
 Aſpicerent, tepidosque ardenti exſurgere fontes  
 Tellure, & magnos antra exſudare vapores,  
 Sulphureosque lacus vaſto cum murmure ab imo  
 Miſceri, & rapidis tolli fervoribus undas, 560  
 Flammarum in genitis abſtrudi ſemina rebus,  
 Omniaque ignigenas æſtus celare putarunt.  
 Tum vero omniferam varia ex humore videbant  
 Corpora naturam molli producere matrem,  
 Frondofasque comas nemorum ſtirpesque feraces, 565  
 Ac veris frondentis opes, & gramina læta,  
 Et quæ præterea e fœcundis plurima promit  
 Viſceribus terra fluido manare liquore,  
 Et liquidis teneri e guttis coaleſcere roris:  
 Quæ vigor excedens proprius cû exſtinctâ relinquit, 570  
 Tellurem in putrem partim corrumpier, auris  
 Miſceri partim, inque animam tranſire liquentem.  
 Compoſitis igitur cunctis elementa putarunt  
 Quatuor hæc ideo conjuncta in rebus ineſſe,  
 Singulaque immiſtis conſtare his corpora primis, 575  
 Quod miſtum aſpicerent e quopiam otirier ipſis  
 E primis quodvis ſe in cætera ſolvere corpus.  
 Atque ita dum miſta exoriuntur corpora, dumque  
 Dimittunt primam hæc eadem reſoluta figuram,  
 Miris junctâ modis naturæ prima putarunt 580

Omnigenæ in quovis mistorum femina nosci.

Sed jam quæ de corporibus sunt tradita primis  
 Quatuor, & longis vulgata admissaque seclis  
 Quam recta fuerint ratione inventa videndum est.  
 Idque indagandum in primis, hæc ducitur unde 585  
 Traditio, an quoniam quos supra ostendimus ortis  
 Esse quatergemini affectus variique videntur  
 Corporibus, gigni sic corpora mista necesse  
 E puris diversi affectus quibus quater insunt;  
 Ut quoniam variis distant se affectibus inter 590  
 Condita, principio possint non omnia ab uno  
 Manare, eque eadem produci corpora matre.  
 Namque e principio quædam contingeret ortus  
 Accipere affectus iidem cui prorsus inessent,  
 Principium vero reliquis foret omnibus ipsum, 595  
 Cui affectus ambo aut esset contrarius alter;  
 Nam cunctis seu sint naturæ corpora mistæ,  
 Seu puræ gemini primis e quatuor illis  
 Affectus insunt; vi sicca humore liquenti,  
 Frigore seu densanti laxantive calore, 600  
 Ut si corporibus cunctis foret una creandis  
 Materies aqua, quod Graji qui noscere mundi  
 Semina tentarunt quidam statuere priores,  
 Frigida constarent atque uda affectibus iisdem  
 Corpora, prima quibus rerum genitalis origo: 605  
 Aut arenis & calidis diversus uterque  
 Affectus, calidis vero atque humentibus alter.  
 Idque etiam omnino contingeret omnibus, aër  
 Si foret aut tellus genitis aut ignis origo:  
 Sive etiam ex ipsis duo si primordia rebus, 610  
 Ut quondam visum est nonnullis, sola fuissent,  
 Aut si forte tria, id fieret quoque prædita quædam  
 Corpora ut ex aliis quam prima affectibus essent.  
 Quandoquidem affectus, geminis quibus singula constant  
 Corpora, diversi in rebus quater omnibus insunt. 615

Ergo

Ergo quatergeminis quod sint affectibus ipsis  
 Corpora diverse sese inter prædita, visum est  
 Et dubio procul admissum, prima omnibus esse  
 Quatuor omnino genitis exordia rebus, (620  
 Cum quibus haudquaquã quæ ex his sunt condita partim  
 Corpora conveniant, his partim cætera pugnent:  
 Sed quibus & puræ mistæque affectibus ipsæ  
 Res constant, cum principiis orientia prorsus  
 Corpora conveniant, nec ab illis cætera dissent.

Hæc elementorum ratio ex affectibus iisdem 625  
 Quatuor inter se diversis, verior inde  
 Præcipue visa est, quod cum sint pura necesse  
 Esse ea corporibus quæ sint elementa creandis,  
 Quatuor hæc supra quæ ostendimus ignis & aer,  
 Humorque & tellus, sunt puræ credita prorsus 630  
 Naturæ, non plura illis numerove minore.  
 Id vero haud sensu tantum, sed posse per ipsos  
 Affectus etiam nosci ratione putarunt.

Quod cum affectibus, ut prædictum est, singula binis  
 Puræque ac mistæ naturæ corpora constant: 635  
 Cumque quater diverse affectus omnibus insint  
 Corporibus gemini, diversis quatuor esse  
 Prædita prima modis sit corpora pura necesse  
 Non minus ac mista, atque ideo quæ semina cunctis  
 Corporibus dederint, elementa fuisse quaterna. 640

Nunc vero id primum inspiciamus, quatuor illa  
 Quæ pura & reliquis sunt prima exordia cunctis  
 Tradita corporibus, tellus, aqua, spiritus, ignis,  
 An quater inter se diverse affectibus illis  
 Constant, ut nequaquam affectibus omnia primis 645  
 Composita a puris elementis corpora dissent,  
 Ut calidus siccusque ignis, sit frigida & humens  
 Lympha, calens aër natura atque humidus idem,  
 Omnipara arescens permixto frigore tellus.  
 Esse autem tales certum est ignemque liquoremque, 650

Ast animæ ardorem, telluri frigus inesse,  
 Nec ratio admittit nec vis capit ardua mentis.  
 Nam quodvis ut sit corpus frigenſve calenſve  
 Accipimus ſenſu eque effectu noſcimus ipſo;  
 Quare ſic demum naturæ ſpiritus eſſe 655  
 Credetur calidæ, afficiat ſi admota calore  
 Corpora: frigentis contra cenſebitur ipſa  
 Frigore ſi tellus hærentia corpora denſet.  
 Quandoquidem ſumme afficiunt frigusque calorque.  
 Ergo animam calidi ſi non emittere quicquam 660  
 Per ſe oſtendemus, ſed magnum reddere frigus,  
 Nec per ſe quicquam tellurem frigore matrem  
 Afficere, ac magnum potius præbere calorem:  
 Contingit ſtare ut nequeat labemque minetur  
 Quatuor his moles naturæ ſulta elementis, 665  
 Dum frigere animam apparet, terramque calere.  
 Quatuor his primis nequaquam ut quatuor inſint  
 Naturæ ex primis diverſæ affectibus illis:  
 Unde patet reliquis haud eſſe hæc ſemina rebus,  
 Quando corporibus fuerint ſi exordia plura, 670  
 Naturas eſſe his plures variasque neceſſe eſt.  
 Ac prius omnigena eſt terra de matre videndum,  
 Poſt animæ qua vi conſtet natura liquentiſ.  
 Id vero hac in re attendendum eſt, in ratione  
 Naturæ, affectu quæ vi cenſerier illo 675  
 Quo per ſe ac propria vi conſtant corpora, non quem  
 Accipiunt aliunde, & quo facile afficiuntur:  
 Prædita enim per ſe nativo multa calore  
 Frigeſcunt facile, facileque calentia contra  
 Frigentis quæ ſunt naturæ corpora ſunt. 680  
 Nam quæ frigidior lymphâ eſt natura? rigentem  
 Vim tamen ingenitam facile calefacta relinquit.  
 Illa etenim concluſa utero fumantiſ aheni,  
 Suppoſito largos æſtus ſi concipit igne,  
 Æſtuat, ingentique furit tumefacta calore. 685

At contra quisquam si animantium corpora lymphæ  
 Comparat atque animæ, per se constare calenti  
 Natura noscet: nam vita animantibus ipsis  
 E calido constat; facile tamen illa calorem  
 Nativum rigido torpentia frigore linquunt. 690

Cum forte in Scythicis brumali tempore campis  
 Horrida tempestas late desævit, & acri  
 Frigore densatur tellus, montesque nivales  
 Præcipitat gelidus gravidis e nubibus æther,  
 Omne hominum genus, & mutarum secla ferarum 695  
 Pertentat subiens ima in præcordia frigus:  
 Tum multis vita in tenues dilabitur auras,  
 Et concreta calor vitalis corpora linquit.

Balantumque greges pereunt armenta que læta:  
 Et rigido passim volucres ex æthere lapsæ, 700  
 Exstinctisque coit frigans per corpora sanguis.

Ipsa igitur tellus natura frigida non est.  
 Propterea, e liquidis lapsos quod nubibus imbres  
 Dum bibit aut humore alio madefacta liquenti est,  
 Emittit frigus: nanque id non reddere tellus 705  
 Apparet, sed qui natura est frigidus humor.  
 Ille etenim arenti dum terra emittitur ipsa  
 Afficit admotum torpenti frigore corpus.

Sed nec quod lapidum natura est frigida, terram  
 Vi quoque frigenti omniparam constare putandū est, 710  
 Ossa Themis quanquam cecinit iactanda parentis,  
 Tempore quo undivomo absorptis mortalibus imbre  
 Deucalion genus humanum reparavit, & orbem  
 Per vacuum lapides jecit, tenuique repente  
 Infusa caluere anima frigentia laxa. 715

Nam neque qua lapides tellus vi constat eadem,  
 Quãdoquidem lapidum haud una est natura, sed horum  
 Diversis valde naturis prædita vis est.

Vis etenim propria est humore carentis arenæ:  
 Gypsus item & chalybum venæ, & quæ talia tellus 720

Educit, propria natura singula constant.  
 Atque his non eadem quæ ipsi vis insita terræ est.  
 Quare telluris ratio dum quæritur, illa  
 Excludenda procul sunt, indagandaque puræ  
 Telluris vis est, num per se frigora reddat, 725  
 An caleat, tenuem ne animam præstetve calore.  
 Hæc veto ut certa possint ratione probari,  
 Præcipue ex sensu dabitur tibi nosse animantum.  
 Nam cum sævit hiems, & cælo frigidus humor  
 Densatur, canique ruunt e nubibus imbres, 730  
 Non loca tecta modo exesisque in rupibus antra  
 Arcendam ad pluviam quærunt, sed viscera terræ  
 Rimantur penetrantque feræ quis frigora vitent,  
 Seque magis calida condant tellure sub ima,  
 Frigus ubi & gelidi devitent vim aëris acrem: 735  
 Nec temere è latebris rigidæ sub tempora brumæ  
 Tristia defossis degentes otia terris  
 In lucem veniunt, cælo ni clarus aperto  
 Sol prodit, radiisque patens fulgentibus aër  
 Forte repercutitur, solitoque affecta tepescit 740  
 Terra magis, densæ fugiunt dum ex æthere nubes;  
 Sed contracta cavis gelido procul aëre condunt  
 Corpora, vere novo donec producit aperto  
 Terra sinu nitidis distinctas floribus herbas,  
 Et varios promit non uno e semine fœtus. 745  
 Tunc horrens segni resolutus membra veterno  
 Egreditur, fossasque domos terræque latebras  
 Deserit, atque situm villis deformibus ursus  
 Excutit, & totum se ad solem lambit apricum.  
 Et mutum quodcunque genus brumale perhorrens 750  
 Frigus & acre gelu sub terra conditur ima,  
 Non prius optatam lucem cælumque revisit,  
 Quam calidis gelidus tepesciat solibus aër,  
 Verque hiemem fuget informem glaciemque relaxet.  
 Ipsa igitur quot bruma tegit tellure sub alta, 755  
 Sub

Sub latebrisque gelu vitant animantia cæcis,  
 Ostendunt tenuem nativo ut bruta calore  
 Exsuperet tellus animam, illiusque tepentem  
 Naturam ex horum dabitur tibi noscere sensu,  
 Et contra ut gelida vi constet liquidus aer. 760

Id vero ex sensu non tantum nosse animantum.  
 Sed rebus licet ex cunctis tibi cernere, possunt  
 Quas tenuis calor afficere aut penetrabile frigus.  
 Namque liquens ær, & tellus arida per se  
 Tantum si afficiant, nec solis ab igne calecant, 765  
 Admotum quodvis animæ frigescit ab illa  
 Corpus, idem crebra cinctum tellure tepescit.

Hæc tamen ex multis poteris cognoscere rebus,  
 Arida quas tellus, aut humidus afficit aër,  
 Præcipueque patent e mollis corpore lymphæ. 770

Hæc etenim nostrum cum sol obliquius orbem  
 Despectat, radiosque minus concreta rigenti  
 Terra gelu in liquidum Phœbæos aëra reddit,  
 Visceribus venisque magis calet abdita terræ.  
 At quæ per campos se se diffundit apertos, 775

Et teneræ vacuis animæ conjungitur oris,  
 Non modo vim retinet gelidam, sed sæpe nitentem  
 In glaciem; pigrumque gelu concreta rigescit.

Unde patet celerem ut sistant labentia cursum,  
 Inque novum subito concrescant flumina marmor: 780  
 Utque vagus tumidum magno cum turbine in æquor

Volvere præcipites suetus Danubius undas,  
 Sol ubi decedens udum declinat ad Austrum,  
 Frigescens lymphæ qua dorso spiritus hæret,  
 Cæruleas coit in crustas glaciemque rigentem. 785

Ipsam etiam ad septem tellus qua extensa triones  
 Cingitur, offusus pallet dum nubibus aër,  
 Adversoque nitet Phœbi fax fulgida in orbe,  
 Oceanum stringi perhibent, vitreamque coite  
 In glaciem, & late undisonū concrescere marmor. 790

Ergo

Ergo quod junctum corpus tellure calefcit  
 Vi gelidum id reddit nativa fpiritus hærens.  
 Quapropter tellus animæ collata liquenti  
 Non modo non gelida eft, illi fed frigus inefle  
 Cenfendum: contra, quantum non fole tepefcit 795  
 Admoto, tenuis natura fpiritus alget.  
 Atque etiam fi quis per fe confideret ipfum  
 Omnivagum, ficcæ nec comparet aëra terræ,  
 Conftabit naturæ illum non efle calentis,  
 Sed gelidæ omnino, & rigido qui frigore terram 800  
 Non ipfam tantum, terrenaque corpora vincat,  
 Sed videatur aquis etiam non efle rigenti  
 Natura inferior, frigereque non minus illis,  
 Admotumque acri perstringere frigore corpus.

Ipfe autem ufque adeo per fe fe eft frigidus aer, 805  
 Illius ut frigens ftingat vis fola pruina,  
 Producatque nives gelidas: tenerumque liquorem  
 Grandinis in duræ crepitantia corpora vertat.  
 Atque adeo certum eft vi animam conftare rigenti,  
 Ut madidam fe fe tenuis qui colligit humor 810  
 In pluuiam, folito cum fit fublimior, æftu  
 In medio quoque denfetur, concretaque fiat  
 Grando, & flauentes late profternat ariftas:  
 Quandoquidem terræ qui obducitur infimus aër  
 Quantum eadem folis radios percuffa corufcos 815  
 Reflexit tellus calefit, gelidamque relinquens  
 Naturam, emittit calidos quos concipit æftus:  
 Præcipue æftate in media, vehementior ille  
 Aëra cum pulfat reflexus, quod ferit ipfam  
 Tunc minus obliqui folis vis ignea terram. 820  
 Altior aſt aër quo non pertingere folis  
 Reflexus potis eft, friget, femperque rigenti  
 Vi conftat, quoniam natura eft frigidus aër.  
 Nec fecus ac mollis reddit frigentia liquor  
 Admota & gelida vi ftringit corpora, quo fit 825  
 Ut



Ut pluvius coëat fluor, & concreta rigente  
 Aëre præcipitet magno cum turbine grando.  
 Quapropter plane constat per se aëra quodvis  
 Afficere admotum torpenti frigore corpus,  
 Naturaque illum prorsus frigere, suaque 830  
 Reddere vi magnum quocumque in tempore frigus.  
 Quatuor ergo illis ratio ex affectibus inter  
 Se se diversis nil rebus quatuor ipsis  
 Convenit exortis, quæ sunt exordia prima  
 Tradita corporibus, cunctisque elementa creandis. 835  
 Nanque nec humor inest calidus nec frigida in illis  
 Ariditas, cum & lympha fluens & mobilis aër,  
 Quæ sunt humentis naturæ, vi quoque per se  
 Frigenti consent, ex his quæ ostendimus ambo.  
 Ipsa autem cui vis arens est insita tellus 840  
 Sit potius calidæ naturæ qualis & ignis.  
 Quod si ut deductum est, eâ corpora quatuor, ima  
 Tellus, & mollis liquor, aër, ac levis ignis,  
 Quatuor haud primis sunt his affectibus inter  
 Se diversa quater, naturæ corpore quales 845  
 Quatuor in genito certum est existere quovis,  
 Omnino constat non hæc affectibus esse  
 E primis ipsis orto in quocumque quaternas  
 Corpore naturas, cunctis elementaque prima  
 Ac rerum omnino si exordia plura fuissent. 850  
 Diversa inter se, & natura singula, vique  
 Esse sua, a reliquisque foret differre necesse.  
 At vero haudquaquam sunt talia quatuor illa  
 Corpora, sed cum alio natura singula eadem.



SCIPIONIS CAPIICII  
DE PRINCIPIIS RERUM  
AD PAULUM TERTIUM  
PONT. MAXIMUM  
LIBER SECUNDUS.



ORPORA qui primus descripta  
pingere forma,  
Certum opus assimulans studuit,  
pingensque referre  
Naturam, humanæ digitum cir-  
cum tulit umbræ:  
Lineaque oppositum conspecta est  
ducta referre

Corpus, & effigiem similem sic ponere vero. 5  
Hinc rerum species imitari certius arte  
Inventa, & molles alii miscere colores  
Cœperunt, propriumque decus sensim addere formis:  
Conati certum pingendo ostendere morem  
Naturæ, atque umbras rerum monstrare sequaces. 10  
Unde ipsos modo non spirans elusit imago  
Artifices, nativa ratos se ponere, pictor  
Quæ vaser in tabulam mira deduxerat arte.  
Sic hominum incipiens sensim mens dædala partes  
Certius expressas picto est imitata, rudisque 15  
Succes-

Succedens vitia expoliit solertia secli,  
 Tantum acuit longo ingenium se tempore, dulci  
 Dum demonstrandi naturam flagrat amore.  
 Sic & qui arcanos ortus ostendere rerum,  
 Primaque nascentis cœpere exordia mundi, 20  
 Ex aliis alias naturæ ducere causas  
 Aggressi, varie super his statuere, diuque  
 Certarunt penitus rationem exquirere veri,  
 Et cœca eripere humanas caligine mentes,  
 Donec longa dies, variosque exculpta per usus 25  
 Mens iter invenit veri ad sublimia templa,  
 Et certas rerum, quantum non impedit ægra  
 Mortalis ratio, causas ostendit, & ortus;  
 Quæ modo tam densis procul inde ambagibus actis,  
 Abdita naturæ cupientes claustra subire, 30  
 Ante oculos interque manus exposita tuentur,  
 Omnia Pierio a nobis conspersa liquore.

His igitur statuendum est perspicueque tenendum  
 Quid sit quod dicunt elementum, & vis ratioque  
 Est ejus scrutanda rei noscendaque primum, 35  
 Ut, plura, anne unum sint rerum semina corpus.  
 Utque, illud cunctis fuerit quod origo creandis  
 Corporibus reliquis liceat discernere quid sit,  
 Atque animis rerum naturam noscere aventum  
 Hæc monstrare novo ac dulci comperta labore. 40  
 Ac ratio omnino duplex est corporum in ipsis  
 Principiis ex materia, ex formaque petita.  
 Et nunc materiæ primos tractabimus ortus,  
 Semina quæ mundi rerumque elementa vocamus.  
 Porro id cum liquido, (naturæ conditor ausis 45  
 Annuat his tantum) & vera ratione probarim,  
 Tunc demum quæ sint ostendam exordia formæ.  
 Principium nanque id rebus datur omnibus, ex quo  
 Progenitis primus reliquis deducitur ortus,  
 Atque in quod redeant demum resoluta necesse est. 50  
 Et

Et talis cuncti naturæ elementa putarunt.  
 Ut vocum primas, quarum quod quæque figura  
 Sit signata sua deductum est littera nomen,  
 Prima elementa vocant, primis quod vocibus his fit  
 Cuncta oratio, ad extremumque resolvitur ipsas 55  
 Illius sonus in voces, unde illi erat ortus.  
 Talia enim haud rerum cunctarum corpora prima  
 Esse queunt, si plura ea sunt, ut detur in illis  
 Esse gradus quosdam, per quos concrefcere possint  
 Dissolvique eadem, eque alio primordia sumat 60  
 Ex ipsis aliud: nam quod sua semina ducit  
 Ex alio, non est reliquis id rebus origo.  
 Syllabæ enim vocem efficiunt, minime tamen ipsæ  
 Sunt verborū elementa, quod haudquaquā datur, ortum  
 Ut primo tradant hæ verbis, litteræ ut ipsæ, 65  
 Et neque in extremas oratio solvitur illas.  
 Syllabæ & ex ipsis vocum fiunt elementis,  
 Inque eadem demum redeunt extrema solutæ.  
 Quapropter primis oratio manat ab illis,  
 Non etiam ipsæ sunt verborum syllabæ origo. 70  
 Sic in principiis naturæ haud est elementum  
 Id corpus quo non contingit cuncta creari  
 Ex primo, aut in idem extremum resoluta redire,  
 Fitque ipsum ex alio, inque aliud se solvit ab itque:  
 Sed prima id prorsus genitis est rebus origo 75  
 Atque elemētum, ex quo, ut dictū est, cōcrefcere primo  
 Cætera, in extremumque resolvier omnia certum est.  
 Ipsumque ex alio nequaquam semina ducit,  
 Inque aliud nulla se se ratione resolvit.  
 At reliquis si prima quidem quis semina rebus 80  
 Plura elementa esse, hæc credat tamen ipsa creari,  
 Inque vicem solvi, vera a ratione recedit.  
 Ni recte is dici in lapidem dissolvier undam,  
 Ac terram putet e ligno concrefcere putri:  
 Sed lapides contra recte ex humore creari 85

Dicuntur, lignumque in terram putre resolvi.  
 Sic cum ex unda aër fit, nequaquam ille creatur  
 Ex humore, sed in lympham dissolvitur aër.  
 Quum vero fit aqua ex anima, non solvitur undæ  
 In naturam aër, ex hoc sed cogitur humor. 90  
 Ergo aqua cum fit, eam concrefcere ab aëre certum est.  
 Atque hunc in lympham minime dissolvier, ipso  
 Contra, ubi fit, nequaquam anima ex humore creatur,  
 Laxando tenuem sed in aëra solvitur unda.  
 Non ullum vero se vertere corpus in unum 95  
 Alterum idem dabitur, solvendo itidemque creando.  
 Sed quodcunque aliunde creatur, constat id ipsum  
 In corpus, dissolvendo non ire creando.  
 Quod se solvit in alterum, id ipsum rursus ab illo  
 Concrefcens non se solvens prodire fatendum est. 100  
 Quapropter nequeunt elementa nec ulla creari  
 Mutuo, & hæc eadem se se inter corpora solvi.  
 Quod si elementa ortis reliquis sunt semina prima  
 Corporibus, nequeuntque inter se se illa viciffim  
 Concretu fieri, atque in idem resoluta redire, 105  
 Atque omnes concretæ res cunctæque solutæ,  
 Posteriores iis sunt, ortus unde creatæ  
 Duxerunt illæ, atque in quæ rediere solutæ,  
 Haud dubio apparet, quod supra ostendimus, illud  
 Esse elementum, ex quo rerum concretio primo 110  
 Atque in quod postremum fit resolutio, & ipsum  
 Concretum non est, nec quod dissolvitur unquam.  
 Quare his quæ haud dubia & clara ratione probantur  
 Perfpectis, via certa patet, qua nosse elementum  
 Principiumque datur, quo rerum copia manat. 115  
 Nam cum naturæ quæfitis partibus, illud  
 Compertum fuerit corpus quo cuncta creantur  
 Ex primo, & quod in extremum omnia dissolvuntur,  
 Hoc elementum esse, & cunctis hinc semina duci,  
 Corporibus certo liquet, & res indicat ipsa. 120

Ergo creandi quod præstat primordia corpus,  
 Et dissolvendi finem videamus, ut illud  
 Principium exortis detur genitabile rebus.

Id vero hæc in re valde est dubitabile, an ignis  
 Cujus materia apparet tenuissima, primis 125  
 Sit ne ex corporibus, prima est ut quatuor inter  
 Corpora decretum, quando concreta per ipsum  
 Ignem præcipue dissolvi corpora certum est.  
 Atque id magnopere est mirum, posuere quod ignem  
 Corporibus primis ex illis quatuor unum: 130  
 Quod minime liquet an natura est præditus ignis  
 Corporea: ac magis est illud dubitabile num sit  
 Corpus quam primis unum si ex quatuor illis.  
 Quare est noscendum in primis, corpus ne sit ipse  
 Ignis ut & tellus, undæque & liquidus aër. 135  
 Ac talis prorsus natura est corporis, insint  
 Ut species illi quævis, hærendoque se illic  
 Contineant, & sit speciei subdita prorsus  
 Materies cuius, corpus quam sumsit idipsum.  
 Porro quicquid inest natura corpori, & illi 140  
 Insidet, haud corpus, species sed corporis hoc est,  
 Corporeamque esse speciem haud pote corpus eandem,  
 Ac novâ naturæ cum forma accesserit ipsi  
 Corpori, ab hoc prior evanescat forma necesse est:  
 Nec ratione queunt ulla subjecta in eadem 145  
 Materia incolumes distinctæ existere formæ  
 Rerum, quâs varius naturæ contigit ortus.  
 Sæpe autem incertis penetralem cernimus ignem  
 Corporibus, rutilo quoties ardere calore  
 Contingit validas quercus, ferrique metalla, 150  
 Et silices duros: nanque hæc cum fervidus ardor  
 Afficit, & valido ignescunt correpta vapore,  
 Sunt eadem, nec ab igne prior sublata recedit  
 Forma illis, ac non ignis, sed ea ignea fiunt:  
 Atque ignis non ut naturæ propria forma, 155

Certa sed ut species est ipso in corpore inhærens,  
 Dum natura illic alia est quæ in robore tosto  
 Infidet aut ferro, vel in his quæcunque colorat  
 Ardor, & irrepens ignis color aureus ambit.  
 Non etenim una dari poterit, quod diximus ante, 160  
 Materia ut teneat naturas subdita binas.

Ergo cum ipsius talis natura sit ignis,  
 Ut certo infideat cui sit sua corpora forma,  
 Quodque sua consistat vi, liquido patet ignem  
 Nequaquam corpus speciem sed corporis esse: 165  
 Nec constare sua per se vi posse, sed ipsum  
 Omnino certis hærendo in rebus inesse:  
 Et quodvis propria corpus constare necesse est  
 Natura, & certa per se consistere forma.

At verò si qui non hunc quem cernimus ignem 170  
 Esse id contendant primum genitabile corpus,  
 Sed procul a nobis alia in regione locatum:  
 Quam nequeunt sensus mortales cernere, & illum  
 Ignem elementum purum esse, & super omnia simplex:  
 Id posse haud ullo certum est contingere pacto, 175  
 Quandoquidem certum si usquam esset corpus, idem esse  
 Nulla alibi posset ratione quod accidit ipsi  
 Corpori, & a nobis species quod dicitur hærens;  
 Quod minime in rerum natura sit dare quidquam  
 Quod certum per se se alibi sit corpus, idemque 180  
 Sit species alibi subjecto in corpore inhærens.

Quare omnino ignem corpus non esse fatendum est,  
 Quod speciem constet subjecti hunc corporis esse.  
 Nec pote corporeum est ullis regionibus ignem  
 Ardere, & celsi subter nova mœnia mundi 185  
 Hoc elementum esse, ac vana est ea fabula, mentes  
 Implicitas longis cæcas ambagibus urgens.  
 Nec magis id vera ductum a ratione putandum est,  
 Quam cœlo advectum terris, fictoque dedisse  
 Mortali infusam vitæ primordia flammam: 190

Tempore quo primum delato ex æthere fertur  
 Incaluisse suo tellus defecta vapore:  
 Et vastrum aërias ausum conscendere sedes,  
 Et Phœbi propius flagrantem accedere currum  
 Subduxisse ferunt cœlesti ex arce Prometheus, 195  
 Fomite servatum arenti, optatumque tulisse  
 Æthereum cassis terreno gentibus ignem.  
 Ac dum naturæ rationem quærimus, illud  
 Valde advertendum est, illos quod convenit inter  
 Arcanos suevere ortus qui exquirere rerum; 200  
 Naturæ ipsius rationem rebus ab illis  
 Præcipue duci, sensus quas indicat, hæcque  
 Certa est e sensu ratio quæ redditur ipso.  
 Sensus enim sic cuncta trahit, sic cernit aperte,  
 Ut facile nequeant ea quenquam fallere quæ sint. 205  
 Sensibus exposita, & cunctis hoc cognita pacto.  
 Ergo longe illi vera a ratione vagarunt,  
 Quis late ex ipsis apparet sensibus, ignem  
 Nequaquam corpus, speciem sed corporis esse,  
 Corporeumque illum, & per se constare putarunt: 210  
 Quod sentire illis nusquam nec contigit ulli.  
 Quapropter certum si esset vis ignea corpus,  
 Ante oculos cunctis obversaretur id ipsam:  
 Præsertim ex primis si esset genitalibus illis,  
 Ac neque semotum a nobis sed sensibus esset 215  
 Objectum, & facile attractu, passimque pateret,  
 Teliurem veluti atque humentem cernimus undam  
 Corporibus constare suis, ipsumque liquentem  
 Aëra, non facile quanquam sit visibilis ille.  
 At ne quis proprie flammam esse existimet ignem, 220  
 Corporea cum sit specie, quod corpora quævis  
 Verberat opposita, atque ex his reflectitur illa,  
 Igni propterea certum contingere corpus,  
 Ostendemus quo pacto sit corporis ignis  
 Subjecti forma, quiddamque quod accidit illi, 225  
 Ipsius



Ipsius seu dura ignis, tenuissima seu sit  
 Materies, qualem aspiciamus contingere flammæ.  
 Et cum crassa quidem sint ignea corpora, quale  
 Aut lignum, aut ferrum, aut ea sunt quæ diximus horum  
 De genere, haud dubia constat ratione probari, 230  
 Certi quin habeat naturam corporis illa  
 Ignea materies, ut ligni aut æris, & ipsum  
 Illius speciem certi fore corporis ignem:  
 At cum materia est ipsius tenuior ignis,  
 Hoc est candenti rutilans e corpore flamma, 235  
 Ipse etiam est species cujusdam corporis ardor,  
 Idque ipsum constat genitalem ex aëre corpus.  
 Quo tamen id fiat pacto tibi nosse licebit  
 Cum flammam aspicias orientem, utque excita surgat,  
 Et tremulum ardenti splendorem ducat ab igne: 240  
 Nam cum materiam quamvis ita corripit ardor  
 Igneus, ut flammæ candentes excitet undas,  
 Illam dum penetrans ignis depascit, id ipsum  
 Ardendo in tenuem dissolvitur aëra corpus,  
 In ventosque abit, & teneris conjungitur auris: 245  
 Is vero ardenti fulgens qui e corpore prodit  
 Spiritus, ut primum aëris exhalatur in oras  
 Igneus, & tremulo rutilans est flamma nitore,  
 Mox anima à reliqua circum quæ effunditur, ille  
 Exceptus, calidam quæ inerat vim deferit, & se 250  
 Frigerat, in mollesque auras flamma ipsa recedit,  
 Et color undantis remanet fumi, aëra donec  
 In purum vapor, & nitidas dissolvitur auras.  
 Sæpe etiam haud flammæ specie tenuissimus aër,  
 Ipse sed ardenti fumus de corpore prodit, 255  
 Quum minus arescunt quæ fervidus ardor adurit:  
 Aëreque e tenui constat qui emittitur, ipso  
 Halitus ardenti de corpore, seu color ater  
 Sit caligantis fumi seu flammæ coruscans.  
 Quapropter corpus per se non esse fatendum est, 260  
 Sed

Sed speciem certam subjecti corporis ignem.  
 Atque ea materies, cui ut diximus accidit ardor,  
 Corporis est certi semper, seu crassior hæc sit  
 Ut lignum ac lapides, ac vis durissima ferri:  
 Aut levis, in flammam ut surgens spiritus, ardens 265  
 Quem calor exhalat, tenuisque resolvit in auras.  
 Ii quoque qui vacui nascuntur in aëris oris,  
 Inque illa apparent ignes regione micantes,  
 Post modo quo fiant pacto ostendemus, & apte  
 Dicemus, quæ vis, & quæ natura sit illis. 270  
 Materies tamen omnino est his spiritus, acris  
 Ut flammæ, puroque accenso ex aëre constant,  
 Ut cum flammanti contingit lumine cælum  
 Ardere, ac facibus subito fulgere coortis,  
 Accendique cavas nubes, ductaque repente 275  
 Fulminea aërias auras splendescere rima.  
 Aut cum terribili vi candens fulminis æther  
 Emitterit tremulo flammam fulgore coruscas:  
 Unde homines tacti pereunt, armentaque passim  
 Exanimantur, eoque ruit cum murmure, ut ipsas 280  
 Conquasset turres, avellat tigna, domosque  
 Disturbet, validoque altas petat impete silvas;  
 Nec duræ obstitunt quercus, innoxia tantum  
 Virginea ingenti servatur laurus ab ictu.  
 Ergo ardet rutilisque nitescit ab ignibus aër, 285  
 Ignivomaque micant accensæ lampade nubes,  
 Et passim volucres volvuntur in æthere flammæ.  
 Quapropter quoniam manifeste ostendimus ignem  
 Corpore nequaquam constare, undasque liquentes  
 Et gravidam tellurē haud esse elementa, videndū est, 290  
 An ne unum sit rerum elementum, idque unicus aër,  
 Illeque corporibus cunctis genitalis origo.  
 Quando præterea corpus non cernimus ullum  
 Principium dare gignendi, sed corpora ab illo  
 Produci, & reliquis hinc esse exordia rebus. 295

Ergo

Ergo aër per se si tale est corpus, ut ullum  
 In corpus se se aliud non solvat, & ipse  
 Nunquam concrefcens quovis ex corpore fiat,  
 Sed solvendo, liquet non unquam posse creari  
 Aëra nec solvi: atque ideo quæ cuncta creantur 300  
 Inque aliud sese dissolvunt corpora, ab illo  
 Principio fieri, rerumque hunc esse elementum,  
 Sed dubio procul & manifesta in luce videmus,  
 Corpora dum quævis solvuntur, in aëra verti  
 Hæc eadem, corpusque dari non amplius ullum 305  
 In quod sese aër idem dissolvit, in ipso  
 Sed dissolvendi extremo contingere finem.  
 Nullo autem pacto solvi magis omnia certum est  
 Corpora, quam rapida vi ignis tenuique calore.  
 Idque vides latera undantis cum lambit aheni 310  
 Ignis edax, ut lympa acri penetrante calore  
 Commota in teneras fervendo solvitur auras,  
 Nec spatio angusto capiens sese amplius, alte  
 Permistas volvit bullis crepitantibus undas,  
 Quodque illi a calida sensim vi demitur, udo 315  
 Cum fumo in tenuem volitans sese aëra solvit.  
 Ipse etiam pater Oceanus qui amplectitur amplam  
 Tellurem & late in vastum diffunditur æquor,  
 Quod gremio innumeros fontes, & flumina tellus  
 Quot parit immenso capit, haudquaquã additur illi 320  
 Humoris quicquam, nec aquæ sit copia major:  
 Sed dum flammifero ferit ipsum lumine Phœbus,  
 Verberibusque quatit radiorum, uritque coruscis  
 Ignibus, exsiccat rapido solvitque calore  
 Lympharum quidquid faldas maris influit undas, 325  
 Aëraque in purum, & liquidas id vertit in auras.  
 Sic etiam ingentem statuit cum evertere silvam  
 Agricola, ut possit curvo proscindere aratro,  
 Atque apta uberibus nova reddere frugibus arva,  
 Hanc valida cedit primum sternitque securi, 330

Inde ardens rapido flagrat cum Sirius æstu  
 Fragminibus rutilum congestis subjicit ignem,  
 Qui tenues primum frondes, atque arida pascens  
 Virgulta, in ramos elapsus robora dura  
 Corripit, arboreamque struem populatur, & omnē 335  
 Involvens flammis silvam, furit undique cœlo  
 Candentes undas mista caligine tollens:  
 Isque ubi desævit late, victorque per imas  
 Irrepsit quercus, jamque acri pabula desunt  
 Ardori, & minuunt paulatim incendia vires, 340  
 Materies ingens, magnæque cadavera silvæ,  
 In cineres partim ventis agitanda recedunt,  
 Inque animam reliqua, & volucres solvuntur in auras.  
 Non ne vides etiam si forte incautus arator  
 Condidit, aut madidas paleas aut humida prata, 345  
 Pabula defessis hiberno in tempore bobus  
 Quo paret, incaluitque humor, penitusque repostis  
 Fit mucor stipulis, tetrum qui exhalat odorem,  
 Extrahat ut magnis putrem fœnilibus ille  
 Congeriem, latum in campum, flammaque voraci 350  
 Corripiat, circum incipiens quæ lambere sensim  
 Irrepat, penetratque intra, atque incendia late  
 Dissipat, inque leves ventis glomerantibus auras  
 Intima depascens cum fumo volvitur atro;  
 Quique erat e paleis modo mons absumtus ab igne, 355  
 Quantum non cinis exiguus fit, se aëra solvit  
 In vacuum, & levibus miscetur spiritus auris.  
 Nec non & pulvis flammis velocibus esca  
 Sulphureus rapidos quo nil violentius ignes  
 Concipit & longe mista caligine differt, 360  
 Tormento immissus flammaque arreptus, in atram  
 Solvitur aëriam nebulam, spatiumque receptus  
 Angusto in tantum convertitur aëris, ut se  
 Impete cum vasto late diffundat in auras,  
 Ac solida ignivomo pila ferrea clausa colubro, 365

Vis animæ erumpens illam cum ferrea torquet,  
 Ocior & ventis rapidis, & fulmine fertur,  
 Unde altæ nubes, & liquidus intonat æther,  
 Et gravis horribili quatitur terra ipsa tremore:  
 Quin etiam valido sternuntur mœnia ab ictu, 370  
 Sublimesque ruunt vastis cum turribus arces.  
 Quod sæpe antehac, & licuit nunc cernere magnus  
 Cum pia bella movens, & iusta accensus ad arma  
 Carolus undisonum constravit navibus æquor,  
 Et geminæ Hesperix collecto flore suisque 375  
 Germanis Libyæ venit sitientis ad oras,  
 Prædonumque ducem immanem qui e sedibus Afrum  
 Expulerat regem patriis, sceproque potitus  
 Per populos late victor regnabat, & urbes,  
 Et Turcas socios Tuneti compulit intra 380  
 Mœnia se clausis trepidos defendere portis.  
 Hic liquido patuit, claustro resolutus ahenò  
 Spiritus erumpens quanto furit impete, & in quod  
 Se se ingens quali vertit cum turbine corpus,  
 Cum turrita arcis mœles quæ ingentia circum 385  
 Stagna refusa mari pelagusque attollitur ipsum,  
 Aggeribus validis vallata, atque ardua latis  
 Mœnibus, antiquæ urbis propugnacula magnæ  
 Terrificos passa est ictus quos ænea monstra  
 Fuderunt, celsas quatientes murmure nubes; 390  
 Emissi visa est vis ingens aëris illa  
 Fulmineas deferre pilas, atque omnia late  
 Proruerè, & solidas valide prosternere turres,  
 Multa virùm subdens decussis corpora muris.  
 Ipse videbatur violentis ignibus aër 395  
 Ardere, & crassa impleri caligine cœlum.  
 Arx crebro icta ruit, passimque impulsa fatiscunt  
 Mœnia, præruptasque implent labentia fossas.  
 Infima quassatur tellus, tonat arduus æther,  
 Africa terribili tremit horrida terra tumultu, 400

Vi tanta erumpit clausus dum solvitur aër.  
 Magnopere hic ingens potuit vis aëris illa,  
 Et vis dura virum per aperta pericula cæco  
 Pectore, & intrepide per funera certa ruentum.  
 Præcipue tamen enituit memoranda parentis 405  
 Ætherei pietas, dextro qui lumine gentem  
 Aspexit, fovitque piam dum ad prælia vires  
 Addidit, atque animos sceleratum accendit in hostem,  
 Oppressus valide qui invicto robore turmæ,  
 Deficiensque animis, dat laxis turpia habenis 410  
 Terga fugæ, nec jam se pugnae credidit ultra;  
 Innumeroque licet stipatus milite, vires  
 Expertus validas, & nescia pectora vinci  
 Per deserta pavens, & siccas fugit arenas.  
 Ast urbem ingressus ducens victricia Cæsar 415  
 Agmina fœdifragi fera pectora contudit hostis,  
 Et patriæ ejectum regem solioque reponens,  
 Extremosque suum pervulgans nomen ad Afros,  
 Reddidit imperio Pœnorum regna Latino.  
 Sed longe incepto divertimus, inclyta magni 420  
 Cæsar, Hesperique juvat dum facta referre  
 Militis, & tanti successum extollere belli;  
 Dumque ex accensi vi ingenti ostendimus atri  
 Pulveris, in tenuem ut sese aëra corpora solvant.  
 Id vero haud dubia constat ratione, patetque 425  
 Ad sensum, & liquido manifesta in luce probatur.

Quod superest, anima ostendemus corpora eadem  
 Produci, atque ipsum rebus solum esse creandis  
 Aëra principium cunctis certumque elementum:  
 Hanc vero hoc poteris rationem noscere pacto. 430  
 Res inter genitas certum est existere primas,  
 Undam, ac terram, quas etiam, quod cætera gigni  
 Corpora cernebant ex his, elementa putarunt.  
 Et tamen ex anima manifestum est illa creari,  
 Namque liquens ipso concrefcit ab aëre lympha: 435

Hæc etenim cum se densando colligit, humens  
 In corpus coit, atque in stillas cogitur udas,  
 Tum liquidis passim convexi ex ætheris oris  
 Labuntur teretes depressæ pondere guttæ  
 Ad terram, pluvioque madescunt omnia rore, 440  
 Concretoque ferax perfunditur aëre tellus.

Atque ipsum aspiciamus post cælum sæpe serenum  
 Aëra turbari subito, totumque coortis  
 Nubibus obfundi, atque imbres effundere largos,  
 Quis perfusa madet tellus, siccasque liquenti 445  
 Æthere delapsam per venas concipit undam.

Præterea stillas setis quæ e mollibus ora  
 Ad bovis exiguæ pendent, ex aëre constat  
 Concreto gigni bove qui spiratur ab ipso,  
 Dum coit in guttas flatus, lymphamque fluentem, 450  
 Præsertim riget hiberno cum frigore cælum.

Ergo ex his constat, concretus ut ipse liquorem  
 Spiritus in fluidum, atque in spissas vertitur undas.

Quod vero ostensum est in lympa, cernitur ipsa  
 In tellure etiam, & si non tam sæpe coacto 455

Ut crassum corpus genitali ex aëre fiat,  
 Cum lapsa e cælo guttis pluit illa cruentis,  
 Concretique rubet per campum sanguinis instar.

Hinc pavor ille rudis vulgi crudelia adesse  
 Fata rati, exitiumque illinc mortalibus ingens 460

Portendi, attoniti quod non contingere crebro  
 Id videant, & mira pavent, humilique frequentes  
 Cum prece solennes adeunt, & vocibus aras,  
 Prodigiumque atrox credunt, lacrimisque piandum.

Quare anima e tenui terram concrefcere certum est. 465  
 Quapropter quoniam humēs lympa atque arida tellus

Quæ reliquis liquido patet esse priora creatis  
 Corporibus tenero concretæ ex aëre fiunt,  
 Haud dubie constat, rebus certum esse creandis

Aëra principium reliquis unumque elementum 470  
 Cor-

Corpora quo e primo genitalia cuncta creentur.

Sed jam de cœli natura nobilis illa

Ardua que & late per magnas diffusa gentes

Quæstio tractanda est, ejusdem an corpus id ipsum  
Sit naturæ, atque id genitis quod diximus unum 475

Principium fore corporibus rerumque elementum,

An ne sit ex anima cœlum, ex illoque creatum

Principio, an constet per se, ingenitum inque creatum

Sit prorsus, nullisque unquam mutabile seclis:

Naturæ ipsius penetramus ad intima, summis 480

Perquisita diu ingeniis, avidæque petita.

Tu mihi tu cœlique parens terræque repertor

Tantum opus, & prima da certa ab origine mundum

Pandere, tu vires tribuens ingentibus ausis,

Ignarumque viæ tua per vestigia ducens, 485

Discute mortales tenebras, & pandere veræ

Da rationis iter, radiisque offunde supremi

Numinis, unde rudi spiretur flatus avenæ.

Antiqua & longis vulgata est undique seclis

Corpore de cœli ratio, cunctisque recepta, 490

Quorum animos sophiæ perdulcis perculit ardor,

Quod sit natura constans minimeque caducum,

Et quod non ullo valeat mutarier ævo;

Corrumpatur enim prorsus intereatque necesse est

Quicquid mutatur, nec statu constat eodem. 495

Ast id quod nunquam afficitur, sed par sibi durat,

Et semper simile est, non vi corrumpitur ulla,

Sed persistit idem, atque omne immortale per ævum.

Per longa est vero observatum secula, sicque

Res habet omnino, spatiis ut semper eisdem 500

Moleque Sol fuerit rutilans, & candida Phœbe,

Et reliqua immenso radiant quæ lumina mundo,

Tempore nec quicquam accessisse his corporis ullo

Detractumve aliquid, cunctis tum prorsus eandem

Luminibus speciem & primum mansisse tenorem: 505

Atque



Atque id tum cuncti affirmant, tum sidera nusquam  
 Immutata aliquo compertum traditur ævo.  
 Quare ex perpetua qua corpora semper eadem  
 Mensura ac specie ut certum est cœlestia constant,  
 Decrerunt naturam his non mutarier unquam. 510  
 Præterea e motu rationes sumere quidam  
 Cœlesti atque alias tentarunt tradere causas,  
 Quis liqueat cœlum esse aliud differreque rebus  
 A reliquis longe, & quod non mutetur, idemque  
 Permaneat semper, cunctis præstantius unum. 515  
 Quis tenor haud certus nec status contigit idem.  
 Maxime enim cum sit perfectus motus in orbem,  
 Quod sic cunque agitur natura corpus, id ipsum  
 Corporibus dicunt reliquis præstare, feruntur  
 Quæ recto per se motu sursumve deorsumve, 520  
 Atque ipsum circumduci volvique suapte  
 Natura, cœlum, diverso cætera motu  
 Corpora sustolli levitate, aut pondere labi,  
 Cum tan.en hæc uni nequeant contingere cœlo,  
 Quod minime sursum recta ferrive deorsum, 525  
 Sed suo agi tantum motu contingat in orbem.  
 Proptereaque ipsum propria constare, aliaque  
 A reliquis fore natura, differreque longe  
 Corporibus, varie quæ obitu mutantur & ortu.  
 Præterea nunquam cœlum corrumpier ipsum 530  
 Possè, creatumve haudquaquam genitumve fuisse,  
 Quod rebus reliqua ex adversis omnia constet  
 Corpora produci, atque eadem in contraria solvi:  
 Cœlestis vero naturam hanc corporis esse,  
 Non ullum ut corpus queat adversarier illi 535  
 E quo vel primos ipsum deduxerit ortus,  
 Vel quod in extremum possit tandem ire solutum;  
 Quod natura inter sese contraria quævis  
 Motibus adversis omnino corpora agantur,  
 Altera dum tendunt in præceps, altera surgunt. 540  
 Cœle-

Cœlesti autem cui proprium est ut agatur in orbem  
 Motui, sit minime motus contrarius alter,  
 In rectis veluti contingit motibus, ut sit  
 In præceps motus surgenti adversus, & illi  
 Is qui sursum agitur pugnet contraque feratur, 545  
 Quod detur nequaquam ipsa in vertigine, quæ sit  
 Talis ne motus sit ei contrarius ullus.

Sic itaque ex motu quo moles illa rotatur  
 Corporibus cœlum censent differre, proculque  
 Distare a reliquis mundi quæ ad summa feruntur 550  
 Natura motu recto, aut labuntur ad ima,  
 Et quæ mutari passim, & corrupta renasci,  
 Inque aliud transire liquet semperque novari,  
 Proptereaque esse haudquaquam mutabile cœlum,  
 Cui natura insit non unquam obnoxia fini. 555

Qualia sint ergo hæc videamus cuncta, priusque  
 De specie est illud constanti ac mole videndum,  
 Quis cœli statuere orbis constare profundi,  
 An ne ideo hæc liqueat non immutarier unquam.  
 His vero in rebus quis non miretur, & alto 560  
 Non putet ac longo oppressos statuisse sopore  
 Talia de prima nascentis origine mundi  
 Solertes tot patrum animos, errasseque vera  
 A ratione procul, quævis dum æterna putarunt  
 Ex spatio ac forma longo constantibus ævo 565  
 Corpora, nec proprium hæc unquam variare tenorem?  
 Quæ si certa putent, plura hoc terrestria pacto  
 Corpora constarent non ulli subdita labi,  
 Quæ longum specie ac mensura prorsus eadem  
 Inconsumta manent: hæc sed tamen omnia certum est 570  
 Vi quavis correpta sua decedere forma,  
 Aut validis tandem corrumpi viribus ævi.  
 Nam duri quanquam silices frangantur, & aurum  
 Succumbat ferro rutilans, atque igne lique scat,  
 Sæpe tamen manet his eadem natura suoque 575

Persistunt longum statu, formaque per ævum.

Et fragiles conchæ durant quandoque proculque

Undarum rabie integræ servantur, & illas

Non etiam crescens circum vis saxea mutat.

Sæpe etiam molli durata coralia cœlo 580

Et nitidas constat longo post tempore gemmas

Non immutari, & sanguis quem mitigat hirci

Non longinqua modo potis est excedere secla,

Sed ferro haud unquam cedit nec vincitur igne

Indomitus vivaxque adamas, ac permanet idem. 585

Sic & naturæ ars imitatrix plurima monstrat

Quæ valeant longas seclorum vincere metas.

Sæpe etiam tenui ex argilla cernimus urnas

Annorum contra illæfas persistere cursus:

Quin & majorum spiranti è marmore vultus 590

Et fabre incisos lapides grandæque columnas,

Pluraque de genere hoc quandoque excedere longam

Anporum seriem, nec tempore labier ullo.

Hæc tamen exstingui ut quævis terrestria certum est,

Et veniente suo solvi tandem omnia fine. 595

Ergo quod forma & spatio cœlestia certo

Corpora constiterint longum haud mutata per ævum,

Non ideo efficitur certo ne tempore solvi

Mutarive queant, haud unquam subdita leto:

Quandoquidem sæpe annosis quamplurima seclis 600

Corpora permaneant eadem, cum hæc lædier ulla

Vi non contingat, nunquamve affecta novari.

Quæ vero immenso torquentur sidera mundo,

Par fuit ut puro constarent corpore, longum

Mansuro, & tali quæ essent motuque locoque 605

Disposita, afficerent ne se subito, atque vicissim

Conflerentur, sed longos serius annos

Durarent eadem, quo perfectissima mundi

Ipsa diu moles statu duraret eodem.

Quare quod certo haud mutatur tempore quodam, 610

Nc-

Nequaquam certum est id non mutarier unquam.  
 Nam complura quibus prorsum est mutabile corpus,  
 Nil mutata diu mansura in secula durant.  
 Ergo quod spatio observarint sidera certo  
 Incorrupta diu, & forma persistere eadem, 615  
 Non ideo efficitur, ne sit mutabilis unquam,  
 Et nusquam cœli natura obnoxia fini.

Quod superest nunc de motus ratione videndum est,  
 An ne sit immensum minime mutabile cœlum,  
 Infima mutari quævis ut corpora constat, 620  
 Idque animadverti in primis noscique necesse est,  
 Non eadem cœli corpus ratione rotari,  
 Cætera qua motu recto surguntve caduntve.  
 Quandoquidem rectum non ullis cernimus esse  
 Corporibus motum, quæ etiam per se altero aguntur 625  
 Nequaquam recto, ut motus in corpore eodem  
 Natura prorsus varios contingat inesse:  
 Propterea haud fieri ne cum vertigine rectus  
 Esse etiam nequeat cœlesti in corpore motus,  
 Ut quodvis recta aut sursum levitate feratur, 630  
 Aut ruat in præceps depressum pondere corpus,  
 Et plerisque etiam motus, quod diximus, alter  
 Ex vi corporea & forma cujuslibet insit,  
 Cum rectus minime ex forma sit corporis ac vi,  
 Sed levioe idem aut graviore ex pondere constet, 635  
 Quod subjecta in materia consistere certum est.  
 Quare ex vi propria cœlum formaque rotatur,  
 Corpora cum recto contingat cætera motu  
 Ipsa ex materia & ducenti pondere ferri.  
 Et cœlum præter nonnullis motus in orbem 640  
 Aut alius quam rectus inest, natura sua vi  
 Quem facit, & proprio subjecto in corpore forma,  
 Atque ideo propter motum haud differre putandum est  
 Natura cœlum a reliquis quæ tempore tandem  
 Mutari liquet, & mortali lege teneri. 645

Quod vero præter motum qui ex pondere constat  
 Atque ex materia altero item non ulla ferantur  
 Ac proprio magis, & formali corpora motu,  
 Naturæ propria vi ex multis nosse licebit,  
 Omnia quæ dulci musæo intincta liquore 650  
 Pandere suaviloquo complectens carmine pergam.  
 Nonne vides, signans ad solem ut ferreus horas  
 Cum magnete stylus libratus vertat ad acrem  
 Se Boream, propria vi illum certaue ferente  
 Natura geminasque inter transversus Eoi 655  
 Occiduique horas, signo consistat eodem?  
 Ille idem in rabido est deprensus æquore nautis  
 Dux iter ad tutum, certusque errantibus index,  
 Tempestas cum cæca diem, solemque fugavit,  
 Aut ubi per noctem fulgentia sidera nubes 660  
 Et fidas tenebris abdunt pallentibus arctos,  
 Ipse viæ regit ignaros, cursumque per undas  
 Dirigit incertas, propriæ dum semper eodem  
 Vi naturæ actus certa in regione locatur.  
 Idque etiam in rapidi miro est cognoscere motu 665  
 Fulminis, in supera quoties regione vagatur  
 Spiritus ille furens, cœli qui cærulea templa  
 Impete percurrens magno perque æthera circum  
 Versabundus agens vacuis late intonat oris,  
 Horrendumque fremens obtutuque ocyor ipso, 670  
 Aëra per liquidum volitans bacchatur, & auras  
 Dividit obstantes, atque obvia nubila tranat:  
 Sæpe etiam ingenti petit idem murmure terras,  
 Pertenuique licet sit corpore, densa fragore  
 Robora terribili, annosaque a stirpe revellit 675  
 Et valido quercus perfringens dissipat ictu,  
 Excelsaque arces, & summa cacumina tactu  
 Disjicit, hucque ruens atque illuc turbine vasto  
 Fertur, & horrisono convolvit cuncta tumultu,  
 Talis inest illo natura in corpore motus. 680

Nonne sua vi etiam, & propria vertigine ferri  
 Aspicimus ventos, quoties sese impete miro  
 Conglomerant, terrasque rotanti turbine verrunt?  
 Idque etiam fieri cœlo plerunque sereno  
 Ventorum obstrictis reliquis perque antra sepultis: 685  
 Ut liqueat tales nulla ratione suapte,  
 Sed tantum natura illis contingere motus.  
 Porro & legitimis sua vis est insita ventis  
 Cum volitant rapidi, laxisque feruntur habenis  
 Hac illac, magnoque inter se prælia miscent 690  
 Concurfu, & valido complent cœlum omne tumultu,  
 Æquora quo vertunt motu atque e fluctibus imis  
 Eductam undarum tollunt ad sidera molem.  
 Hinc nemora elapsi in terras ac robora dura  
 Prosterunt, camposque minaci murmure complent, 695  
 Quæque ruunt flabris pernicipibus omnia turbant,  
 Atque illis propriæ naturæ is motus inest vi:  
 Nam propria est illis regiõ, in partesque feruntur  
 Quisque suas, Notusque illas, has tendit in oras  
 Africus, hinc Auster, Boreas hinc persurit acer, 700  
 Atque alii terras eodem falsumque profundum  
 Tempore, cœlum alii spatiosaque nubila perflant,  
 Naturæ ut pateat propriæ vi quemque moveri.  
 Præterea stellæ, noctis quas sæpe per umbram  
 Tranquillo aspicimus celeres excurrere cœlo, 705  
 Longius in gyrum tendunt, curvoque feruntur  
 Flammarum ductu, donec solvantur eundo.  
 Quod si aliquandiu eodem perdurare tenore  
 Currendo possent, cœlum circum ire vagantum  
 Stellarum ritu tales contingeret ignes: 710  
 Sed licet in tenues solvant sese ocyus auras,  
 Quam volitare diu tamen, & durare meando  
 Possunt, pars illis rectissima ducitur orbis;  
 Quare hos vi propria liquet impellente moveri.  
 Demum quæ cœlo fulgentia crinibus ardent 715

Sidera flammivomis errantum more vagantur,  
 Ac propriæ immensum circumducuntur olympum  
 Naturæ vi, atque æthereis spatiantur in oris,  
 Verum diverso quo errantia lumina motu,  
 Præsertim quod signifero procul orbe feruntur, 720  
 Inque illam declinant partem qua ardua mundi  
 Vertitur ætherei sublimi cardine moles.  
 Ergo ferunt rutili errantum se more cometæ,  
 Sed proprio ac vario quam illorum singula motu.

Quapropter multis quoniã ratione probatum est 725  
 Corporibus natura alium contingere motum  
 Cum recto qui ex materiaque ac pondere constat,  
 Atque ille alter non nullis est motus in orbem:  
 Nequaquam efficitur, cœlesti ut corpori inesse  
 Is tantum possit qui fit vertigine motus; 730  
 Sed liquido constat motum hunc vertiginis esse  
 Vi propria, eque sua cœlesti in corpore forma,  
 Cætera ut ex motu præter rectum altero agantur,  
 Nec pote perpetuo rectum contingere cœlo (735  
 Motum ex materia atque ex pondere, ut omnibus illum  
 Corporibus certum est reliquis genitalibus esse.  
 Quapropter rebus nil motum propter ab imis  
 Natura cœli corpus differre putandum est,  
 Atque ideo esse creatum cœlum itidemque caducum,  
 Atque illi esse ortum reliquis qui est omnibus unus, 740  
 Principiumque illud quod diximus esse elementum.  
 Jam vero id falsum est, positum in ratione quod ipsa  
 Est motus, cuncta ex adversis corpora rebus  
 In lucem gigni, atque eadem in contraria solvi:  
 Illud item, quivis quod sic vertigine motus 745  
 Fiat, ut huic alius non sit contrarius ullus.  
 Nam late ostensum est undas atque aëra primis  
 Corpora nequaquam adversa ex affectibus esse,  
 Frigida quod prorsus natura atque humida utrisque est;  
 Et tamen e tenui manifestum est aëre lympham 750

Produci, atque in eundem illam transire solutam,  
 Ac etiam in gyrum motu contraria cuique  
 Vertigo est alia occurrens, contingit in ipsis  
 Motibus ut rectis cuique adversetur ut alter,  
 Qui se illi opponit signoque occurrit eodem. 755  
 Sunt etenim adversi quos sic occurrere motus  
 Evenit inter se, quod pugnent mutuo, & alter  
 Se occursum alterius sistat, nec liber uterque  
 Fiat, & una ullo nequeant persistere pacto.  
 Ergo non vera patuit ratione probari, 760  
 Materiæ non esse eadem primordia cælo,  
 Corporibus reliquis ut contigit omnibus esse.  
 Clausa igitur referenda via est, inque arcta latentis  
 Naturæ penitus subeundum claustra, novisque  
 Pandenda ipsius cæli est natura repertis; 765  
 Idque ego dulciloquis exponens versibus edam.  
 Qui cæli corpus nullo immutarier ævo,  
 Æternumque & eodem perdurare tenore  
 Crediderunt, huius spatia, immensasque cavernas  
 In plures divisere orbes, qui ordine sese 770  
 Contigui ambirent, circum per mutua ducti:  
 Nam vaga si per se, proprios nec tracta per orbes  
 Sidera ferrentur, vehemens contingeret ipsis  
 Singula inæquali varians mutatio gressu,  
 Semper nunc motu intenso nunc vecta remisso. 775  
 Cursus enim nunquam est ipsis æquabilis astris,  
 Sed semper celeri incedunt tardove meatu:  
 At vero cæli moles si immensa profundi,  
 Complures illos non esset scissa per orbes,  
 Sidera quæ proprio ducuntur singula motu, 780  
 Per cælum incessu se agerent conversa suopte,  
 Atque ipsum quavis esset penetrabile mundi  
 Corpus, & huic tenor haud unquam persisteret idem.  
 Quapropter ne quis forte tranabile cælum  
 Crederet, hacque iter astris incedentibus esse 785  
 Pro-



Proptereaque solubile corpus, pervium inane  
 Materiaque ipsum penitus constare caduca:  
 Constituere suis affixa vaga orbibus astra,  
 Qui se perpetuis ducentes motibus iisdem  
 Fixa sibi veherent per magnum lumina mundum, 790  
 Ut sic afficer numquam cœleste daretur  
 Corpus eo se se pacto volventibus astris.

Ergo ut inæqualis motus, quo sidera duci  
 Cernimus, ipsorum auferretur ab orbibus, illos  
 Finxerunt tales, ut motu semper eodem 795  
 Se se agerent cum ipsa ut certum est palantia cœlum  
 Nunc celeri ambirent, nunc tardo lumina gressu.

Porro ipsos orbis tales statuere quibusdam  
 Ut medium haud sit idem cum mundi mole, aliisque  
 Impar sit spatium ambitus, atque hinc crassior orbis 800  
 Illinc tenuior, ast alii sint corpore parvi

Præ reliquis, se volventes intraque locati  
 Id spatium quo extenditur ambitus orbium ab imo  
 Mundi declinantum, insint quæ singula parvis  
 Sidera, quos Graeco dicunt sermone epicyclos. 805

Hoc vero posito qui constituere tot orbis  
 Tam vane, ex hoc cursus decrevere vagantium  
 Siderum inæquales constanti posse rotatu

Orbium agi, certumque illos servare tenorem.  
 Quapropter positis tam multis orbibus, illa 810  
 Prorsus inest ratio, quæque ut mutatio ab ipso  
 Tollatur cœlo, constansque id duret idemque.

Sed nunc quod superest certa ratione probari  
 Res peteret, positos nequaquam posse per orbis  
 Tolli ne cœli corpus mutetur, & astris 815

Tales esse vagis motus, ut si orbibus illa  
 Ferrentur, naturæ iisdem mutabilis essent,  
 Atque ita mutari cœlum, positosque liqueret

Ipsos nequicquam spatiis cœlestibus orbis,  
 Vel si mutari corpus cœleste daretur. 820

Præterea motu ex ipso cursuque patere  
 Sidera nequaquam ferri vaga posse per orbés.  
 Demum sic esse omnino mutabile cœlum,  
 Ut non mutari id tantum, sed corpore in illo  
 Sæpe creari contingat quædam interimique. 825

Sed dum signorum incessus motusque vagantum  
 Me juvat, & miros naturæ solvere nodos,  
 Longe alios cursus, alios mea perficit orbés,  
 Mens agitata malis, acrique exercita cura,  
 Cura, has æternis quæsitâs vatibus olim 830  
 Quæ me tentantem naturæ accedere partes,  
 Ad tristes vertit gemitus durasque dolores.

Heu misero nimium at frustra Sirenis amatæ,  
 Quæ nunc de patriis demisso lumine portis  
 Incisum cari nequicquam nomen alumni, 835

Desertasque piis spectat cultoribus ædes:  
 Conspicuas ædes, molli quas aurea dextra  
 Exstruxit, nemorumque Venus discrimine cinxit:  
 Illas non meritis fulgens, duroque labore  
 Aucta meo prisca defendit gloria gentis, 840  
 Quin caput in miserum vastis surgentibus undis,  
 Fortunæque minis dirisque ultricibus actô,  
 Longe alio mutanda mihi sub sidere tellus,  
 Et dulces essent ignota sede penates.

Scilicet insignis pietas largusque meorum 845  
 Effusus toties dilecta ob mœnia sanguis,  
 Et pugnata illis magno pro Cæsare bella  
 Id meruere, omni nec me contage soluta  
 Texit, & egregias tot vita exulta per artes.

Felices nimium & fatis melioribus orti, 850  
 Mens sua quis satis est fluxæ non indiga laudis,  
 Et scelerum immunis nullique obnoxia culpæ,  
 Est almæ tantum dives rationis, opesque  
 Quas bona fert nullo genitrix natura labore,  
 Ingentes credit vitæ fugientis ad usum. 855

Nec terit angustas ævi irremeabilis horas,  
 Dum tenui capitur fallacis flamine vulgi.  
 Ante tamen felix cunctos, qui noscere morem  
 Fortunæ, & vires potuit contemnere leti:  
 Ac solidos nunquam perituræ laudis honores, 860  
 Et veræ aspirat mansura ad gaudia vitæ.  
 Anxia non illum spes insanique dolores,  
 Sollicitive metus urgent aut gaudia vana.  
 At strepitum vulgi, cætusque exosus inanes,  
 Densa petit nemorum, silvisque exquirat opacis 865  
 Sponte sua e ramis structas frondentibus ædes,  
 Commodaque in specubus mollive cubilia prato.  
 Non illic facilem genitrix uberrima victum  
 Terra negat duro teneros e stipite fœtus,  
 Pubentique bonas thallo & radicibus herbas, 870  
 Et nativa cavo stillantia pocula saxo:  
 Interdumque illi socios si junxerit idem  
 Sanctus amor, dubios pariter qui spernere casus  
 Atque operam assuescant vitæ mortalis inertem,  
 In terris veræ alterius jam gaudia vitæ 875  
 Præripient, veri spectabunt lumina Solis,  
 Æthereasque inter curas sanctumque laborem  
 Subducent alacres terrenæ pectora labi.  
 Illos non rigidi fasces iræque tyranni  
 Externisque inhians opibus vis barbara lædet, 880  
 Bellorumque faces, emptave in pace rapinæ,  
 Nec jus forte datum poterit pretiove repensum  
 Inviectos animos & libera frangere corda.  
 Hæc se mortales dubiis extollere rebus,  
 Et docuit varios contemnere vita labores: 885  
 Hæc tot devictis felicia pectora terris  
 Evexit cælo, & fulgentibus intulit astris:  
 Hanc magni coluere patres cum dirus habendi  
 Nondum tartareis amor evasisset ab oris,  
 Quo pius æterni moriens rex conditor ævi 890

Impulerat, cæcisque illum demerferat umbris.  
 Hanc mihi tu cœlique parens, terræque repertor  
 Vivere, dum fessos animi vis roborat artus,  
 Da, pater; & crebra quæ illam caligine condit,  
 Æthereosque hebetat sensus, hanc eripe nubem. 895  
 Tum vitæ unanimem socium comitemque laborum  
 Fascitelum, irati rapuit quem numinis ira,  
 Redde meum. nil triste illo durumque recepto.  
 Ipse tuam cœlo demissam virginis alvo  
 Progeniem, canet ille duces, magnique triumphos 900  
 Avalidæ, qui nunc vires orientis, & acrem  
 Impia compressit reparantem prælia Gallum.  
 Sed maris ignoti latum sulcavimus æquor,  
 Et protensa diu per vastos carbasa fluctus  
 Jam malo adjungi poscunt, portuque carina. 905

F I N I S.

A O N I I  
P A L E A R I I

V E R U L A N I  
D E I M M O R T A L I T A T E  
A N I M O R U M  
L I B R I I I I.

*Ex optimis Editionibus representati.*

A. D. O. P.



P A T A V I I . C I D I D C C L I .

EXCUEBAT JOSEPHUS COMINUS

SUPERIORUM PERMISSU.

A O N I I  
P A L E A R I I  
V E R U L A N I  
D E I M M O R T A L I T A T E  
A N I M O R U M

Ex officio Editores representant.

A D O R



P A T A V I N O G I D I O C E L I  
P R O P R I A T O R I U M C O M I T A T U S  
L I B R A R I A M P U B L I C A M

## LIBRORUM SECTIO

## ET INDEX.

**Q**Uæstio omnis de Animorum immortalitate tribus a nobis libris pertractata est. Nam cum quidam (qui vulgo a Græcis *ἄθεοι* dicti sunt) deos nullos omnino esse crederent, atque ex ea re animorum mortalitatem firmissime asseverarent, adversus hos primo loco pugnandum fuit. Itaque in primo libro, Deum esse, qui mundum omnem regat, ex certissimis Stoicorum & Peripateticorum rationibus, quorum acutissima ingenia semper fuerunt, demonstravimus. Deum præterea ad cœli universi temperationem sedentem, preces bonorum audire, neque aspernari (non enim defuerunt, qui id affirmarint) quin eo pie, sancteque culto maxima ejus in homines, & non obscura quædam beneficia exstitisse: cumque de iis orbibus quibus infixi sunt errantium stellarum cursus, & de eorum constantia dicendum esset, ut *πρόνοιαν* ostenderemus, multa *περὶ ψυχῶν τῶν ἑρᾶν*, quas nos animas, & animos cœlestes possumus appellare, & media Chaldæorum recondita & sanctissima disciplina, ac vetustissimis Græciæ sapientibus accepimus: tum quod per hos nonnulla gerenda esse in tertio libro dicturi eramus, tum quod res ea versibus digna videretur. Quoniam vero ex æternis illis mentibus animi hominum generi dati dicebantur, non alienum fuit perscrutari, quæ nam

men-

mentes illæ essent: an Deus unus, an plures, an ex cœli motu & luce, an ἐκ τῆς ὕλης δυνάμεως, an ab ipso Deo animi corporibus hominum jungerentur. Itaque in eo libello, cum de iis ipsis satis esset dictum, de animi ortu, deque ejus partibus ex doctissimorum hominum monumentis, multa a nobis collecta sunt, pleraque illustrata. Quamobrem cum præclare fundamenta jecisse videremur, in secundo libro, Stoicorum, & si quæ erant Peripateticorum rationibus, immortales esse hominum animos probavimus. In tertio, cum quædam firmissimis argumentis muniremus, magna ex parte sanctissimos viros theologos ( utar eo sane libenter verbo, cum jam Latinum sit ) & eos in primis Christianos, ἢ τῶν ἀληθειῶν ἀληθευσάτων, ut ajunt, secuti sumus. In quo certa esse & æterna quædam bonis viris constituta præmia, malis vero suppliciorum exempla omnia: tum multa de ea rerum fatali necessitate, quam εἰμαρμένω vocare solent, profecuti sumus: ita ut in ea quæstione, quæ certe quidem perdifficilis, & perobscura semper habita est, Latinis versibus, quantum in nobis fuit, nihil homines nostri desiderare posse videantur.





# QUÆ SINGULIS

LIBRIS CONTINENTUR.

## LIBRO PRIMO.

**N**ATURAM aliquam præstantissimam esse, quam Deum dicimus, homines intelligere posse: ejus vero διαφορὰν, quam Peripatetici vocant ἰδιωπείῳ τῆς ἔσας, ne ipsos quidem τῆς ἑῶν θεῶν ἀγγελίας, quorum intelligentiæ vis est acerrima, posse intelligere. vers. 43.

Deum cum sese ipse videat, cætera videre omnia. 51.

147.

Διὰ τὴν προνοίαν quæ & providentia dicitur, tempestatum mutationes & vicissitudines veris, æstatis, autumnus, hiemis fieri: ex eorumque constantia, Deum esse, recte intelligi. 59

Deum ἐκ κινήσεως τῆ ἑρᾶν, hoc est ex cæli motu, & distinctis ejus conversionibus maxime percipi. 83

Deus cum omnia excipiat, insitque in omnibus, soluta tamen quædam mens est, & ab omni rerum concretionem segregata. 118. 137

Deum humana imbecillitate nos plene, cumulateque percipere non posse, sicut nec intueri solem adversum, quod ejus radiis acies nostra sensusque vincatur. 143

Ex rerum pulchritudine, & admiratione, posse homines intelligere Deum esse. 157

Dei providentia mundum administrari, nec ob eam rem molestis negotiis, aut operosis esse implicatum. 166

Attributas esse singulis stellis errantibus singulas animas, quæ præstantem intelligentiam habeant: quæque orbem suum mirabili celeritate contorqueant: hæc cum tempore immenso observatos cursus conficiant, percepisse homines, Deum aliquem, qui tantis motibus præsit, ἵγυ-

μεινῶν, hoc est, principatum obtinere. 237

Permagnam esse animarum multitudinem, quæ a mortali concretionem sejugatæ, ætheream mundi partem incolant. 228. 263

Prosecutos esse multos Dei vocabula, & fecisse nomina, etsi Deo nomen non sit. ἐστὶ γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. 301

Divinorum nominum enodationes acceptas quidem ex Chaldaeorum & Judæorum sanctissimis disciplinis, ut rei novitate minimo fastidio essemus iis qui nostra legerent, Judaicis literarum notis, aut Chaldaicis, ut feceramus, hic exscribendas esse non duximus: ea vero nomina in Latinum conversa, qui Judaicas literas attigerint, quam primum agnoscent. 303

Deum rerum omnium dominatum habere. ibid.

Deum præpotentem esse naturam quamdam. 304

Deum singulis singula sufficere, quem extremum omnia cingentem dixerat Cleanthes. ibid.

In Deo treis ὑποστάσεις esse, etsi ipse unus sit, quod ex mysteriis Christianis scire licet: quæ nostri majores auguste, sancteque consecrarunt. 424

Deum cælum, terras, maria transmittere, & ubique esse, quod in Saturni laudatione legitur, ὃς καί τις κατὰ πάντα μέγας κόσμῳ γένερχα. 126

Cleanthes Deum altissimum appellavit. 305

Æternitatem in Deo esse, quam nulla temporum circumscriptio metiatur: Id veteres illi Judææ sapientes mirifice una voce significarunt, quæ Qui fuit, Qui est, Qui erit, una comprehendit. 308

Deus a sapientissimis Judæorum vocatus est exercituum Deus, & quare. 310

Davidis Hierosolymorum Regis cum Goliade pugna. 314.

Epeirolici ducis cujusdam, qui Scandaribethus dictus est, cum Parthis pugna. 333

Deum optimum maximum unum esse, nec plures in Deo.

- Deorum numero reponere licere. 361
- Ex materia rerum omnia exprimi, atque effingi corpora, quæ ὕλη dicta est a philosophis. 449
- Prima corpora quæ Græci στοιχεῖα, nostri elementa vocant, in concretis corporibus mixta inesse. 456
- Motum rebus ipsis ex cæli motione, oculorum vero sensum ex luce ejusdem tributum esse animantibus. 461
- Animantem partem, quæ in plantis viget, quæque in animalibus sentit, ac movetur, ἐκ τῆς ὕλης διαφέρει, & cæli motione substitui. 475
- Iracundiam, formidinem, libidines, & animorum concitationes (quas Græci πάθη vocant, nostri morbos) corporum temperationes sequi: eam itaque partem, quæ sensum, quæ appetitum habet, non esse ab actione corporis sejugatam. 479. 512
- Eam animi partem, quæ rationis & intelligentiæ particeps est, tum maxime vigere, cum plurimum absit a corpore, & in cælum usque penetrare. 517
- Naturas rerum quatuor sursum, deorsum, ultro citroque commeantes, quæ στοιχεῖα a Græcis appellari diximus, in suis omnino locis conquiescere; hanc rationem atque ordinem sequi corpora mixta. Animi vero hominum cum in rebus caducis non conquiescant, sed ad divinas & æternas sua natura ferantur, in illis locis, ad quæ spectis corporibus evolent & excurrant, quieturi denique videntur. 525
- Animos consilii & prudentiæ & rationis compotes a Deo creati, membrorumque admirabili quadam fabrica XLV. diebus absoluta, in corpora ipsa infundi. 554
- Alias esse corporis, alias animi partes, easque inter se dissidere, & pugnare acriter: illas terrenæ quædam illecebræ delectant, quas sequuntur: has rationis & mentis participes elucere divinum quasi aliquod lumen, & sese ad ardua, magna, æternaque capeßenda vegetas, acrisque præbere. 563

QUÆ SECUNDO LIBRO  
CONTINENTUR.

Τὴν λογικὴν ψυχὴν, quam nos animam rationis participem dicimus, & mentem, duo diversa omnino esse: itaque aliud mens est, aliud anima. 82

Animam λογικὴν, quam & animum jam appellare consueverunt, neque corpus esse concretum, neque aliquod quatuor principiorum, ex quibus omnia nata esse dicuntur: cum cogitare, providere, tam multa invenire in nullo horum quatuor generum insint. 91

Animam consilii participem corpus non esse, neque corporea natura constare, quod ea quæ corpora non sint, sua natura comprehendat. 106

Animam rationis compotem corpus non esse, quod ea vi, qua corpus effertur exsultatque ipsa deprimatur, & minime vigeat. 108

Animi hominum æterni sunt, quod εἰς κύκλον moueantur: quod est, in eodem revolvi, & in se ipsos reflecti.

125.

Animum in corpore ἡγεμονικόν, quod est principatum, obtinere. 130

Animam λογικὴν tum maxime vigere, cum plurimum absit a corpore. 141

Quod ἀπλῶς ἔστι cum ad nihilum non possit recidere, anima hominis ἢ ἀπλυσάτων cum sit, neque mixtum quicquam, neque ullum ex quatuor primis corporibus, sed quedam natura quinta, sejuncta ab his usitatis notisque naturis, interire non potest. 145

Animam rationis participem, τὸ εἶδος ἀπὸ τῆς ὕλης (dicerem, si liceret, materialem formam) non esse. 154

Animus humanus immortalis est, quod τὰ μάλιστα καθόλου πορρωτάτω ἢ αἰσθήσεων: quod est, quod maxime universalialia (dicant melius, qui invenerint) que longissime a sensibus absint, comprehendat. 157

Ani-

*Animos non posse interire , quod nulla iis sint contraria , quæ ἐναντία vocant : ea vero nos animo simul comprehendere posse , quod animo neque contraria sint , neque pugnancia .* 170

*Animos nostros æterno tempore duraturos , quod ipsi æternitatem , quam nulla temporum circumscriptio metiatur , cogitatione complectantur , quod in immensam , interminatamque magnitudinem regionum , quod in infinita numerorum incrementa sese intendant .* 178

*Humanus animus divinum quiddam est , cum rerum omnium formas possit induere , & quidvis cogitatione consequi .* 193

*Æternitatis & immortalitatis desiderio ardere homines .* 207

*Animantia omnia summo studio ea desiderare , quæ assequi possint , idque esse in primis a natura tributum animantibus .* 243

*Immortalitatem omnino nullam , cujus miro desiderio tenentur , homines consequi posse , at triste ipsis desiderium relinqui , si eorum animi intereant .* 251

*Ætate omnia senescere , exustionibus atque eluvionibus nihil esse æternum , nihil diuturnum , novari omnia , & siderum motu ac vi magnas rerum fieri mutationes .* 258

*Animi divinitas ex celeritate motus percipitur , quod nihil eo sit velocius aut celerius .* 308

*Ridicula sane esse quæ a Democrito dicuntur , ex atomis quibusdam concurrentibus , dum inter sese cohereant , fieri animas : nam quod semper certo tempore fit , non est fortuitum : neque animadvertisse , quid ipse dixerit . Nempe si illud ita sese haberet , sine corporibus animæ esse possent , quod ipse in primis negat : itaque pugnancia esse locutum Democritum .* 319

*Animam non esse ignem .* 335

*Animam non esse harmoniam , aut numerum .* 345

*Tantum donis , suisque muneribus consecutam esse Na-*

*turam, ut sat constet, dum ipsa hominem effinxerit, felicem, fortunatumque animantem voluisse constituere.* 358

*Quam liberaliter natura nobiscum egerit: homines rebus omnibus frui: rerumque omnium in illis esse dominatum.* ibid.

*Calamitosum maximeque infelicem, & unum omnium miserrimum animantem esse hominem a Natura constitutum, si cum corpore animus quoque intereat.* 418

*Gravissimo & firmissimo argumento est, animos hominum divinos & immortales esse; quod concitatione quadam soluta & libera a corpore longe abstracti, futura presentiant; hoc mortale quidem non est.* 521

*Davidis cantilena.* 532

### QUÆ TERTIO LIBRO CONTINENTUR.

**Q**uod homines libidinum cupiditatibus efferrentur, intenderentque sese in eas animi, & inquinarent, constitutas esse certas quasdam pœnarum leges a Deo, quibus illi obligarentur. 21

*Facere homines arroganter, qui putent facinorosorum animos Dei mandato non posse ad pœnas trudi, qui que velit possit efficere, qui immortalem animam cum mortali corpore copularit, qui æquissimus sit.* 56

*Qui boni viri fuerint, si paululum admodum a preceptis aberraverint: item qui maximis in erroribus versati sint, si in viam redierint: eorum animos in locum devenire, in quo labem omnem eluant atque abjiciant, mox expurgatos in bonorum cœtus advolare.* 94

*Quæ de inferis a Christianis dicuntur, non negligenda esse, aut neganda, quia ea nunquam viderimus: multa quidem esse istiusmodi, quæ quis fabellas non prius desierit appellare, quam oculis viderit.* 26. 44

*Fontem qui ad Hammonis fanum est, noctu fervere, inter-*

*interdiu hujus aquis nullas esse frigidiores.* 192

*Magnetem lapidem ferrum ad se allicere, cujus rei rationem afferre non possumus.* 199

*In calcem aqua coniecta ignem concipi: qui si oleo aspergatur, subito exstinguitur.* 233

*Scire nos multa nunc certo esse, quae nunquam fieri posse majores opinati sunt.* 252

*Fulmen non imitabile appellatum est a veteribus: quod nunc fistulis ferreis & aeneis quibusdam homines imitari certum est.* 254

*Nullam consolari spem eos, quae ad inferos sint amandati.* 298

*Stultissimum est existimare, talionem, aut legem quamvis aliam, quae de reorum suppliciis lata sit, aequabilitatem omnem animadversionis in reos habere: ea in re postquam e vita discesserimus, satis a Deo esse provisum.* 302.

*Cum miseris perditisque temporibus frequentissime bonis male eveniat, improbis optime, necesse est (ἔχει γὰρ θεὸς ἐξδικῶν ὄμμα) rem hanc non semper ita se habere, sed pro ea aequitate quae in Deo summa est, fore aliquando, ut bonis bene perpetuo sit, malis male.* 325

*Ridicula esse inventa eorum, qui dicunt animas corporibus elapsas, seu in pecudam, seu in hominum corpora migrare.* 345


*Judicia certa, severa, acria constituta esse puniendorum malefactorum causa, & ut boni maximis premiis afficiantur.* 367

*Antequam ea judicia fiant, signis quibusdam multa necesse esse declarari: habere itaque signa homines quae observent.* 377

*Bellum nefarium, horrificum, teterrimum ubique terrarum & gentium futurum.* 379

*Annonae angustia, & rei frumentariae summa inopia.* 392.

<i>Pestilentia.</i>	424
<i>Pseudomeni multi, qui &amp; mentientes, &amp; Pseudochristi apte dicuntur.</i>	436
<i>Terræmotus horribiles.</i>	445
<i>Solis, &amp; Lunæ, Siderumque reliquorum excessus e mundo.</i>	447
<i>Ipnsîpes, &amp; mare universum vastissimo æstu effervesceus.</i>	456
<i>Crucem auream, regium Dei insigne, ea cœli parte, quæ ad orientem solem spectat, extollendam esse.</i>	484
<i>Mundum omnem necesse est ad extremum ignescere.</i>	496
<i>Mundi quæ renovatio, quique rerum ornatus futurus fit, nullis jam tempestatum mutationibus.</i>	515
<i>Deo fore curæ, ut animæ suis corporibus restituantur: omnibus itaque in vitam esse redeundum, quos nulla postea mortis fata periment.</i>	530
<i>Corpora eadem hominum quæ occiderunt, quæque cinis sint, in pulchriorem speciem &amp; formam redigenda.</i>	546
<i>Jesu Christi Dei filii optatissimus adventus vel potius reditus in terras.</i>	587
<i>Malorum amandatio ad inferos, ad cruciatus, &amp; supplicia perpetuo perferenda.</i>	610
<i>Bonorum fatalis &amp; sempiterna felicitas.</i>	636







# AONII PALEARII

## VERULANI

### DE ANIMORUM IMMORTALITATE

#### LIBER PRIMUS.



ELICES animæ, cœli omni-  
 potentis alumni,  
 Astrorum decus, & qui versicolo-  
 ribus alis  
 Æthera tranatis liquidum, qui  
 sidera, quique  
 Volvitis ingentes magnis anfra-  
 ctibus orbes:

Quandoquidem genus omne hominum, genus omne fe-  
 Per vos exoritur, per vos a luminis oris (rarum 5  
 Digreditur, magni ad nutum sic omnia Regis  
 Quæ geritis, Regis quoniam vos maxima cura:  
 Vos mare substratum ventis, turritaque tellus  
 Concelebrat: vos arva sonant, quæque invia lustra, 10  
 Quæ dumeta tenent, quæ propter rauca fluenta  
 Dulce canunt vobis magnum per inane volucres:  
 Vos mortale genus primi docuistis ad astra  
 Ire viam ducentem, humili quo se quoque posset  
 Tollere humo, & cœli sanctum internoscere Regem. 15

Vestra ego fretus ope ingredior loca nullius ante  
 Trita pede: & quoniam vestra hæc æquique bonique  
 Munera vos facite, & sancto aspirate labori.  
 Unde canam, quæ nusquam audita prioribus annis,  
 Quî motum rebus genitalem ipse ordine certo 20  
 Dididerit rerum pater, ut creet unus, alatque  
 Omnia, quæ mundo generatim secla propagant.  
 Mox ego quo tantus cœptus labor, expediam quæ  
 Signa olim veteres, quæ sint exempla secuti,  
 Dum partem nobis divinæ mentis inesse, 25  
 Haustusque ætherios certa ratione probarunt.  
 Nec minus ecquæ animas sedes, quæ præmia vitæ  
 Quenque bonum tandem maneant, quas pendere pœnas  
 Conveniat fontes, & fata arcana recludam.  
 Tuque adeo decus egregium rex magne Quiritum, 30  
 Aurea cui longum sese Capitolia servant,  
 Structa bono auspicio se mœnia Romanorum,  
 Ferdinande invicte, tuis Germania seu te  
 Detinet imperiis læta, & tibi maxima regna  
 Annuit, Oceanus quantum pater alluit undis: 35  
 Seu te Pannoniæ Regem admirantur utræque  
 Magnanimum, ingentem: nostram ne despice Musam.  
 Quin & subveritam, perfusamque ora rubore  
 Accipe, quo vultu atque animi moderamine fratrem  
 Regnatorem orbis, florentem laudis honore 40  
 Casibus in magnis belli pacisque ferenas.  
 Principio stellis molem radiantibus aptam,  
 Certam aliquam regere & moderari numine mentem,  
 Quam dixere Deum, non nulla exempla monebunt.  
 Quas tamen is sibi sufficiat longo ordine vires, 45  
 Et quantus qualisque incedat, ubi omnibus ornat.  
 Divitiis sese: non qui caligine cæca  
 Offusi degunt, sed nec supera alta tenentes,  
 Nosse queunt: soli quamvis accedere partes  
 Arcanas ausint, Regisque invisere sedes. 50

Ille quidem sacros aditus, penitusque repositos  
 Adservans, se ipsum tantum (mirabile dictu)  
 Dum videt, æternos ignes, & mœnia cœli  
 Prospicit, & mare navigerum, & dura æquora terræ,  
 Et varias rerum formas, & quicquid ubique est: 55  
 Dumque ipsum spectat se, sancto incensus amore  
 Ipse sui, genus omne hominum, genus omne ferarum,  
 Ingentemque ingens arctè complectitur orbem.  
 Nec mora, nudatas hibernæ tempore brumæ  
 Vere jubet dulci intonsas revirescere silvas: 60  
 Et quæ nuper erat lætis sine frondibus arbor,  
 Importunæ sedes non insueta volucris,  
 Parturit, & viridi vestit ramalia fronde.  
 Ipsi jam dumi, & spinis rubus asper acutis  
 Duritie posita melior, cytisique genistæque 65  
 Augent sese anni felicibus ornamentis.  
 Jam nemus umbrosum, resonant jam cantibus urbes  
 Alituumque, hominumque, feræ per pabula læta  
 Inmemores hiemis, fœtu auctæ progrediuntur.  
 Verum ubi sol terras graviori accenderit æstu, 70  
 Flavescunt segetes siliquisque sonantibus agri  
 Lætitia agrestes augent, parat horrea messor,  
 Æquatamque gravi glebam solidare cylindro,  
 Dum nemori Phœbus crescenteis invidet herbas.  
 Mox vero ubertas autumnus jam senis anni 75  
 Infert se, ipsa jacent jam strata sub arbore passim  
 Malaque castaneæque nuces, & cerea pruna.  
 Non tamen exegit sua tempora pomifer annus,  
 Et tristis subrepit hiems, & nubila toto  
 Sparguntur cœlo, jamque est sine frondibus arbor, 80  
 Descendantque nives e verticibus præruptis,  
 Et rapido Boreas tellurem turbine perflat.  
 Hic ordo rerum, & series repetita quotannis  
 Sollicitis acuit curis mortalia corda.  
 Unde parens etenim tellus tot sufficit herbas? 85

Unde solum incultum dudum, & grave pondus, inersque  
 Submittit varios ullo sine semine flores?  
 Nempe ajunt, qui doctrinæ præstante labore  
 Suppeditant præcepta, gravis solatia vitæ,  
 Aëra per tenerum tacitum descendere cœlo 90  
 Humorem ex alto, quo uno est uberrima tellus.  
 Non fatis id nosse est: peragranti mente sagaci  
 Majora explorare animus, quibus humor ab oris  
 Ille ruat, quando tellurem frugiferentem,  
 Aëraque humectat liquidum, Zephyrosque reducit, 95  
 Effigiemque aliam mundus capit illius ergo.  
 Cum Tauri hospitio excipitur sol aureus, & jam  
 Corniger illum Aries alio prospectat euntem,  
 Lætitiâ exsultat cœlum, totumque repente  
 Panditur, & terras diffuso lumine vestit. 100  
 Tum decus egregium Veneris pulcherrimus ipse  
 Lucifer, aureolus mundi stellantis ocellus  
 Non aliâs quantum servando pro orbe laborat:  
 Tum pater ex alto descendit plurimus æther  
 In gremium matris terræ, optatoque receptus 105  
 Ut primum spectat jucundam albescere lucem,  
 Rore levi aspergit fragrantia floribus arva.  
 Qui vero ardentem Solis circumferat orbem,  
 Candentem ut visat stellato corpore Taurum,  
 Hæsitat hic animus: quando est & credere dignum, 110  
 Non ex se orbes, verum aliquo impellente moveri.  
 Qui movet hic etiam, cujusquam si indiget usu,  
 Fretus ope alterius, non est hic maximus ille  
 Quem vestigamus: tandem fateare necesse est,  
 Esse modum rebus, quenquam fateare necesse est 115  
 Principium tanquam rerum: qui non tamen ullo  
 Auxilio indigeat, moveat tamen omnia primus.  
 Hic Deus, hic opifex rerum est, hic rector olympi,  
 Quo sine nil sanctum, firmumque: huc se omnia vertunt,  
 Omnia contendunt, abeunt, redeuntque vicissim. 120  
 Qua-

Qualis, quam aspicimus stellis ardentibus aptam,  
 Omnia complexa est moles, hæc æquora, terras,  
 Aëraque atque ignem capit & complectitur una.  
 Excipit omnipotens late omnia, rebus & unum  
 Sese ultro citroque volās mire omnibus addit (transque  
 Quem tamen haud quicquam capiat, trans æthera, (125  
 Ardua tecta Deūm caput extulit ipse sua vi,  
 Exsuperatque omnem sensum: velut æquoris undæ  
 Velivoli angustum labentis fluminis alveum:  
 Præterea nil mens hominum scrutatur, & ultro 130  
 Hæc ubi devenit, tandem ad delubra quiescit:  
 Hinc egressa alis firmis, & præpete penna  
 Jam melior Divūm circumvolat aurea templa,  
 Miraturque procul quem propter credidit esse  
 Rectorem superūm: qui cum loca compleat omnia, 135  
 Semper abit, nusquam est, seque in se continet uno.  
 Ipse omne est, quodcunque vides in luminis oras  
 Exire, & quodcunque ætas fugientibus annis  
 Abstulit, & feri valeant spectare nepotes.  
 Ille nihil rerum est, quas majorum tulit ætas, 140  
 Aut quæ sunt, aut quæ longo post tempore fient  
 Munere naturæ, vel temporis intervallo.  
 At quæ contineat cum se pater ædibus ipsis,  
 Mirum est, occultans ut gestiat ante videri  
 Regifice incedens turmis instructus olympi, 145  
 Deneget utque omne os illud spectare verendum  
 Quenquam hominum, quemquam Divūm, & contingere  
 In gyro qualis percurrens aureus alto (luce.  
 Sol face flammanti, quamvis sese æthere toto  
 Spectari velit, & terris ostendat apertis, 150  
 Non recta est oculis hominum jubar undique plenum  
 Perspectum, quorum nobis acerrimus omnium  
 Est sensus: quod forte aciem protendere si quis  
 Jam velit, & temere radiis insistere totis,  
 Non feret astrorum princeps, perstringit at ipse 155  
 Ipse

Ipse aciem, sensumque omnem spectantibus aufert.  
 Sat tibi sit Regem tantum nunc nosse Deorum,  
 Fas & jura sinunt quantum: vel non satis hoc est  
 Cernere te naturæ opus egregium omniparentis?  
 Tun' pictâ aspicias tabulâ, atque exstare magistrum 160  
 Certum aliquem haud dubites, scita qui finxerit arte?  
 Pocula tun' spectes cælata, atque aspera signis,  
 Protinus & clames, Divini opus Alcimedontis?  
 Quicquid id est magnum, ah videas, nec protinus ore  
 Adclames toto: Mundi o Pater, Auctor & Altor? 165  
 At vero hæc olli quî sint mortalia curæ,  
 Quive aciem flectat per tot diversa, videndum est:  
 Quandoquidem causas rerum, quique ardua norunt  
 Astrorum, cœlique vias, malus impulit error:  
 Neve labor superos aliquis, neu cura quietos 170  
 Sollicitet, procul a vera ratione feruntur:  
 Humanosque animos, donum omnipotentis olympi,  
 Haud veriti dixisse simul cum corpore obire.  
 Tantus amor doctas mentem excoluisse per artes.  
 Ergo agite illustres animi, quos vivida virtus 175  
 Evehit ex humili liquidum super æthera terra,  
 Dicamus, (nam scire licet quibus integra mens est)  
 Quî pater omnipotens mortales lumine sancto  
 Despiciat, spectansque vacet tamen ille labore.  
 Qualis prærupto in Latmo sub nocte serena 180  
 Aërium gyrum aspectans, cœlumque profundum,  
 Una acie jam mille faces, mille ignea cernit  
 Sidera, convexo late fulgentia cœlo:  
 Sic decus æternam, decus admirabile rerum,  
 Et longe ex alto seductas æthere terras, 185  
 Et mare ventosum, cæcisque offusa tenebris  
 Tartara despectat, dum se circumspicit unum.  
 Qui vero labor hic? pulchrum qui temperat orbem  
 Absque labore aliquo, & magno se corpore miscet,  
 Si videt impositas lapidosas montibus urbes, 190  
 Huma-

Humanumque genus magnis prope Dis æquale.  
 Adde quod immensas vires non ulla fatigant  
 Tempora, non ulli possunt superare labores.  
 Illi æterna quies, nec divini imminuit quid,  
 Præbeat etsi ægris faciles mortalibus aures. 195  
 Ut sol æquoreas radiis cum corripit undas,  
 Multa Deo similis (componam maxima parvis)  
 Si latum Oceanum fulgenti lampade lustret,  
 Non madet, haud falso suscepit in æquore labem,  
 Mane novo surgens iisdem jubar ignibus ardet, 200  
 Purpurei referens radiatum insigne diei.  
 An verum, summumque bonum dum voce vocatur  
 Ante aras, variis late florentia fertis  
 Cum delubra petit, cumulatque altaria donis  
 Integer, & multa insignis pietate sacerdos, 205  
 Non videt, oblatosque aris non sentit honores?  
 Heu cadit in quenquam scelus hoc? qui id credere dignum  
 Dicere non metuat, si qua est reverentia veri?  
 Si leges hominum, & sancta aspernare reperta,  
 Ultorem ne temne Deum, memoremque nefandi. 210  
 Hoc est, aut filicem duris in montibus illum  
 Dicere, vel chalybem: tantum suadere malorum  
 Mens sibi cæca potest: densisque sepulta tenebris.  
 Inceptum peragamus iter: non scrupea nobis  
 Hæc tentanda via est, qua non impune viator 215  
 Præteriit, multave pedem cum laude reflexit.  
 Jam mihi cœlestum numen, sedesque beatæ  
 Apparent, ubi vera quies, ubi lampade lustrat  
 Omnia sol melior, semperque innubilis æther:  
 Quo mala non properat Venus, & sceleratus habēdi 220  
 Non amor accedit: sed ubi mens conscia veri  
 Ipsa suum agnoscit dominum, rerumque magistrum  
 Æternum, omnipotentem, Regem hominumque deūmq;  
 Hunc tu jam signis liquido cognosce volentem,  
 Qui veluti cum instructa acie Rex inclytus armis 225  
 Egre-

Egregios animo heroas legit, advocat usu  
 Si veniat, Martis cum res & tempora poscunt,  
 Ut refides turmas, desuetaque pectora bello  
 Admoneant, hortentur ad horrida promptius arma :  
 Erexere animos omnes, atque ordine facto 230  
 Quadratum jam animosa acies consistit in agmen,  
 Et parat adversos hostes discludere vallo,  
 Altaque disiecta transcendere mœnia turri.  
 Ille loco medius tutam deducere castris  
 Imperat aut fossam, vel milite mœnia cingit : 235  
 Ille jubet, parent illi, admirantur & omnes.  
 Non aliter pater omnipotens, delegit in alto  
 Æthere felices animas, quæ tempore certo  
 Auratos orbis, & maxima sidera volvunt.  
 Hæc grave Saturni sidus, vehit altera magni 240  
 Astra Jovis: flammam horribilem & crudele minantem  
 Duro hominum generi sævi vehit altera Martis:  
 Hunc penes ignito curru, flagrante pyropo  
 Ostendit jubar auricomum, qui temperat orbem  
 Ingens luce sua magni dux maximus astri. 245  
 Proximus est heros olli gratissimus ipsis  
 Cœlicolis, dulcemque oculis qui spiret amorem,  
 Te veniente die producens, Phosphore, ab Ida,  
 Teque abeunte altam compellens, Vesper, in Oetam.  
 Pone autem longo intervallo, & cursibus iisdem 250  
 Procedit juvenis, cui non sua certa voluntas,  
 Ingentem licet egregie contorqueat axem.  
 Ultimus aspectat terras, quo nocte silenti  
 Ostendit sese nobis argentea Phœbe.  
 Quo vero tu rem magis admirabere nullam, 255  
 Confiunt certo tantos ex ordine cursus,  
 Ut tibi non dubium jam sit, supera alta tenere  
 Cœlicolas connixe orbis, atque astra moventes.  
 Hinc regem nimirum adstare erronibus illis  
 Nosse potes, quando modus est in rebus agendis. 260  
 Nam



Nam neque fortuitum quicquam est, quod semper eodem  
Tempore fit, quod ne tantillum ex ordine cedit.

Nec vero hoc numero contenta est regia Divûm,  
Quando alii cœlo spatiantur, & agmine facto  
Concelebrant Regem superûm, sonat arduus æther, 265  
Et regem magni referunt penetralia olympi.

Hi se præcipites per inania nubila mittunt,  
Subjectasque vident urbes, hominumque volanteis  
Attollunt humeris mentes ad cœrula cœli.

Hi mare ventosum spectant, fluctuque laborem 270  
Jactatis demunt: tantum benefacta merentur.

Informes alii larvas, & tristia terrent  
Tartara, vel fontes damnant pallentibus umbris,

Victoresque alacres repetunt simul aurea tecta:  
Quam multæ circum bis victæ Pergama Trojæ 275

Tyndarida ob raptam Grajæ federe phalanges:

Quam multæ Emathix in campis fremuere cohortes,

A focero & genero Romanis dum acriter armis,

Et patrio externoque est milite decertatum.

Nec vos præteream, magni quibus atria Regis, 280

Et secreta patent Divûm: vos omnia quæ sunt,

Quæque ætas delevit edax labentibus annis,

Et seros maneant nostis quæcunque minores

Per vos venturis seclis referanda nepotum:

Quos humeros cinctos penna, & fulgentibus alis 285

Sæpe sacerdotes casti, dum mascula thura

Ante aras adolent, manifesto in lumine cernunt.

Hi quæ contingant, quæ mox ventura trahantur,

Et rerum secreta canunt, humentibus umbris:

Et cum nox operit terras ex æthere lapsi, 290

Præpetibus pennis certissima somnia portant.

Hos genus antiquum Solymorum, maxima rerum

Dum fuit urbs Solyma, ex alto deducere cœlo

Carminibus referunt solitum, & de more vocatos

Advenisse illos velatos vestibibus albis, 295

Et

Et crines auro, & viridanti fronde revinctos:  
 Scilicet in factis tantum sacra nomina possunt.  
 Nec mirum, sic magna iis observantia Regis,  
 Nomine ut audito paveant, quo nigra tremiscunt  
 Tartaraque & Tellus, & raucifona Amphitrite. 300  
 Nam quamvis illum vox non enunciet ulla  
 Mortalis, fecere tamen sacra nomina vates.  
 Hinc rerum Dominum, tempestatumque Potentem,  
 Et mundi Altorem, complexumque omnia numen  
 Tergeminū, Omnivolū, & magno se corpore miscēs, 305  
 Dixere: hinc, nubes qui inter caput extulit altas  
 Præpetibus volucrem pennis, & fortibus alis,  
 Magnanimum Autorem superūm, qui ætatis id ævo  
 Sit, fueritque omni semper florente juventa:  
 Hinc belli dominum, quod justis Regibus adsit, 310  
 Dum sanctas armis leges & jura tuentur.  
 Id puer in Solymorum agrō dum pectore versat,  
 Pastorale gerens tegmen, peramque, cothurnosque  
 Ausus inexperti est tentare pericula belli.  
 Irruit in fines palmosæ & divitis urbis 315  
 Monstrū horrendū, ingens, hominem quo scæmina partū  
 Tempore non alio magis est enixa tremendum:  
 Ipse quidem miles, dux ipse ingentia bella  
 Pugnabat, victorque virūm, spretorque deorum,  
 Atrox, terribilis, seu lumina torva videres, 320  
 Seu Libyci pectus squamosum pelle draconis:  
 Impune haud quisquam (miserum) fuit obvius illi  
 Sive pedes, sive iret eques, seu fortiter hasta,  
 Seu rem falcato gereret jam comminus ense.  
 At puer egregius jam magni cura Tonantis 325  
 Armorum Rege accito, sub numine torquet  
 Qui fera bella suo, viresque irasque ministrat,  
 Agresti lapidem funda detorsit in hostem.  
 Ille volat stridens, magnum & per Inane volutus  
 Temporibus duris hæsit: cœloque minantem 330

Tollentemque manus, robustaque colla moventem  
 Stravit humi, puerique simul victoria parta est.  
 Vidit & Epeiros ( certa hæc, & cognita res est )  
 Dum cornu Parthus Gortynia spicula torquet,  
 Ire ducem adversus florentes ære catervas, 335  
 Pro clypeoque hosti nudum ostentare lacertum.  
 Vidit & Epeiros sternentem Parthica ferro  
 Corpora, & Euboicos spumantes sanguine rivos:  
 Mille ducem Parthi magnum petiere sagittis,  
 Mille illum telis: nec erant loca pervia ferro, 340  
 Nec tantæ terrere virum potuere phalanges.  
 I nunc, & Regis meritis diffide Deorum.  
 Nanque velut solido concreta ex marmore rupes,  
 Horrifer aut Boreas, aut illam verberet Auster,  
 Dura solo perstat, terræque immobilis hæret: 345  
 Telorum haud imbres aliter, validasque secures,  
 Ingentes equitumque alas tulit optimus heros,  
 Quod superùm implorasset opem, quod voce vocasset  
 Cœlicolûm Regem.  
 Nec me animi fallit, multas non posse Latinis 350  
 Vocibus ostendi voces, & nomina Regis  
 Esse deùm multa, atque eadem cecinisse priores,  
 Orphea, Mercuriumque, Linum, & Mosen Deo amicum.  
 Atque equidem ni alias usus mihi nare per undas  
 Nunc foret, & certo religanda in littore funis, 355  
 Forsitan hoc magis incurvarem gurgite remos.  
 At quoniam nobis animæ natura videnda est,  
 Esse Deum, atque animas cœli in penetralibus altis  
 Ostendi, illa aliis post me memoranda relinquo.  
 Et quia dicendum, ut nascentibus insinuetur 360  
 Omnis ab uno anima, ecquis sit Deus omnibus unus  
 Æquoribus, terrisque, canam, cœloque profundo.  
 Multa autem tecum repetas, multa ipse volutes  
 Dicta quidem, magnis dum diximus astra moveri  
 Quæque suis ducibus: vires tamen omnibus unum 365  
 Suffi-

Sufficere, atque illum rebus satis omnibus unum.  
 Nunc vero (si quid, dum dia poemata vatam  
 Oblectant faciles animos, peperere malorum)  
 Dicemus vera quicquid ratione receptum est.  
 Nimirum exiguæ vires mortalibus ægris: 370  
 Id genus humanum volvens, & parva labore  
 Non sine concedi magno, dum pectore versat,  
 Ipsum se longe potuit deducere vero.  
 Ut duro cum quis morbo jactatur, & æstu,  
 Cordaque & arentes fauces gravis occupat ardor, 375  
 Tristia dum incenso jactat suspiria corde,  
 Arentique trahit tremulam de pectore vocem,  
 Hydrochoi quamvis cinxerunt æthera nimbi,  
 Æstatem increpitat properam, infensumque Leonem:  
 Sic hominum genus invalidū, molem hanc operosā 380  
 Adduci haud potuit moderandam ut crederet uni.  
 Hinc mare navigerum Neptuno, hinc tartara Diti,  
 Alta Jovi magni cesserunt mœnia mundi.  
 Nec dubium cuiquam illud, Naturam omniparentem  
 In rebus servare modum certo ordine rerum: 385  
 Quæ ratio in causis, quia nam dicetur origo,  
 Fonte nisi ex uno velut omnia deducantur?  
 Quod si stare uno dubio procul hic queat orbis,  
 Rex hominum, divūmque unus, Deus omnibus idem est.  
 Is tamen immensus, nihil hoc felicius usquam. 390  
 Is Deus, haud alter, ni omnes supera alta tenentes  
 Non bene magnorum dignemur voce Deorum,  
 Scilicet hoc veteres ipsi fecere poetæ:  
 Nosque etiam voces rerum, non sensa secuti,  
 Ipsa ut verba cadant numerosa & dulcia in aures, 395  
 Sæpe Deos testes adducimus immortales.  
 Verum aliter res ipsa, Deus, Deus ille vocandus,  
 Qui terras, tractusque maris, qui sidera, cœlum qui  
 Æternis regit imperiis, cui sidera fulgent  
 Aurea, labuntur, surguntque micantia mundo. 400  
 Prin-

Principium hoc rebus, nihil hoc prius, æquiparandum:  
 Quandoquidem nihil est sic omni parte beatum.  
 Quod si dii plures, numerum si augere deorum  
 Forte licet (fac esse) pares sunt numine eodem?  
 Ergo principium nullum: vel dicere cordi est, 405  
 Principium fore principio? quod ineptius esset.  
 Maximus at si quis, si quisquam est optimus unus,  
 Cui parent reliqui, cœli cui regia servit,  
 Optimus ille Deus, Deus est & maximus ille.  
 Non dii sunt igitur, quos & parère necesse est, 410  
 Qui longe observent alium, metuantque jubentem.  
 Nunc ne tu inscite a vero desciscere quicquam  
 Me duce jam possis, rerum alta arcana docebo:  
 Ne dum forte meis intendis mentem animumque  
 Præceptis, anceps veri te ludat imago: 415  
 Quod Rex avertat superùm, qui hoc omne monebat  
 Ipse rudes olim populos, perque ora parentum  
 Et nati, & feri longum accepere nepotes:  
 Omnia quem pariter quondam videre docentem  
 Ipsi oculis sancti heroes felicibus annis. 420  
 His dictis animum informamus, quando ita nobis  
 A patribus sunt præclare monumenta relicta.  
 Quæ superest igitur, magna hæc, jam percipe, res est.  
 Ille opifex unus rerum, Deus unus ubique  
 Treis sese in species aperit, treis dicere possim 425  
 In formas, jam vocem aliam si repperit usus.  
 Nam dum res omneis vestigat, & abdita lustrat,  
 Effigiesque animo rerum, & secum omnia volvit,  
 Scrutaturque suas vires, Pater ille Deorum est:  
 Mens illi in rebus peragendis optima (quando 430  
 Optimus ipse omnis) quæ mundi temperat orbem  
 Mens Deus illa Deus, cœli quam in vertice summo  
 Cœlicolæ appellant magnum Patris incrementum.  
 Huic dedit imperium sine fine, hunc Dædala tellus  
 Accipit autorem frugum: per quem aurea Solis 435

Spicula discutiunt tenebras, lucemque reducunt.  
 Hunc mare cœruleum observat, quod hic æquoris undas  
 Instituit labi, quod monstra immania ponti  
 Protulerit, mutumque genus creet, auctet, alatque.  
 Dum tamē hic patri obsequitur, dumque ille gerentē 440  
 Aspicit ingenue natum omnia, magnus utrunque  
 Tangit amor, vique ingenti percussus uterque est.  
 Qui tamen hic animis potuit cœlestibus ardor  
 Se insinuare, Deus nisi maximus ipse fuisset?  
 Sic se regnator superūm, licet unus ubique, 445  
 In formas treis exponit mortalibus ægris,  
 Sic se cœlitibus: mira & certissima res est.  
 Is Rex omnipotens, is Rex hominumque deūmque  
 Materiem statuit rebus satis omnibus unam:  
 Hac pecudes, hominumque genus, piætæque volucres 450  
 Terrenos capiunt artus, moribundaque membra:  
 Hac nitidi pisces alti sub marmore ponti  
 Corpora sunt, sensusque ipsos impellere possunt.  
 Dicimus hanc etiam genitalia semina rerum,  
 Si mente accipias variæ sub imagine formæ. 455  
 Hanc elementa, quibus connexis ordine certo  
 Omnia miraris prodire in luminis oras.  
 Igne calere vides, terra durefcere corpus,  
 Diffundi humore, atque in cana ætate resolvi,  
 Aëreque augeri, seseque attollere sentis. 460  
 Hæc tamen haud oculis quicquam dant cernere, quando  
 Imperfecta quidem sunt ipsa, & corpora cæca:  
 Sidera sed radiis, & cœlum insigne coruscis  
 Dum late fulgent, cæcis inimica tenebris  
 Quæ latitant pelago, latebris quæ monstra ferarum 465  
 Despiciunt, & luce sua dant lumina habere.  
 Hinc cœli nobis jucundum lumen & astra  
 Ut duo sunt oculi, quibus omnia prospectamus.  
 Sic ingens etiam dum volvitur undique moles,  
 Quippe vigent, motuque suo fas cuncta moveri: 470

Hoc sine non rapidis ventosum perfluit undis  
 Æquor, nec bibulæ ventis jaçantur arenæ:  
 Non spoliata arbos quassat ramalia fronde:  
 Idem adeo rebus modus, & cœlo irrequieto.  
 Aucta opibus tantis, tantoque exercita motu 475  
 Materies hinc apta ad res, fœcundaque vires  
 Suggestit ipsa sibi, & quos occultaverat alvo  
 Edit maturos longo post tempore fœtus.  
 Utque illis permixta insunt elementa vicissim,  
 Eminet utque aliis aliud, natura per artus 480  
 Serpit, & ingenium toto se corpore miscet.  
 Porro ignis magis est illis, qui ardoribus iræ  
 Continuo flagrant, acrique dolore premuntur;  
 Flammantes ollis oculi, & ferventia corda:  
 Hos tu ne in caveas, hos tu ne in vincula coge, 485  
 Quos sibi conspicias potius consciscere lethum,  
 Quam tolerare jugum, & domini fastidia ferre.  
 Sunt quæ non dulci declinent lumina somno,  
 Usque adeo metuunt animantia, & abditus imo  
 Est in corde levis, pedibusque fugacibus aër: 490  
 Hinc ovium placidum genus, & male pinguis aselli,  
 Bucerasque greges, quibus est & plurimus humor,  
 Terraïque nimis, vix ire per arva videmus  
 Hortatu, stimulis, & lentæ verberare virgæ.  
 Vesicum sal aliis, aliis est triste cuminum 495  
 Jucundum hac ratione, aliis est dulcis amaror.  
 Jamque adeo causas animo lustrare latenteis  
 Te licet his pulchre instructum, qui fortis equi vis  
 Ad cursum, ad magnos cur sit proclivis amores:  
 Sedula quid tantum metuat formica senectæ. 500  
 Nanque ubi concrevit corpus, primordia rerum &  
 Quattuor illa ineunt concordi fœdera nexu,  
 Sensifer & motus primum, mox certa per artus  
 Compages quædam pro corporis augmine repit,  
 Cui nomen Græci fecera: at dicere aventem 505  
 Non

Non ætas finit invidiæ perfusa veneno:  
 Tempora ad hæc tandem pervenimus, atque ita paucis  
 Nostrorum auriculæ pueriliter offenduntur.  
 Nunc redeo ad rem: principiis feliciter illis  
 Compactis, porro tenuissima sanguinis aura 510  
 Exoritur, tacitusque hærens in corpore succus.  
 Hinc variæ naturæ animantum: utque est ea rerum  
 Temperies, sua quæque trahit, retrahitque voluptas.  
 Non autem hos tu sejunctos a corpore morbos  
 Affectusque animi videas: sed repere passim, 515  
 Et vulgo ex ipsis moribundis surgere membris.  
 Partem aliam nunc specta animi prudentis, & altæ  
 Participem rationis, vis quæ nam illa repente  
 Tollit se celerem liquidum super æthera? & extra  
 Procedit longe flammantia mœnia mundi? 520  
 Ecquibus ad cœlum toties se sustulit alis?  
 Invisit divûmque domos, atque ardua tecta?  
 Cur tantum molitur iter? vel quo duce? si non  
 Hic suus est olli locus, & cœlestis origo?  
 Nempe solum patrium cuique est, exercita cursu 525  
 Flumina habet pontus, quo cum venère quiescunt:  
 Si quid in altum vi jacias, descendet & ipso  
 Jam torpens duro consistet in æquore terræ:  
 Si vapor est usquam, facile quem corripit aër,  
 Solvitur & tenuis vacuo lætatur in orbe: 530  
 Flamma vorax etiam cum postibus hæsit aedibus,  
 Velle quidem ostendit supera ad convexa volare:  
 Tantus amor fedis, placidæ est ea cura quietis.  
 At vigor ille animi, tenebris & carcere cæco  
 Contemptis, volat ad superos, & simplicis ignis 535  
 Aurai similis fertur, juvat ire per astra  
 Aurea, & extorrem patrio confidere cœlo.  
 Quod si mortales artus, moribundaque membra  
 Non obstant, jam jam ipse Deum, totumque recludit  
 Æthera, magnorumque procul secreta deorum. 540  
 Quis



Quis vigor iste animi? quæ tanta oracula mentis?  
 Quive petit supera, & superùm quæ tanta cupido?  
 Scilicet hæc veteres, eademque exempla secuti  
 Æthereos haustus animis dixere minores  
 Esse, Deumque ipsos cœlo demittere ab alto. 545  
 Nanque velut radiis sol igneus omnia lustrans  
 Corporibus primis se miscet luce, paritque  
 Omnia quæ mundo generatim secla propagant:  
 Sic pater ipse animas, dum se admiratur, amatque,  
 Sponte creat, sanctumque homini dat pignus amoris 550  
 Ferre sui monumentum ingens, atque artibus addit  
 Divinæ auræ æternis ex ignibus ignem,  
 Ulla ne eas mortis perimant immania fata.  
 Hinc ubi materna concrevit corpus in alvo,  
 Explevitque suos numeros, noviesque refulsit 555  
 Quinta dies, corda ipsa tument, tenerumque laborat  
 Corpus, & in totos animæ vis funditur artus.  
 Illa loco tremit angusto, & caligine cæca  
 Mersa bibit Lethen, & longa obliviam rerum:  
 Sicque diu non certa sui, cum corpore in oras 560  
 Luminis egreditur, membrisque innititur ipsis,  
 Donec jam firmæ perfecto tempore vires  
 Non bene convenient: animi vigor alta pererrat,  
 Scrutaturque arcana, viamque affectat olympo:  
 Non ullæ Veneres flexerunt turpiter illum, 565  
 Nullus honos auri, regnandi nulla cupido,  
 Omnia seque ipsum angustis moderatur habenis.  
 Corporeæ vero pestes contra aurea mentis  
 Præcepta insurgunt, Venerem, Bacchumque secutæ  
 Terrenis inhiant rebus, noctique soporæ, 570  
 Et velut ignava indulgent animantia ventri.  
 Quin etiam si dira lues in viscera repit  
 Intima, quamquam animis obstat, juvat æquora picta  
 Currere lintre, & fallaci se credere vento,  
 Et dulces mutare domos, patriosque penates, 575

Ac turpes omnem vitam degisse per artes,  
Ut mensa argento & fulvo colleceat auro.  
His qui erit addictus, parvi rectumque, fidemque,  
Parvi sancta facit jura, & sine legibus ullis  
Vitam agit injustus, patriæque acerrimus hostis 580  
Florenteis urbes bello, civesque fatigat.





# AONII PALEARII

## VERULANI

### DE ANIMORUM IMMORTALITATE

#### LIBER SECUNDUS.



LUMINA qui Graejæ gentis de-  
 cus aurea fundis  
 Ore sacro, surgit passim quo pin-  
 guibus arvis  
 Et felix panacea, & suave rubens  
 hyacinthus,  
 Pulcher Aristocles sanctis natali-  
 bus orte,

Te duce non verear cæcis offusa tenebris 5  
 Explorare, labor tuus hic mea præmia laudis:  
 Te duce non verear latitantis semina flammæ  
 Quærere, & accensam tædam de vertice summo  
 Nocte sub obscura miseris ostendere nautis,  
 Æquora dum late abruptis turbata procellis 10  
 Undarum eructant montes, classisque magister  
 Hospitibus lacrimans nigram denunciat horam.  
 Quodque bonum & faustum, & felix Fortuna secundet,  
 Tu mihi quodcunque hoc curæ, tu mentem animumque  
 Suppeditas, quo tollere humo pernicipibus alis 15

Me possim, & duri fulciri vertice Atlantis.  
 Unde ego despiciam, palantis qui studio oçi  
 Est superos contra mortales tollere vultus  
 Ausus, iners, stolidus, tum voce laceffere divos:  
 Qui dum adeo inspiceret quæ essent jucunda palato, 20  
 Pinguibus haud potuit cor unquam avellere mensis.  
 Quem passim sequimur, quam o quam diversus ab illo  
 Grajus homo! Grajum quid non audere putandum est?  
 Hinc, hinc Relligio, liquido quæ ex æthere lapsa,  
 Relligio decus omne virùm, decus omne deorum, 25  
 Sub pedibus dejecta hominum, externataque visa est:  
 Improba vox tantum potuit suadere malorum.  
 Nam quid Relligio peperit sanctique, bonique,  
 Omnibus usque adeo compertum, ut res videatur  
 Ipsa loqui, illustri in conspectu sic sita quando est? 30  
 Hæc servare fidem docuit, sua reddere cuique,  
 Jungere conjugio stabili, miserere laborum,  
 Et longum placidam populis laudare quietem.  
 Hæc docuit Venerem fugere, & diis degere vitam  
 Dignam, nec furiis blandi indulgere Lyæi. 35  
 Quod si quis curare Deum mortalia quenquam  
 Deneget, ille mihi infortunatusque laborum,  
 Infelixque animi: qui ne quid linquat inausum,  
 Omne nefas ausus, scelera omnia pertentavit.  
 Quod si idem curæ superis nos esse putasset, 40  
 Et fontes meritas post letum pendere pœnas,  
 Non malum adulterium, & cæcæ mala gaudia mentis  
 Effet posthabita usque adeo virtute secutus.  
 Hinc & avarities, luxusque ministra libido  
 Surrexere, & contemta formidine divùm 45  
 Humanam fœde vitam stravere jacentem.  
 Quid ni? post cineres muta omnia, nec ratio unquam  
 Reddenda, & nusquam posthac Acherusia templa,  
 Nilque Erebi tenebræ, nisi tantum fabula inanis  
 Judicio illorum, mentem quibus abstulit error. 50  
 Quod

Quod nos esse aliter, tenebrasque ignesque manere,  
 Et meritis aliquos alto succedere olympo,  
 Quo sine nil meditari sum potis, ipse pater si  
 Omnipotens magni concesserit incola cœli,  
 Dicemus: quoniam quæ sponte recepimus, urgent. 55  
 Nunc alio vertamus iter, nunc ad rationem  
 Ingenii vires omneis adhibere necesse est.

Hic ego te, Sadolete pater, sacra illa docentem  
 Sancta adstare velim, non tam certare paratus,  
 Quam te imitari: etenim raucus quid oloribus anser 60  
 Contendat liquida mulcentibus æthera voce?  
 Nam magni refert, quæ cum sit sermo: tuis quæ  
 Aut teretes magis, aut tritæ sunt, Juppiter! aures?  
 Mitius at nihil est, nihil est humanius illis.

Nunc me difficili pangentem carmina de re 65  
 Inter egestatem patrii sermonis, in æstus  
 Prospicio invidiæ violento turbine ferri:

O mihi quas turbas, quos surgere cerno labores,  
 Ni, bone, me, Sadolete, juves, & vulgus ineptum  
 Parte libri hac magna jubeas abfistere voce. 70  
 Nanque (fatebor enim) multi præclara reperta  
 Doctorum illa hominum, dulcis vera ocia vitæ  
 Non novere: quibus nostra hæc incognita, quid ni?  
 Dura videbuntur, cæca & caligine tecta.

Hi mea non cupio, at mando, ne carmina (possim 75  
 Si impetrare) legant oculis. mihi tu fatis unus:  
 Ni te operam dare pœniteat, Sadolete, libello.

Quod si forte aliquos mavis accire legentes,  
 Quales nunc habet ingeniis Germania florens,  
 Gallia vel tua jam, tua vel Saturnia tellus, 80  
 Intègrum tibi sit: liber hic ex parte tuorum est.  
 Principio mentem atque animam diversa fatemur:

Quando opus illius mens est, & nuncia quædam.  
 Verba sed hæc eadem veluti jam trivimus usu:  
 Namque animã mentẽ appellamus: non ita vero est. 85  
 Hæc

Hæc crescit, firmata viros ubi fecerit ætas:  
 Decrescit pariter, longum fugientibus annis,  
 Utpote quæ auxilio, quæ corporis indiget usu.  
 At vis illa animæ est eadem pueroque senique  
 Semper, & ipsa omnis per totum didita corpus, 90  
 Non aliquid mixtum, non concretum ex elementis,  
 Sed purum, æternum, quodque omni est tabe solutum.  
 Nam qui corpoream dicunt cum corpore obire,  
 Et nasci: qua est infani via nulla feruntur.  
 Nam si corpus erit, terramve, ignemve necesse est 95  
 Esse, vel humorem, teneri sive aëris auram,  
 Aut ex his quicquam, quod non rationibus ullis  
 Conferri constat: quando cognoscere cæcos  
 Eventus rerum, quæ gesta prioribus annis  
 Sic bene lustrare, & constanti mente tenere, 100  
 Non opus hoc terræ, non aëris, aut levis ignis.  
 Vis dare quæ leges potuit, quod corpus iniqua  
 Nosse? & quæ nobis essent sudore paranda,  
 Suaviloquis dictis exponere, & aurea nobis  
 Scribere præcepta, & seros monuisse nepotes? 105  
 Porro quæ corpus non sunt, ea corpora nosse  
 Nulla queunt.  
 Ergo aliud, quicquam illa aliud, simplexque, nec hilum  
 Fæcis habens. si corpus enim, vel corporis esset  
 Pars aliqua, iisdem nutrimentis surgeret æque: 110  
 Quin etiam dapibus gravis, & bacchante Lyæo,  
 Et prudens magis, & multo sapientior esset.  
 Verum aliter res ipsa quidem: dum corpora læta  
 Viribus exsultant propriis, decedere vires  
 Consuevere animi, & puræ vis insita menti 115  
 Indupedita jacet, nec sese attollit ad auras:  
 Quo magis & luxus membris, alimenta que desunt,  
 Illa magis firmis perniciosior evolat alis.  
 Ergo alte vestiga animo, remque altius omnem,  
 Magnorumque virûm præclara inventa capeffe: 120

Scilicet ipse deum seclis pater omnibus idem  
 Deficere haud unquam poterit : quod dum omnia curat ,  
 Ipse sibi tantum curæ est , se auditque videtque ,  
 Ipse in se magni in faciem reflectitur orbis .  
 Illa itidem sibi nota , suas secum ipsa volutat 125  
 Immensas vires : sanctaque cupidine capta  
 Rerum æternarum , liquidi super ardua cœli  
 Dum sequitur , sese tollit perniciousis alis ,  
 Itque reditque viam , & gyros metatur eosdem :  
 Dumque deos videt immortales , illa deus quis 130  
 In se convertit vultum , formamque coloremque  
 Agnoscit divum , & sese admiratur , amatque .  
 Cernimus hanc etiam dominari in corpore toto ,  
 Ionio in magno qualis volat uncta carina ,  
 Et mare per rapidum ventis interrita fertur , 135  
 Tuta suo nauta : qui contra flabra Aquilonis ,  
 Contra Austri optatum sœvit contingere litus :  
 Haud artus terreni aliter moderamine mentis  
 Luctantes contra Veneris fluctusque Lyæi  
 Tuta secant , seque eripiunt pellacibus undis . 140  
 Nonne vides , discreta magis quo a corpore mens est ,  
 Quæ , quanta incedat victrix ? quamque æthera supra  
 Evolet ad superos nullo duce , sed sibi fidens  
 Obiicibus ruptis membrorum , & carcere cæco ?  
 Si non est igitur corpus , quod semina rerum 145  
 Efficiant , cum jam extremus calor ossa reliquit ,  
 In quid abit ? quo vis illa exhalata recedit ,  
 Non aqua , non aër , non tellus , non levis ignis ?  
 Si natura parens penitus consumere quicquam  
 Non audet , longa nec res abolere senecta 150  
 Ipsa potest natura , parit quæ quicquid ubique est ,  
 In quid abit ? quo vis illa exhalata recessit ,  
 Non aqua , non aër , non tellus , non levis ignis ?  
 At nunc cum cordi non sit rumoribus falsis  
 Pugnare , egregie ratione inventa capesse . 155  
 Non-

Nonne vides, ut materiem & faciem illius omnem  
 Excipiat singillatim mens omnia lustrans?  
 Quæ si tale esset quicquam, internoscere posset  
 Effigies harum nusquam, & discrimina rerum.  
 Nanque opus est, animam sane nihil esse, quod ipsa 160  
 Excipit: atque acies varios visura colores,  
 Omnibus iis pariter caret ipsa coloribus omnis.  
 Nonne vides etiam quæ sit perceptio rerum?  
 Nam dum sanctum animal, mentisque capacius altæ  
 Ut sit homo mens comprehendit, non protinus illum 165  
 Aut hominem videt hunc, certo neque tempore quæquã:  
 Et tamen illa hominem vidit quencunque priorum,  
 Et quem nostra tulit, quem postera proferet ætas.  
 Adde etiam quæ sunt ipsis pugnancia rebus  
 Haud obstant animis, dum quis putat esse calorem, 170  
 Et frigus putet esse, potest comprehendere utrunque:  
 Et pugnent quamvis, animo comprehensa tenemus.  
 At vero quodcunque perit, pugnare necesse est  
 Quam pereat prius: at si cui contraria non sint  
 Invidia quædam naturæ atque arte parata 175  
 (Quippe novis semper studeat cum Dædala rebus,  
 Nec quo se vertat jam habeat, quodque arma ministret)  
 Dissolvi haud poterit, leti est quod lege solutum.  
 Huc illud simul accedit, quod corpora nulla  
 Efficere ipsa queunt: secum componere parvis 180  
 Magna solet, certo & numquam requiescere sine.  
 Mens etenim lapsis quid non meditabitur annis  
 Quod fuerit? nullus quamvis sit terminus ævi.  
 Illa viam secum, spaciumque immane volutat,  
 Et longum numeris numeros crescentibus auget. 185  
 Quod si infinitum quicquam metitur, an illud  
 Finitum esse potest? quæ nam comprehendere vires  
 Exiguæ immensum possent? modo cogit in unum  
 Omne hominū genus, & quod non numerabile certe est,  
 Colligit, & secum numerat: rursusque quod unū est, 190  
 Di-



Dividit in parteis, nunc has, nunc accipit illas,  
 Alternatque vices, ullo nec fine quiescit.  
 Quin etiam in formas se, & vultus induit omneis:  
 Utque pater rerum, rebus sese omnibus addit.  
 Nanque adeo pictam volucrem dum concipit esse, 195  
 Vertitur in volucrem mens: & dum cogitat astrum,  
 Astrum est illa itidem: quod si qui sidera volvi  
 Aurea concipiat, mens aurea sidera volvit.  
 Dumque opus aggreditur magnum, admirabile factum,  
 Componit rerum dominum, rerum illa videtur 200  
 Jam domina, & certis moderari legibus orbem.  
 Denique nil adeo est usquam magnumque bonumque,  
 Nil profus tam difficile, in quod non subito illa  
 Vertatur. verum hoc munus liquet esse deorum:  
 Dii formas potuere itidem se vertere in omneis, 205  
 Exuere & vultus omnes, perque omnia ferri.  
 Quin etiam natura homini est innata cupido  
 Degendi æternum vitam: dolet ante fuisse  
 Magnanimos heroas, eodem & tempore nasci  
 Non potuisse: dolet longum fugientibus annis 210  
 Non fore, nec quicquid facient spectare nepotes.  
 Hinc curæ ingentes: his ut monumenta relinquant  
 Tuta loci natura, ingentibus oppida saxi  
 Erigere, atque alto turres extollere cælo,  
 Atque unis septem colles concludere muris: 215  
 Flumina vel per saxosas educere valles,  
 Et manibus hominum summos evertere monteis:  
 Quæ fuerat sterilisque prius palus, aptaque remis,  
 Tellurem aut hydri, ranisque loquacibus olim  
 Reddere feminibus late Cerealibus aptam: 220  
 Hinc ubi vel dumeta prius, viburnaue lenta,  
 Sunt oleæ visæ teretes, & munera Bacchi.  
 Hinc inventa virum præclara, atque artibus omnem  
 Excolere ingenuis vitam, finesque bonorum  
 Differere, & clarum e tenebris extollere lumen. 225  
 Nam

Nam quid præteream heroas? qui sanguine fuso  
 Civibus imperium & placidam peperere quietem?  
 Non illos magni possunt terrere labores,  
 Non dulcis conjux teneat, non maxima nati  
 Cura prece, aut longa confecti ætate parentes: 230  
 Carius est ollis duri in certamine Martis  
 Pro patria objectare animam: quin sæpe beatos  
 Adclamant sese affecti cruciatibus ipsis,  
 Vitam aspernantes vitæ melioris amore.  
 Gnosia nec Thorio clamanti, & læta bibenti 235  
 Vina rosa, aut usquam cuiquam fuit ulla voluptas  
 Par isti, dum tela inter, clypeosque inimicos  
 Victores jam animam multo cum sanguine fundunt.  
 Omnibus usque adeo vitam producere dulce est,  
 Quaque licet niti seclis super esse futuris. 240  
 Verum non homini nequicquam tanta cupido  
 Insita natura est: quando certe optima rerum  
 Illa parens, cunctis statuit finemque modumque  
 Optandi, sua quisque tamen quæ possit apisci.  
 Natura lupus insidias meditatur & optat 245  
 Sternere depressa compertam in valle capellam:  
 Auritum leporem sequitur canis ore sagaci:  
 Sed captare canis leporem, lupus ipse capellam  
 Quippe potest: natura etenim non insita frustra  
 Tanta cupido homini, reliquisque animantibus esset. 250  
 Atqui nequicquam hic homini sese obtulit ardor,  
 In volucres tenuesque auras spes tanta recedit,  
 Rex nisi nos superùm post condita membra sepulcro  
 Esse velit, duri decurso temporis orbe:  
 Si non structa diu Pario de marmore templa, 255  
 Florentesque addurant urbes: quin juga montis  
 Aspera, & aëriæ vicina cacumina nubi  
 Absumit tempus, rerumque inimica senectus:  
 Et juvat usque adeo insano indulgere labori,  
 O miseri, queis tantus amor per vulnera, perque 260

Supplicium mortem petere, atque extendere nomen?  
 Obsecro ne meditata animis assuescite falsa,  
 Neu mentes anceps veri deludat imago:  
 Quando est perpetuum in terris nihil.  
 Aspiciate, impositæ Romanis collibus arces, 265  
 Et claris ornata olim monimenta trophæis,  
 Vestræque ingentes extremi ex finibus orbis  
 Ut jaceant turpique situ, & sine honore colossi.  
 Scilicet & tempus veniet cum maxima rerum  
 Roma parens, & pulcher erit sine nomine Cæsar: 270  
 Nec Decios, aut Romani duo fulmina Martis  
 Scipiadas quisquam norit: nanque astra necesse est  
 Certis temporibus terris effundere vires  
 Ipsa suas: his aucta virum præclara reperta,  
 Et structæ everstæque urbes, suadentibus astris: 275  
 Utque jubet Rex ipse deum, certo ordine servant  
 Illa vices: peraguntque suis stationibus orbis.  
 Hinc ubi longa dies, effætæ incendia terræ  
 Contingent, Siculis ceu cum fornacibus ignes  
 Prorupunt, flammaque imis tonat Ætna cavernis, 280  
 Candentes crepitant auræ, & caligine cæca  
 Aëraque, & cælum nigra ferrugine textit:  
 Intremis omne solum, liquefactaque viscera montis  
 Attollunt flammæ, & magnum per inane coacta  
 Alba cadunt, & strata jacent saxa arida passim. 285  
 Sic ubi terrifici late exarsere cometæ,  
 Astrorum appulsu, & ventis mox percitus aër  
 Excutiet rapidum scissis e nubibus ignem,  
 Terrasque tractusque maris, qua noxia tellus  
 Corripiet, quantum prospectant sidera terras. 290  
 Stant etiam nimbi ingentes, & tempore certo  
 Ventura eluvies: stant & cum flumina montes,  
 Et pater Oceanus spumantibus obruet undis:  
 Quaque juga & rupes præruptæ, erit æquor arandum  
 Felicis terræ: & qua nunc mare perfluit altum, 295  
 Inter-

Interdum surgent vicina cacumina cœlo.  
 Quin etiam extremis discretos partibus orbis  
 Desertas habitare plagas, nova quærere regna,  
 Explorare locos, & cingere mœnibus urbes,  
 Et dare venturæ leges & nomina genti, 300  
 Sidera suadebunt, ut Rex stellantis olympi  
 Jufferit: haud etenim penitus delere animantum  
 Omne genus certum est illi, nisi cum omnia tandem  
 Exitio dabit una dies. ergo illa cupido  
 Nequiquâ innata est homini, quæ maxima certe est, 305  
 Aut dicendi animi æterni, & meliora manere  
 Ossa sepulcretis ubi nostra reponimus imis.  
 Sunt exempla alia, & queis jam rationibus id tu  
 Affirmare queas: nam quæ vis illa animorum?  
 Iphis quando aditum prorsus nihil intercludit, 310  
 Atque vias omneis percurrit, & omnia lustrat,  
 Omnia pertentat volucris perniciosior aura:  
 Ardua non illi cœli supera alta videntur,  
 Non ipsi manes ima tellure repositi:  
 Nunc it ad occiduum spectant quæ littora solem, 315  
 Perquirisque urbes, genteisque, & nomina rerum:  
 Nunc Orientis opes, populosque invisit, & omneis  
 Transcendit terras, tractus maris, aëra, cœlum.  
 Lævibus hinc animas aliqui constare putarunt  
 Corporibus, forte illorum ut concurrerit ordo. 320  
 At jam explosa diu jacet hæc sententia vulgo.  
 Nam si fortuitis fierent concursibus, artus  
 Tempore non certo, moribundaque membra vigerent:  
 Verum nunc citius, nunc serius, ut tulerit fors:  
 Quin & bis septem ferrent fastidia menses 325  
 Matribus, aut plures: nec certis legibus ortus  
 Constaret, si casu aliquo vis illa subiret  
 Undique perficiens numeros, vigor omnia complens.  
 Quin etiam interdum magnum per inane coactis  
 Forte his seminibus, dum se per mutua nectunt, 330  
 Non-

Nondum corporibus genitis in luminis oras  
 Exirent animi. qua re fateare necesse est  
 Quo modo pugnabas, animos sine corpore vitam  
 Degere, nec semper duo se conjuncta tenere.  
 Ast alii penetralem ignem, sed corporis usu 335  
 Delabi ex superis ajunt, omnesque per artus  
 Errare, & tacitas cordi submittere vires.  
 Quod perdelirum porro est, cum semina prima  
 Quattuor accedant, dum singula commiscuntur,  
 Adrepantque solum, humorque, spirabile, & ignis. 340  
 Sic nihil exanimum esset, sed vigor omnibus idem:  
 Omnia conciperent animo, exaudireque posses  
 Æque homines, monteisque feros, sylvasque loquentes.  
 Quod si erat absurdum, Parnassi e vertice sacro  
 Harmoniam traxere nova sub voce Pelasgi, 345  
 Quæ res cunque foret numeris concordibus apta:  
 Delirum hoc itidem. nam quî prudentia frugi  
 Exoritur grave mentis opus? quique optima rerum  
 Justitia augustas ornavit legibus urbes?  
 Non etenim ex numeris sût hæc, neque fallere verbis 350  
 Est animus, rectam aut dictis abducere mentem.  
 Forma anima, & quædam res est certissima: tale  
 Nil numeri, incolumi re abeunt, redeuntque vicissim.  
 Quæ potui strictim: nam dicere multa parantem  
 Et verbi novitas vetat, & me cætera poscunt. 355  
 Nunc cape dicta, quibus tuto jam credere possis  
 Præceptis animum, & mercedem ferre laboris.  
 Quantis omniparens natura excellere rebus  
 Humanum dederit decus, ut genus omne animantum  
 Pareat huic ultro, vel tandem serviat uni, 360  
 Concipe nunc agelis animo: nanque ipsa videbis  
 Quæ pelago ducunt vitam, quæ flumine subter,  
 Omnia deberi nobis, quæque aëra tranant  
 Pernices volucres, & quæ pede lustra pererrant:  
 Retibus insidiæ hinc inventæ & fallere visco, 365

Hinc laqueo captare feras, catuloque sagaci:  
 Hinc prope pendentes scopulos, & gurgite ab imo  
 Jam notum in siccam pisces deducere arenam:  
 Ecquæ jam in nostros, quæ non convertimus usus?  
 Quin etiam & tygres homini, & parere leones 370  
 Longa dies docuit, natæque in montibus ursæ  
 Informes errant placide vacua atria circum:  
 Stat bellator equus domini jam lætus habenis,  
 Jam patiens, jam frena ferox spumantia mandens,  
 Et furit, & latos præbet calcaribus armos: 375  
 Stant & oves niveæ lanis, quæ vestibus aptæ  
 Murice suave rubent, viridi infectæque colore,  
 Graminaque atque ipsos certent superare zmaragdos:  
 Ipsæ etiam pastæ referunt distenta capellæ  
 Ubera lacte domum: linquens & bucula lucos 380  
 Ad mulctram venit, & sera ad præsepia nocte.  
 Aspice ut indomiti quondam, nunc sponte juvenci  
 Plaustra ferant, & torvus humum pulsat pede taurus:  
 Attamen inflexo mox sese accinget aratro.  
 Vis & naturæ partes, & magna parentis 385  
 Munera, & ingenteis terræ meminisse labores?  
 Hæc olus egregium, betamque, apiumque, papaverque,  
 Intybaque, & virides cauleis producit in annum:  
 Hæc tibi lactucis, herbisque salubribus hortos  
 Esse jubet lætos, longoque cucurbita collo, 390  
 Tortilis & cucumis semper sua munera apud te.  
 Non ego serpilli, aut mentæ, & bene olentis anethi  
 Delicias taceam, aut calthæ florentis honorem:  
 Non ego pallentis violas, & mollis acanthi,  
 Narcissive comam ignotam, indictamve relinquã. 395  
 Quid referam aut farris segetes? aut ordea grandia?  
 Aut milium? lentemque? & amantem culta faselum?  
 An vos præteream divini munera ruris  
 Arboreos fœtus? quibus & convivium inimus,  
 Felicesque deum cœnas: quid cerea pruna, 400  
 Quid

Quid nigra commemorem? neq; enim sapor omnibus idē,  
 Non color est unus, non idem temporis usus:  
 Vel quid mite pyrum, aut cana lanugine malum,  
 Illorumque genus varium, aut fileam, Luculle,  
 Poma tua? aut patrios referentia nomine Persas? 405  
 Non ego castaneasque nuces, oleamque Minervæ  
 Inventum, dulcisque uvas tua munera, Bacche,  
 Transeam, & aërii mellis cœlestia dona:  
 Non mihi si linguæ tot sint, quot Dædala tellus  
 Submittit flores, & quot poma educat annus, 410  
 Illorum & genera, & percurrere nomina possim.  
 An vero tot muneribus feliciter auctum  
 Nequicquam, ad lacrimas tantum natura tulisset  
 Humanum genus? atqui quod præferre volebat  
 Illa operi ingenti, reliquisque animantibus unum 415  
 Posthabuit, felixque animal dum ferre cupido est,  
 Protulit infelix miserumque ignara futuri.  
 Ah scelus, indignumque nefas, ignara futuri  
 Alma parens rerum? certis quæ legibus orbem  
 Temperat, in minimis cuique est solertia rebus. 420  
 Vel non infelix hominum genus, ultima vitæ  
 Omnia lux secum si aufert, injusta noverca,  
 Non altrix blanda, aut dulcis, sed subdola, fallax:  
 Te ne ego vel nostri generis, natura, parentem  
 Dicere, te ne ausim reri? nisi præmia vitæ 425  
 Exactæ persitent, solatiaque ante malorum?  
 Ecquis nam ærumnas, ecquis nam incommoda possit  
 Enumerare, graves hominumque referre labores?  
 Nascitur infelix homo, ubi fastidia menses  
 Longa tulere decem matri, vagitus & ingens 430  
 Primum exauditur, vitæ monumenta futuræ:  
 Nascitur infelix, nec humo se tollere quicquam,  
 Aut pede, vel dextra potis est, nec repere quoquam,  
 Cætera uti fuerunt animantia: sedula nutrix  
 Ulnis ni excipiat (miserum, indignumque) peribit. 435

Frigoris ille quidem haud patiens, in luminis oras  
 Profertur nudus, nec sunt alimenta quibus se  
 Recreet, & monitus naturæ deesse videntur.  
 Illa quidem reliqua hortatur mox nata subire  
 Pellibus intacta, alterius non indiga curæ, 440  
 Ubra lacte suæ matris distenta per herbam:  
 Pars villos, fetasve gerit, pars vellere tecta est,  
 Horrida pars spinis munita incedit acutis,  
 Et venientem audet petere, & propellere tectis:  
 Vulnificas aliis ungues dedit arma, quibus se 445  
 Defendant: aliis in laevi cornua fronte  
 Addidit, ultricesque sedent in cordibus iræ.  
 Quin virgulta etiam, & truncos circumdat amaro  
 Cortice, & a tristi defendit frigore brumæ.  
 Quære genus vitæ illorum: non vinea falce 450  
 Tondenda est, valido nec humus versanda bidente,  
 Non cura est curvo proscindere vomere terram,  
 Et lappas, sterilesque agris evellere avenas:  
 Non adeo, dum altum cinxerunt æthera nubes,  
 Illa timent segeti & crepitanti grandine pallent? 455  
 Proxima diis illis vita est: sunt gramina passim  
 Mollia, sunt flores beneolentes, & bona poma,  
 Mala, nucesque, genus varium: quæ Dædala tellus  
 Ut ferat, ut fervet, multæ est obnoxia curæ.  
 Vita hominum dura est, & plena laboribus omnis, 460  
 Quam mille invadant morbi, & tenuissima quæque  
 Funditus evertant: qualis secretus agellis  
 Nascitur in cultis hyacinthus, quem malus imber  
 Nube nigra effusus male perdidit, & decus illud  
 Abstulit, & foliis omnem decussit honorem. 465  
 Corporis heu pestes quot sunt? non major arenæ  
 Est Libycæ numerus: morborum copia mentis  
 Est quoque permagna, & quos non animantia norint  
 Cætera: sunt illis optandi denique fines,  
 Sunt & habendi: non auri malesuada cupido 470



Cogit in abruptum descendere navibus æquor,  
 Non se, animam, corpusque una pellacibus undis  
 Credere, ventisque, & stridorem audire procellæ.  
 Sat virides ollis saltus, in tonsaque luffra:  
 Sat liquidi fontes, nigra quos protegit umbra 475  
 Fraxinus, aut abies, vel acutis frondibus ilex,  
 Qua super aëriæ sidentes dulce columbæ  
 Ardenti sub sole docent gemere undique silvas,  
 Utpote sollicitum quæ detestentur amorem.  
 Qui furor, etsi aliis animantibus abditus hæret 480  
 Visceribus, generi ille hominum in præcordia repit  
 Intima, cædisque & multorum est causa malorum.  
 Uritur infelix juvenis misere, ossaque & artus  
 Incendunt tædæ ardentes, urbemque peragrat,  
 Vestigatque altas formosæ virginis ædes. 485  
 Illa domi ingenuo assuescit parere pudori,  
 Quam casta instituit mater, nec tollere vultus  
 Audet humo, juvenem si forte inspexerit usquam,  
 Conniventem oculis, & pectore suspirantem.  
 At miser abrupto jactatus vortice amoris, 490  
 Qualis ab Ætneis spirans fornacibus ignis,  
 Huc illuc rapide fertur: non frigora noctis,  
 Non imbres, solis non spicula fervida tardant.  
 Sponte suis stratis abiit, limenque puellæ  
 Observat pernox: non illum dicta parentis 495  
 Abstrahere inde queunt, non multa concitus ira  
 Jam frater, caræ pupugit quem fama sororis.  
 Ergo armis putat obstandum, nec jam esse ferendum  
 Audacem juvenem: quare prorumpit & ense  
 Rem gerit, & patrios incestat cæde penates. 500  
 Quod si non aliis miserum, infelixque videtur  
 Humanum genus, uno hoc accipe: cætera finem  
 Non rerum meditantur, non tristi anxia cura  
 Norunt, ut vita sit denique discedendum:  
 Non lacrimas fundunt falsas formidine pœnæ, 505

Morte obita Divûm tandem ad subsellia Regis  
 Cum causa in magna nobis dicenda corona est.  
 Quare homines vita illustres, & fortiter ausos  
 Certare, & sese, atque alios superare ferendo  
 Læta manent loca, quæ ipsa non deprendere mente 510  
 Viventes clausi tenebris, & carcere quimus.  
 Hoc natura viros studio venerata, labores  
 Addidit egregios: pulcre quibus exantlatis  
 Æternum sedeant alta ad delubra deorum.  
 Quod superest, aliis rationibus exsequar: at tu 515  
 Volve animo, ad verum tandemque accedere disce.  
 Heroes, quorum pietas insignis, & omni  
 Laude fuit major, divûmque simillima vita  
 (Non ignota cano) quæ mox ventura minorum  
 Temporibus fuerant, cecinere prioribus annis. 520  
 Vis ea mortalis non est, quæ nosse futura  
 Sic potuit. neque enim tabulam vel dius Apelles  
 Rerum gestarum media suspendit in urbe  
 Fulgentem minio, lateque Corinthio auro,  
 Rem quæ ita monstrarit. stant nunc quoque, perlege tu  
 Sacro veridici fuderunt pectore vates. (quæ 525  
 Hos felix quondam, & Divûm gratissima Regi  
 Sancta Palæstinæ tellus fata ipsa canentes  
 Vidit, & ex illo scripta hæc fuit tempore nobis.  
 Excidium patriæ multi, fata aspera flebant, 530  
 Et superûm eversum vi lamentabile regnum:  
 Quos inter pleetro Rex nil mortale sonanti  
 Personuit dulce, altumque, & nova carmina dixit.  
 Nanque canebat, uti lapsis certo ordine seclis  
 Regnator superûm sortem miseratus acerbam 535  
 Humani generis, quod cælo excluderat alto  
 Unius ob noxam, mitesceret, & meliori  
 Mente preces hominum audiret: quare adfore tempus,  
 Ut suus ipse, suus Natus, quemque unice amaret,  
 Mortalem indueret formã, moribundaque membra, 540  
 Cu-

Cujus in adventu pallentes undique morbi  
 Diffugerent, bellique metus.  
 Hunc ubi jam edisset mater virgo omnibus expers,  
 Venturos Reges qua sol caput exserit undis,  
 Myrrhâque, aurumque, & Panchaia thura ferentes. 545  
 His addebat, uti fugiens sævi arma tyranni  
 Cum puero, ut primum genitrix viridantia Nili  
 Tangeret arva, deos fore nusquam, oracula passim  
 Casura, arasque, & laqueata aurataque templa.  
 Nec minus, ut puer ad patrias contenderet arces, 550  
 Docturus late populum, sanctumque senatum,  
 Proderet utque unus quicquid cecinere priores.  
 His cithara aurata dum personat, adjungebat  
 Quærentem matrem puerum: jam nulla neque urbis,  
 Nec loca agri restant, quæ non virgo optima lustret. 555  
 Ah dulcis virgo, jam ter sol extulit alto  
 Oceano caput, & ter littore inersit Ibero,  
 Nec potus fessam, Cereris nec cura tenet te:  
 Quid tantum telluris obis? quid pectore ab imo,  
 Quid tot pallenti fundis suspiria vultu? 560  
 Ille ædem ad patriam in conventu arcana recludit  
 Rerum æternarum: divino cujus ab ore  
 Pendentes populi dicta aurea depascuntur.  
 Quid loquar? ut caneret rerum miracula, vita  
 Corpora defuncta, & reditura in luminis oras. 565  
 Inventus jam qui pedibus superare marinos  
 Et possit fluctus, summas nec tingere plantas.  
 Effer aquam, virgo, fluviis cava dolia comple,  
 Excipe fœtibus, jam sunt mollissima vina:  
 Ipsa tuis felix hilara convivia donis, 570  
 Lætitiæque auge, magnis & honoribus urbem.  
 Quid referam, ut fleret vatum de more suorum  
 Cœlicolùm extinctum crudeli funere Regem;  
 Et matrem infelicem in summo vertice montis.  
 Ah misere Nati delentem veste cruores? 575

Aut ut narrarit triplici circumdata muro  
 Mœnia, pro vita, pro libertate suorum  
 Ardua terribilis tecta expugnanda tyranni,  
 Victoremque Erebum vastantem, & nigra prementem  
 Tartara, & exuvias referentem Acherontis avari: 580  
 Vix alte in cœli foribus suspenderat arma  
 Ignibus e mediis rapta, & crudelibus oris,  
 Et Pater occurrit, fulvaque ab nube Columba  
 Unigenam læte plaudentibus excipit alis.  
 Omnia quæ quondam Rex magnus & optimus ille 585  
 Dum caneret, iussit caros ediscere cives,  
 Atque hæc ipsa suis monumenta nepotibus esse  
 Carmina, dum palmis dives florebit Idume.






# AONII PALEARII

## VERULANI

### DE ANIMORUM IMMORTALITATE

#### LIBER TERTIUS.



UNC animis quæ sit sedes, quæ  
præmia vitæ

Quenque bonum tandem ma-  
neant, quas pendere pœnas

Conveniat fontes, properante quis  
undique Rege

Tolletur clamor, quæ signa fu-  
tura, tubæque,

Expeditam dictis: tu nunc adsisse canenti, 5  
Qui cœnatus apud Regem stellantis olympi  
Ipsius in gremio requiesci, & tempore divûm  
Ex illo interpres fatorum arcana canebas:  
Dumque tibi & Matri solido de marmore templum  
Instituunt Verulis Volsci, Marsique Latinique: 10  
Annuæ dumque ferunt sacra, & sœlennia vota,  
Huc ades, & me quadrijugo simul excipe curru,  
Perque Erebi vastas sedes, perque aurea cœli  
Me delubra, pater, ducta, remque ordine pande  
Venturam, & qui sit fatorum immobilis ordo. 15

Post-

Postquam confectum mortalibus est breve vitæ  
 Curriculum, tenebris ubi Mors adoperta calorem  
 Vitæ extinxit, nec quicquam auditque videtque  
 Pallidulum, mutum, prorsusque exsanguie cadaver,  
 Nosse potes peragrare animam loca cognita nondum. 20  
 Nam Pater omnipotens, æqui cui maxima cura,  
 Prospectans hominum mentes, scelere undique turpi  
 Tabenteis, longe a patrio secedere cœlo,  
 Nec reclamanteis animos rationibus usquam  
 Deduxisse illos vitiorum e vortice turpi, 25  
 Supplicium horrendum statuit: quas pendere pœnas  
 Ah miseros cogit, cruciatibus ah quibus omni  
 Affectos jubet esse ævo tellure sub ima!  
 Illic vipereis turba est accincta flagellis:  
 Nox ibi perpetua, & semper caligine nigra 30  
 Est domus attonita, & graveolenti sulphure fumum  
 Ignivomi eructant montes, atramque favillam.  
 Unde fluunt undis septem ferventibus amnes,  
 Qui simul immensum circumfluxere barathrum,  
 In glaciem montes, ipsi hi vertuntur in ignem. 35  
 Huc fontes animæ scelerum gravitate feruntur  
 Sponte sua: neque enim superas se tollere ad auras  
 Concretæ vitiis possunt, cœlumque tueri.  
 Quales nocturnæ volucres, ubi Lucifer alto  
 Exserit Oceano caput, & radiantia Solis 40  
 Spicula discutiunt tenebras, lucemque reducunt,  
 In tenebras sese abjiciunt, utroque feruntur  
 Qua deserta magis, qua sint tenebrosâ sepulcra.  
 Huc ubi deventum est, informes undique larvæ  
 Conveniunt, & supplicia ad crudelia cogunt. 45  
 Pars circum insultans horrendis vocibus instat,  
 Pars urgens facibus medios deturbat in igneis,  
 Flammarumque globos, ubi seclis mille peractis  
 In glaciem projecti altam, nivibusque sepulti,  
 Plangore & gemitu nequicquam tartara complent; 50  
 Nanque

Nanque ubi quingentis riguerunt frigore seclis,  
 Inferni aucti amnes late ferventibus undis  
 Infano magnos contorquent vortice monteis:  
 Fluctibus his merſi torrentibus, ut mala paſſi hæc  
 Seclis ſexcentis, repetunt ex ordine prima 55  
 Supplicia, & nuſquam miſeris datur hora quietis.  
 Nec ſum animi dubius, multos ut inania noſtra  
 Carmina riſuros: quoniam quæ corpora non ſunt,  
 Non flammas, friguiſque pati, non verbera, rentur.  
 Eſt hominum hæc audacia, quos præſcribere cœli 60  
 Non pudeat Regi. quid enim? quod juſſerit ille,  
 Non fiet? fac velle, idem qui carcere cluſit  
 Mortali immortalẽ animam, quæ corporis expers  
 Certe erat, efficiet, ne qui ditiffimus æris,  
 Dives agri, regi aſſimilis luxuque epuliſque, 65  
 Omnis cui longum blandita obſcœna voluptas,  
 Impia quique arma & crudelia bella ſecuti,  
 Et vitæ leges radicitus everterunt,  
 Præmia ſint eadem accepturi atque optimus ille,  
 Quiſquis iſ eſt, ſpreto qui regno atque ædibus altiſ 70  
 Pauperiem & duros potuit perferre labores.  
 Sanctum hominũ genus hoc, veræ qui ad commoda vitæ  
 Confluxere, illis non cura ut regia veſtis  
 Velaret læves humeros, nec jaſpide longi  
 Ut pellucidula pulchre digiti ornarentur: 75  
 Non dapibus menſas onerare, oſtroque ſuperbo  
 Diſcubiſſe ſuper, non tempora fundere vino,  
 Non fora compoſito circum volitare capillo.  
 Dii quanti, qualeſque viri, quam fortiter auſi!  
 In flammas illi abjecti, & crudelia paſſi 80  
 Supplicia, injuſti, durique ante ora tyranni  
 Haud vinci potuere, aut in contraria ferri.  
 O fortunati, quorum mens conſcia recti:  
 Salvete æternum heroes, quos aurea divũm  
 Regna manent, nunquam caſura fluentibus annis: 85  
 Nuſquam

Nusquam illic curæ, nusquam dolor : omnia læta,  
 Omnia tuta, animas tenet omneis una voluptas.  
 At contra tenebris clausos & carcere cæco,  
 Luctusque & curæ tristes, & sedulus angor  
 Opprimit æternum, & qui unus dolor altus habetur, 90  
 Jam norunt, folio ut poterant confidere divûm,  
 Ut poterant hominum & cœlestum adfistere Regi,  
 Æternumque frui luce omnipotentis Olympi.  
 Nec vero si forte aliquis bene vixerit, usquam  
 Deque via recti paulum declinet, in oras 95  
 Luminis æternas subito properare fatendum est:  
 Ipsi etiam labe affecti, vitiisque levati,  
 Queis longum obsessi fuerant, recta ire putandi  
 Non sunt ad superos; veluti cui plurimus insit  
 Visceribus dolor, & pigris vis tabida membris, 100  
 Non prius ad rectos potis est accedere sensus,  
 Ut jamjam amissæ redeant in pristina vires,  
 Ingenue quisquam nisi doctus Apollinis artem  
 Adsit, jam suetus curare salubribus herbis  
 Membra diu vitiosa, modis pallentia miris. 105  
 Multos ille quidem succos, multosque liquores  
 Miscere instructus, dictânum, absinthia tetra,  
 Doctorumque hominum præclara inventa ministrat.  
 Sic Pater omnipotens, æqui cui maxima cura,  
 Qui bene de patria meriti, & virtutis amore 110  
 Multa diu passi, si qua admisere pudenter,  
 Et quos pertæsum est scelerum, pacemque per aras  
 Æternum petiere suas, non destinat Orco:  
 Unde haud egressus patet ullus, & ostia claudunt  
 Sexcentûm pondo, & multa rubigine vectes. 115  
 Sunt Erebi geminæ portæ, quarum altera solis  
 Spectat ad occidui terras: hac undique tristes  
 Succedunt animæ, vitæ fugiente calore:  
 Hanc valvæ nullæ claudunt, sed limina pernox  
 Ipsa Dolor servat, spinas ægre inter acutas 120  
 Ille



Ille jacens squallet macie, & vix ossibus hæret,  
 Atrox, terribilis, dextram & lævam implicat angue,  
 Late oculis ignem spirans, mirabile dictu,  
 Letiferum spumis mixtum vomit ore venenum.

Vestibulo is positus custos, sacra ostia servat, 125  
 Nec revocare gradum quemquam finit. altera longe  
 Porta est, purpureus qua Lucifer exserit ante  
 Phœbæos radios jubat, & noctis fugat umbras.

Hac iter ad superos, si quando hæc ipsa pateret:  
 Hac iter Elysiūm, qua Rex stellantis olympi 130  
 Traduxit notos divino carmine vates:

Post illa clausa, & Regis signata sigillo est.  
 Sed quia nec digni cœlo, nec carcere claudi  
 Inferno, statuit Rex æquus, & optimus ille  
 Delere assumptam labem, decus atque vigorem, 135

Auramque ætheriam donis felicibus auctam  
 Reddere diis similem, & dignam penetratibus altis.

Ergo quale aurum accensis fornacibus igne  
 Excoctum multo, tabem felicibus omnem  
 Exiit acceptam, & formam magis induit auri: 140

Sic animæ, quas ille diu tenet acrior ardor,  
 Æternum abijciunt concretam corpore labem:

Nam gyro aërio, qua corruit aureus ignis,  
 Vicinasque urit nubes fervore corusco

Extremas inter diffusilis aëris oras 145  
 Panditur hisce animis sedes venientibus ultro:

Quaque magis gravitate carent, sese altius auris  
 Ætheriis tollunt, donec jam funditus omnis

Torrenti flamma vitiorum exaruit humor,  
 Atque exesa omnis circum rubigo fatiscit. 150

Ast alii sedem late, longeque repositam

Extra anni solisque vias dixere, laborum

Immunem, hospitiumque velut bene dulcis amici:

Quandoquidem Regis non est florentis honore,

Florentis pietate, suos quos legerit ante 155

Stellarum cursum, & teneri cunabula mundi  
 Exercere odiis tandem statione peracta:  
 Quos propter Natum, sua lumina, quem sibi fecit  
 Hæredem rerum, cœlo demisit ab alto:  
 Qui formam indutus nostrâ, moribundaque membra 160  
 Oppressos morbi misere gravitate levaret,  
 Insignemque notam longum impietatis inustam  
 Deleret moriens, veluti placidissimus agnus  
 Pro populo tristeis animam positurus ad aras.  
 Non ita quæ spectant orientem littora solem 165  
 Occiduis absunt terris, quas ferus olympto  
 Procedens tremulo perfundit lumine Vesper,  
 Ut vitium a nobis, quibus est hac morte piatum:  
 Hinc vera pietate Cilix clarissimus, omni  
 Ætate absumta in studiis feliciter istis, 170  
 Quæ fuerint nostri repetens commissa parentis,  
 Quidque boni attulerit rerum moderator IESUS,  
 Sustulit & vocem, & dupliciceis ad sidera palmas:  
 Munera magna, Pater, tua sunt, jam vicinus: ergo,  
 Hostis, habes: etiam captus non abjicit hastas 175  
 Perfidus: hostis, habes, injecta novissima plaga est:  
 Si mortalis homo tantum nostram imminuit rem,  
 Fare age, quo cumulo nunc auxerit immortalis.  
 Hæc calamo, hæc eadem divinitus ore serebat  
 Nonnullis bonis ille locis, queis credere par est, 180  
 Perbelle iis animos agere in regionibus ævum  
 Securos, mundi vel si trans mœnia, vel si  
 Ignibus in mediis degant candente favilla.  
 Dum bona venturi succedant tempora secli.  
 Sic res ipsa quidem est, sed quam non cernere quimus 185  
 Ipsi oculis, rerum haud gnari, incertique futuri.  
 Sed neque ob id falsa est: quando quæ dicere possim,  
 Sunt sexcenta quidem, quæ qui non viderit, esse  
 Falsa putet: visa hæc, dubio procul autumet esse.  
 Quid si ego dixissem, ferres? nisi cognita multis 190

Præclare scriptis hominum res tanta fuisset,  
 Laſerpiceris fontem manare Cyrenis,  
 Qui noctu late torrentibus æſtuet undis,  
 Noctu dum tenebris humentibus omnia frigent,  
 Et Phœbe auratis incedit roſida bigis: 195  
 Cum vero luſtrat radiis ſol igneus orbem,  
 Ardentique omnem calſecit lampade terram,  
 Per Libyæ perquam gelidus labatur arenas.  
 Huc illud quoque nunc ſpectat, quem nomine Graji  
 Dixerunt Magneta, lapis miro attrahit uſu 200  
 Quodcumque obijcitur ferrum, tactumque quod illo eſt,  
 Ducit, & hoc itidem veluti Magnesia cautes.  
 Huc ageſis, ſimul accedant adamantina ſaxa  
 Non jam concordi ſtudio compacta tenentur,  
 Inque odium mutatus amor, conſtataque longe 205  
 Invidia ut ſolvant cogit vincla illa repente.  
 Crederet an quiſquam? niſi res quæ cognita jam tum  
 Ipſa fidem faceret: nam queis rationibus iſtuc  
 Conſeri poſſit, nihil eſt quod noſſe queat quis,  
 Docta licet ſummi fuderunt carmina vates. 210  
 Fabula nanque nova eſt, per crebra foramina ferri  
 Magneta inſinuari, eſt, quod levis abditus aër,  
 Et cava conveniunt plenis conamine magno:  
 Non adamas etenim Magnetem excluderet omnem  
 Æraque, quæ multo cava ſunt magis, arida ſecum 215  
 Attraherent, ſtipulamque, & ligna abſumta ſeneſtâ.  
 Neve ego te exemplis externis demorer, addam  
 Nota domi aſſidue, quæ quondam incognita, (quid ni?)  
 Fallaci hac æque fieri ratione negaſſes:  
 Saxa ubi gypſati effoderunt grandia ſervi 220  
 Aëriam acclivis poſituri in collibus arcem,  
 Arte laboratis ſuper antra exeſa caminis  
 Congeriem ſtatuunt in formam fornicis alti:  
 Nec minus agricolæ duri reſcindere ferro  
 Annofam quercum certant, atque arte magiſtra 225  
 Ari-

Aridulis nigram lignis explere cavernam:  
 Inde ubi forma pyræ structa est, ex ignibus ignem  
 Ingentem parvis augent, sonat ardua saxis  
 Congeries, cæcis fornacibus ignis anhelat.  
 Illi instaurantes ornosque, & fissile robur 230  
 Subjiciunt, fruticesque leveis, stipulamque sonantem,  
 In bibulum cinerem quo saxa immania vertant.  
 Optimus hic operi cinis est: qui frigidus esse  
 Principio visus: quem tu si asperferis unda,  
 Igne gravi exuri circum vicina videbis, 235  
 Et magnam attolli torpenti e pulvere flammam.  
 Quod si pingue oleum fundas, alimenta videmus  
 Quod tamen esse ignis, subito vis deperit omnis,  
 Flammaque continuo victrix perfusa repressa est.  
 Huc agesis animum referas: quî debuit unda 240  
 Auxilio esse igni? duo quæ pugnare necesse est,  
 Et flammam extingui aspergine pinguis olivî?  
 Quod si jam nosti rationem reddere dictis,  
 Ipse quidem nihil obsto: etenim facile esse videtur,  
 Quæ quisvis spectet, rerum jam effingere causas. 245  
 Omnibus hoc adeo est vitium mortalibus ægris,  
 Notarum ut rerum causas scrutentur, & omnes  
 Vulgata illustrent dictis. quis semina flammæ  
 Nesciat in filicis concreta atque abdita venis?  
 Quis non in baccis proceram stipite laurum 250  
 Novit inesse? fuit tamen hoc mirabile quondam.  
 Multa quidem nunc esse liquet præclara reperta,  
 Quæ fieri nunquam dixere prioribus annis.  
 Nam quæ res illa est? & non imitabile fulmen:  
 Res aliter cecidit, positis incudibus urbes 255  
 Jam magnæ ferrum exercent: fit fistula qualem  
 Non oculis, non ipsi animo videre priores,  
 Fistula missura haud nequicquam ferrea bombos,  
 Aut conflata ære ex cocto, liquidisque metallis,  
 Præruptas arces cava dejectura columna: 260

Inven-

Inventum præclarum, ingens, quod nos quoque cælo  
 Exæquat, Jove nec solo jam maxima cæli  
 Porta tonat, tantum non jam se jactet alumno  
 Ida suo, & Cyclopum opera Vulcania tellus.  
 Nanque ubi perfecta est moles, treis sulfuris addunt, 265  
 Treis falsi parteis nitri, treis pulveris attri  
 Exusta ex corylo, aut lignis quorum indiget usus:  
 Parte alia informant immani pondere glandem  
 Stridentem duro ex chalybe, plumbove recocto:  
 Mox igne admoto, misceri murmure cælum 270  
 Incipit, & tonitru horrendo, concussa videntur  
 Æquoraque & terra, & domus omnipotentis olympi.  
 At perterricrepto sonitu picea undique nubes  
 Attollit se eructans flammam, atramque favillam.  
 At simul irrupit vis ejus, & impetus acer, 275  
 Procumbunt turres, æquataque machina cælo  
 Corruit, atque altum dant saxa avulsa fragorem.  
 Quin & dum adversis acies concurrere signis  
 Constituunt, fortesque viri prorumpere cornu,  
 Vidi ego sublato flammis ex aggere nimbo 280  
 Sulfureo heroas correptos fulmine centum,  
 Candenti centum transfixaque pectora plumbo:  
 Dumque iterū atque iterū molis fragor intonat ingens,  
 Umbones, ocreas, galeas, enseisque, verutaque  
 Uno ictu cadere, & coacervari aggere magno, 285  
 Et latos multo respergi sanguine campos,  
 Altaque majori dilabi flumina cursu.  
 Fare age, vel falsum est? & non imitabile fulmen?  
 Ergo multa modis miris fateare necesse est,  
 Esse quidem non nota homini. penetralia Regis 290  
 Quis superūm invisit, nisi quos Deus æquus amarit?  
 Quisve Erebi vastas sedes, nigraeque lacunas  
 Accessit, victorque pedem cum laude reflexit?  
 O felicem illum virtute, & munere divūm.  
 Crede olli: nam vera canit. 295

Treis igitur sedes statuit Pater optimus ipse,  
 Quando non eadem nobis est palma parata.  
 Scilicet hoc sanctum est, ne quid sperare precando  
 Defuncti vita possint: sua præmia quenque  
 Certa manent, firmo certæque ex ordine pœnæ. 300  
 Hoc est justitiam colere, & præstare Deum se.  
 Non etenim leges, hominum quarum indiget usus  
 Justitiam expendunt: est qui vetitos hymenæos  
 Contemptor divûm invasit, ferroque parentem  
 Perdidit, & bello civeis, fratresque veneno, 305  
 Ut parta insidiis liber regnaret in urbe,  
 Omnia fanda, nefanda ausus: quem ferre minores  
 Cum jam non possent, victum popularibus armis  
 Dicere jusserunt causam acclamante corona:  
 Quare hominē usq; invisū, inter patria arma trementem  
 Pallentemque modis miris formidine pœnæ (310  
 Ad fora sublimem rapiunt, ibi poplite utroque  
 Submisso, caput ense humeris avellitur altum.  
 Non dedit ille quidem pœnas quas debuit, annos  
 Utpote qui multos alacris mala gaudia mentis 315  
 Posthabita est adeo insanus virtute secutus,  
 Molitus cædemque virûm, exitiumque bonorum.  
 Ergo aliâs pœnæ dandæ, nec morte dolores  
 Finiri sperandum: etenim sunt ultima nunquam  
 Secla illic, æternum ubi vita labore referta est. 320  
 Tune diu Baccho indulgens, Venerique nefandæ,  
 Pauperis agricolæ pinguem populatus agellum,  
 Ora manusque tui respersus sanguine fratris,  
 Non hîc, morte obita ast illic dabis, improbe, pœnas.  
 Scilicet incolumis sextum jam consul in urbe 325  
 Atque iterum fias, & tot demiseris ense  
 Egregios diro civeis pallentibus umbris,  
 Sanguine sudarit, belloque exarserit orbis,  
 Lumina tu patria claudas secutus in aula?  
 Et jam sub terris placide, æternumque quiescas? 330  
 Non

Non ita, mi pœnas scelerata in morte rependes.  
 Non ibi iudicium corrumpes, nec reus auro  
 Te redimes grandi, nec cincta altaria circum  
 Effigies sanctorum hominum funalibus altis  
 Tete igni eripient, aris impositaque thura: 335  
 Non in iudicium versis crudeliter armis  
 Restitues dominum te te: sed tristia tandem  
 Funera post, porro faciet manifesta fidem res:  
 Et quæ sint pœnæ, mihi post narraveris ipse.  
 Disce deos colere, & dignam diis degere vitam. 340  
 Quin te animo constans instringis fortiter? & te  
 Affirmas? dictis sapientum assuetæ moneri.  
 Nec vero inventis Græjùm nos credere par est  
 Omnibus: est etenim nimirum Græcia mendax.  
 Nam quo illud spectat? post tristia funera rursus 345  
 Immemores cupiunt in corpora velle reverti.  
 Fabeillæ Græcorum hominum: quid corpora linquunt  
 Prima animæ? quid solvi opus est, in corpora rursum  
 Claudendas, vita quas cogas rursus abire?  
 Nascendum toties, si sit toties obeundum, 350  
 Nulla manet requies hominem, sedesque beatæ  
 Nusquam igitur. quid tu mihi de flavo Rhadamantho,  
 Quid mihi de Elysiis tot garris, Græcule, campis?  
 Quid mihi felices fingis, dicisque beatos  
 Æternum, in mala quos opus est, luctusque redire? 355  
 Adde illud delirum itidem, quo expendere pœnas  
 Conmonstrent animas scelerum, petere horrida fontes  
 Corpora seclorum, & pecora inter degere vitam.  
 Et, quod ridiculum est, ajunt, ut turpis adulter,  
 Flagitium ne impune ferat, muliercula fiet, 360  
 Ipsa viris quæ se prosternat corpore toto.  
 Pœnarum egregiæ laudes, præclara reperta,  
 Flagitium scelere ut cumulent, & crimine crimen!  
 Ad nos ergo animum refer, & verissima dicta  
 Accipe sis, mentēque adhibe, quam impellere verbis 365

Veridicis possim, & versu perfundere dolci.  
 Postquam sat terris actum, molemque operosam, &  
 Longævam mundi mutari ex sedibus imis  
 Cœlicolûm visum Regi, nec jam amplius ulla est  
 Progenies hominum cœli ventura sub axem, 370  
 Judicium sistet Rex omnipotentis olympi,  
 Judicium firmum, sanctum, ingens, quo genus omne  
 Omne hominum in conventu aderit, qui in luminis oras  
 Advenere unquam, citius, seu serius illos  
 Secla tulere, dies pariter quos abstulit atra. 375  
 Non tamen id clam aut obscure contingere par est  
 Jus summum, jus acre: manent certissima signa  
 Temporibus certis, atque alte terminus hæret.  
 Primum etenim misere ardebit terra undique bello,  
 Et populi Regesque fremunt: sub fœdere pacis 380  
 Evertent focii sociorum funditus urbeis.  
 Vexabunt alii patriam civilibus armis,  
 Et desiderio diraque cupidine cædis  
 Vulgo alacres tereti plangent cava tympana virga,  
 Efflabuntque tubas, & raucis cornua bombis. 385  
 Vastabunt agros pallenteis cæde coloni,  
 Incendent pagos alii; & splendentia aratra  
 Ipse ipse horrendos pastor conflabit in enses,  
 Ad bellumque ultro dirum armentarius ibit:  
 Rura colet nemo, nusquam tellure subacta 390  
 Vomere ducentur posito ad præsepia tauri.  
 Frugiferi nusquam campi, rubus asper ubique,  
 Et densi surgent frutices, lappæque tenaces,  
 Rastrorumque experts, & aduncæ vinea falcis  
 Incultis dulcibus committet sentibus uvas, 395  
 Et longo crescent proceræ palmite vites,  
 Et spissis nimium aëriæ ramalibus ulmi.  
 Hinc ubi bella colent arva, & pax candida cessit,  
 Undique provenient frumenta angustius agris.  
 Quod si cura hominum accedat, rursusque per artem 400  
 Quis-



Quisquam agros moveat, nullam Pater ipse colendi  
 Tum volet esse viam, frustra insectabere raistro  
 Assiduus terram, frustra adnitêris aratro,  
 Nullæ tum segetes, nulla frumenta sequentur.  
 Nam talpæ solis visuri lumina nunquam, 405  
 Curculioque vorax, & longo ventre locusta,  
 Subripiunt quæ quis mandarit semina terræ.  
 Adde etiam ingentis pluvias, & tempore iniquo  
 Triticeam in segetem late Boream insultantem.  
 Adde gravem dura concussam grandine aristam, 410  
 Cum jam flava Ceres lætis rideret in arvis.  
 Mox fœda ex Orci tenebris adrepet egestas,  
 Mox & dura fames ruet, & radicibus herbas  
 Avulsas, glandemque feret mortalibus ægris.  
 O miseri, quos dira lues, quos triste manebit 415  
 Exitium: tune, ô cœli Rex maxime, & idem  
 Optime, quid? tune ah tanta spectabis ab alto  
 Ærumnas hominum, nec te miserebit, olympo?  
 Ira quousque tua, ô bone Rex?  
 Scilicet id firmum est, atque alta mente repositum, 420  
 Et fatale quidem, nec tum tractabile numen:  
 Esto, haud fas servos Regi præscribere, Regi  
 Parendum: fuerint quæcunque ea fata, feremus.  
 Ergo pestilientia acris, miserandaque cœli  
 Incumbet populis vitio, sine civibus urbes 425  
 Funestæ invisi poterunt, sine rura colonis.  
 Excedent dulci vita, nec ducere puram  
 E cœlo quibunt animam, spirabile quando  
 Corruptum late strages dabit, & grave olentis  
 Vulgo fœtorem lacus exhalabit Averni. 430  
 Tum juvenes olim florentis, cum breve vitæ  
 Ver agerent, dura jam fessi ætate parentes  
 Infatiabiliter flebunt; mœstæque sorores,  
 Dum flavo longos solvent a vertice crines,  
 Pallidulæ efflabunt super ipsa cadavera vitam. 435  
 Nec

Nec minus interea falso præcepta salutis  
 Inscribebant alii, contraque edicta piorum  
 Bacchantes edent insana volumina vatum.  
 Tum perterriti crepos sonitus per viscera terræ  
 Iri exauditum certum est, & motibus orbis 440  
 Insolitis, circum & cœli domus alta tremiscet:  
 Procumbent succussæ urbes, turritaque tellus  
 Excutiet magno senior jam pondere nutans,  
 Quod diu onus tulerat, longo post tempore collo.  
 At dum terribiles minitatur terra ruinas, 445  
 Et motu ingenti magnas tremefecerit urbes,  
 Non face sol rosea ex alto se ostendet Olympo,  
 Sed caput obscurum densa inter nubila condet  
 Tristis, egens lucis, concedens is quoque fatis.  
 Lunæ globus ipse etiam tabescet, & astra 450  
 Per noctem: ex undis & cum jam surgere Eois  
 Deberet Phœbus, nonnulla cadentia cernent  
 Attoniti passim juvenes, trepidæque puellæ,  
 Et tunsæ palmis longævæ pectora matres,  
 Percussique senes late formidine divûm. 455  
 Interea nigrantem insana per æquora nimbum  
 Fulminibus gravidum ferri, & maria omnia arenam  
 Evomere, & magno compleri murmure pontum  
 Accliveis portus, jamque oppida consternantem,  
 Et falsos cœli tollentem ad nubila fluctus, 460  
 Horrentes populi rerum novitate videbunt.  
 Hinc veriti, pater Oceanus spumantibus undis  
 Ne ruat in terras, mediumque mare omnia fiant,  
 Ad juga confugient prærupta, & rupibus abdent  
 Sese convexis: O æternumque beati, 465  
 Et vere, dicent, qui olim melioribus annis  
 Occubuistis: erant vobis qui ponere terra  
 Vos possent patria, & tumulo concludere aviro:  
 Quæ nos exercet, quæ nos divûm ira fatigat?  
 Antra graves hominum vos ô miserata labores, 470  
 Quæ

Quæ nobis restant, ad quæ confugimus antra  
 Corruite, integite, & finis vos este malorum.  
 Has dum sollicito fundent de pectore voces,  
 Et tristi miseræ iterabunt ore querelas,  
 Audiet omnipotens, & majestate verendos 475  
 Diriget ad lacrimas oculos perculsus amore.  
 Mox igitur tonitru horribili fulgentia templa  
 Concuriet cœli: liquidum flamma æthera lustrans,  
 Quo silvæ, montesque feri, & tremet undique tellus,  
 Et jactata fremunt ponti tumida æquora circum: 480  
 Ter folio assurgens, tensa ter pectora dextra.  
 Contingens leviter, magni sacraria cœli  
 Jurabit Divûm Pater immutabile verbum.  
 Ergo purpureum qua sol caput ostendebat,  
 Mane novo lucem referens mortalibus almam 485  
 Procedet, radiis ardentia signa coruscis  
 Signa dierecti superûm Crux aurea Regis:  
 Cui quondam (quid nunc totum vulgata per orbem  
 Carminibus repetam?) vitam sub imagine degens  
 Humana Rex est ultro suffixus olympi: 490  
 Ut quas nos scelerum par esset pendere pœnas,  
 Ipse daret: pietatis is est cœlestibus ardor.  
 Sustulit hæc ubi signa igitur dux maximus, arce  
 Ex cœli creber tonitrus, clangorque tubarum  
 Complebunt omnem raucis mugitibus orbem. 495  
 In summum deducta locum, flammescere cœli  
 Incipiet moles longe candentibus auris,  
 Amfanctique graves fauces, & tristis Averni  
 Igniferam efflabunt animam; nec tempore quoquam  
 Antra Ætnæa nigranti magis evomuere favillam, 500  
 Flammarumque globos, vastis nec hiatibus æque  
 Exspirare ignem tellus est visa cavernis.  
 Persæpe interea fumantes æthere ab alto  
 Prorumpent acri piceæ caligine nubes  
 Fulminibus gravidæ, late exurentibus omnia. 505  
 Jam

Jam mare, non mare, at exustæ magis æquor arenæ.  
 Hæc urbeis, eadem & monteis incendia magnos  
 In cinerem & cœli fulgentia mœnia vertent.  
 Hæc rerum summa, hic ipsum manet exitus orbem.  
 Nunc, vigor omniparens, cœli de vertice summo 510  
 Aggredere ô, cantusque move, & sancte ignibus illis  
 Ignavum flagrans æternis excoque pectus,  
 Unde meam vox firma magis mentem ipsa sequatur  
 Arcanas rerum leges, & fata videntem:  
 Quippe novum terris video lucescere solem 515  
 Largius, & liquido vestiri lumine mundum,  
 Ac rerum varias confestim sumere formas.  
 Gramen habent passim & flores jam mollia prata:  
 Jam nemora alta nigras altis surgentibus umbras  
 Arboribus, foliisque sonant & fronde virenti 520  
 Prognatæ lenes zephyris florentibus auræ.  
 Jam rosa, jam violæ, jam purpurei narcissi  
 Perbelle rident gemmantes rore per herbas:  
 Non adeo mixtum magnis Aquilonibus imbrem,  
 Non Austrum metuent nati sine semine flores, 525  
 Non glacialis hiems, non intolerabilis æstas  
 Aurea surgentis vertent bona tempora secli.  
 Ver erit æternum, atque eadem clementia cœli  
 Semper erit.  
 At rex omnipotens felicia tempora inertis 530  
 Non torpere diu sinet, & succumbere somno,  
 Nec rursus morti esse locum: quare ipse ministros  
 Auro fulgentes, & versicoloribus alis,  
 Ante alta stantes donaria voce vocabit:  
 Ite decus juvenes cœli, & clangoribus omnem 535  
 Æthera complete, & tenuéis sine corpore vitas,  
 Antiquos artus, & corpora delaturas  
 Proclamate die hoc eodem me iudice fisti.  
 Aridulæ non tot ventis agitantur arenæ  
 Per Libyæ campos, desertaque littora propter, 540  
 Par-

Parvula non variantis tot sub imagine formæ  
 Corpora commonstrant radiati telâ diei,  
 Quam multæ suberunt ultro citroque volantes  
 Innotuæ, fontesque animæ clangore tubarum  
 Excitæ, & rauco sonitu: mirabile dictu, 545  
 Ipsa olim deleta undis, absumta senectâ,  
 Temporeque extremo vitæ credita flammâ  
 Corpora, in effigiem veterem se, & pristina fingent.  
 Unica in Assyriis qualis felicibus ales  
 Dicitur ex cinere, & redolenti pulvere myrrha, 550  
 Thureque Panchajo cunctantem sponte renasci  
 Aureolis oculis, & pictis undique pennis.  
 Nam si non res in nihilum queat ulla reverti,  
 Quando materies æterno semine constat,  
 Et superat quiddam ipsis indelebile rebus, 555  
 Par est dissidio collapsa, & funere tristi  
 Posse iterum in dulcem revocari corpora vitam.  
 Nonne vides eversam ævo, & superante senectâ  
 Ulmum arcte complexam olim, nunc pulveris atrii  
 Materiam putrem, & glebam telluris inertem, 560  
 Cum Zephyrus graditur pennis, & dulciter orbem  
 Recreat adventu exspectato, & lenibus auris,  
 Aut acino, aut ipsa surgentem uligine rursus  
 Pampineam, & fragili viridantem stipite vitem?  
 Quod si materia adduret, non esse videtur 565  
 Permagnam hoc: qualis Cyclops, aut arte magistra  
 Quisquam opifex alius, statuas hominum armipotentum  
 Quas ruit ipse, eodem curaverit ære refingi.  
 Grandia frustra legit, minimis nec parcit, & altæ  
 Porricit extemplo medios fornacis in igneis: 570  
 Hinc ubi pars omnis mistim est confusa metalli,  
 Æra fluunt liquida, & caulas stridentia complent  
 Compositas multa arte, viri præstante labore:  
 Quippe magis puro hæc spirabunt signa metallo,  
 Inque cavis latebris hæserunt mollius æra. 575

Antiquo Pater omnipotens ex pulvere fingi  
 Corpora pulcre hominum fautorum ex lege jubebit :  
 Non ibi vel captos oculis, non corpore manco  
 Tardipedes videas, nec morbis ægra trahentes  
 Membra, vel invalidos artus instante senecta. 580  
 Mundus aget ver ipsum. ipsum florente juvena  
 Ver homines, erit & pubes, & idem omnibus ævum.  
 Ergo ubi clangore ingenti taratantara raucum  
 Insonuere tubæ, & magnis mugitibus æther,  
 Terribilique omnis sonitu reboavit olympus, 585  
 Pandentur cœli portæ, & stipante caterva  
 Innumera Rex egressus, legionibus ire  
 Ordine composito, & præferri signa jubebit.  
 Mox ubi quadrato fortis stetit agmine quisque,  
 Atque utrinque acies ardentibus adstitit alis, 590  
 Et passim hac illac sese explicuere cohortes,  
 Frontibus æquatis Rex ardua castra movebit :  
 Quem procul ut nubes, cœlique serena secantem  
 Suspicient gentes, palmas ad sidera tendent,  
 Ingentemque una clamorem ad sidera tollent, 595  
 Effusæque ruent. ast illum jam prope factum  
 Bissen excipient proceres: quorum aurea canam  
 Cæsariem, & lævem cingent diademata frontem :  
 Justis de causis & jam olim Regis amici.  
 Quos penes aspiciens mixtos audere nocentes 600  
 Infontes premere, & primos transmittere cursum,  
 Et temere effusos ruere, & jam tollere vultus :  
 Terribilis Rex, & furiis accensus amare,  
 Jamque oculis flammam spirans, odiumque repostum,  
 Ecquis erit modus? ecquis jam vos, inquiet, iste 605  
 Audaces furor eludet? vos sistere contra?  
 Et scelerum tabe, & perfusi sanguine dextras?  
 Ite meæ quondam dulces curæque laboresque,  
 Ast odii nunc causa, & ineluctabilis iræ,  
 Ite domum in tristem, si quis pudor: ite ruentes 610  
 Inque

Inque picis nimbos, & flumina sulphuris atri  
 Æternum late vobis torrentia flammis,  
 Jam tandem vobis dignas me iudice pœnas.  
 At simul intonuit vox hæc, & conscia quenque  
 Vis animi, nec quicquam animo reticente momordit: 615  
 Quisque reus pallens ad lævam, & tristis abibit,  
 Præcipitemque dabit, seseque in tartara condet,  
 Luctifono incassum conturbans omnia questu.  
 Qualis ubi imprudens miles sub nocte maligna  
 Carpit iter male tutum (instat timor atque animum au-  
 Excedens recta silvis se immiscuit atris, (fert 620  
 Dum via perplexum cura frustratur euntem,  
 Castra inimica videt latum se propter, & hostes  
 Ignem ad nocturnum passim per gramina fusos;  
 Suspenditque pedem, & retro vestigia flectit: 625  
 Mox ubi paulisper furtim concessit, anhelans  
 Effugit hostili ex conspectu, atque ocyor Euro.  
 Rex ubi jam fontes secrevit, & expulit ultro,  
 Ceu quondam pastor, cui grex non pascitur unus,  
 Ast isdem in silvis & oves, olidæque capellæ, 630  
 Lanigeros hirtis agnos secernit ab hœdis,  
 Lascivos placidis hœdos discludit ab agnis,  
 Amplexus placide heroas complexibus arctis  
 Hæc, dextræ lacrimis dextras cum junget obortis,  
 Dulciter & vultu trepidantia corda serenans: 635  
 Vos ne ulli maneant usquam me iudice luctus?  
 Vos thura, atque animum ne quicquam mi dederitis?  
 Has vobis sedes, vobis hæc munera seruo  
 Jam pridem, nusquam casura fluentibus annis  
 Aurea regna: decent vos hæc, humaniter & me 640  
 Vos excepistis toties, atque ægra trahentem  
 (Nudus eram, memini) membra, & texistis amictu,  
 Et vestro toties illo recreastis amore.  
 An fugit & vos quondam cum rerum omnium egenos  
 Egregia iuvistis ope, & mœrore levastis? 645  
 Quippe

Quippe & erant illi sanguis meus.  
 Ergo agite intertextam auro, viridique zmaragdo  
 Singlatim chlamydem accipite, & mea sumite dona,  
 Quæ pueri quondam dilecti, & sæpe rogantes  
 Non tulerunt, ausi nimium se credere formæ. 650  
 Jam nostis, res vel cœlo jam notior ulla est?  
 Hac etenim indutos magna ad penetralia divum  
 Indugredi, & nostris par est accumbere mensis.  
 Tum chlamydem cuique auratam, quam ferre manipulos  
 Jufferat, expediet, dona omnipotentis olympi, 655  
 Arte laboratam egregie, manibusque deorum.  
 Vix illa induti liquidum super æthera raptim  
 Tollentur, Regique canent de more cohortes,  
 Et tuba terribilem, & repetent cava tympana bombum.  
 Jamque una emensi liquidas perneciter oras, 660  
 Aurea flammantis cœli delubra subibunt.  
 Ecce autem in foribus Pater ipse occurret amicis  
 Canicie, trabeaque & majestate verendus.  
 Agnoscent proceres longo jam tempore visam  
 Effigiem: simile haud etenim est (ut dicitur) æque 665  
 Lac lacti, non unda undæ, non ignibus ignis,  
 Atque olli Pater: & ni sint jam tempora cana,  
 Amborum quisquam haud queat internoscere vultus.  
 O quantam mihi tu, & qualem, dulcissime, gentem,  
 Nate, refers, quam hilare accipio, quam pectore toto! 670  
 Hæc ille, atque omneis intra aurea tecta vocabit  
 Actutum magni læta ad convivia Regis.  
 Ipse sibi ad dextram Natum, teque, optima Virgo,  
 Victricem, præclare acto Regina triumpho  
 Ad lævam pulchra in palla, gemmisque nitentem 675  
 Componet, proceresque alios ex ordine lectos.  
 Hinc ubi divinis epulis, & nectare sancto  
 Explerit, vinum ex adyto, cellisque repostis  
 Proferet annosum Pater, & cratera coronans  
 Libabit prior: & Nato dum porriget, ore 680



Dum tenuis attinget Natus (mirabile dictu)  
 Inter utrunque latens raptim per pocula serpens  
 Innocuus, multoque ignis candore coruscans,  
 Miscebit se auro: veluti sub sole tepenti,  
 Mane jugis canis gelidus cum liquitur humor. 685  
 Mox cratera alte spumantem, atque undique plenum  
 Expediet Rex convivis: illi ordine longo  
 Accipient, reddentque vices, & dulce bibentum  
 Præpediet sensus laticis divina voluptas.  
 Ergo ubi sedatus tandem sitientibus ardor, 690  
 Una omnes ad Patrem versi, immota tenebunt  
 Lumina, dum Natum complexibus implicat arctis,  
 Dum treis ante torum cœlestibus excitat aras,  
 Flammantemque animam divinis naribus efflat.  
 Ille ut coniectos oculos mirabitur in se. 695  
 Convivarum omnes, longo non tempore visos  
 Ornatus, trabea indutus quos integit alta  
 Recludet, series quibus est longissima rerum  
 Picta peregrie, præscriptaque nomina divûm:  
 Et quas nunc animo cõprendimus haud bene formæ 700  
 Effigiesque auro, & tenui sunt flamine ductæ,  
 Dives opus, textum non enarrabile, centum  
 Ora mihi ex solido si sint conflata metallo,  
 Verba fluant, quales insana per æquora fluctus.  
 Dum vero interea superûm domus alta fiescit, 705  
 Vox ingens, qualis tonitrus, prorumpere cœlo  
 Audita, & late sonitu increbrescere rauco:  
 Aspice, obtutuque oculos defigite in unum;  
 Unus ego omnipotens, ego rex hominumque deûmque,  
 Æternumque bonû, simplexque & summa voluptas. 710

F I N I S.



QVOD BONVM FAVSTVM FELIX  
FORTVNATVMQ. SIT  
QVOD SANCTISS. VIRI CHRI-  
STIANI FIRMVM ESSE DVXE-  
RINT, ID IN NOSTRIS LI-  
BELLIS FIRMVM SAN-  
CTVMQ. ESTO:  
QVÆ A PATRIB. SCRIPTA  
DIVINITVS,  
SACRA SOLENNIA PERPETVA  
MANENTO.

---

*In Editione Basileensi Oporiniana post versam 153.  
Libri III. sequens inseritur:  
Quorum mi semper potior sententia visa est:*

*Auctores antiqui Latini editi, aut  
quamprimum edendi in Typogra-  
phia Cominiana.*

**L**ucilius cum notis Doufæ. 1735. 8.

Plautus. 8. *sub prælo.*

Lucretius cum Argumentis, Censuris, & Variis Le-  
ction. Adduntur in calce Scipionis Capicii de  
Principiis Rerum, & Aonii Palearii de Immor-  
talitate Animorum Poemata elegantissima, quæ pri-  
mum petentibus etiam separatim a Cominodabun-  
tur. 8. 1751.

Catullus cum Jo. Antonii Vulpii Comment. 1737.  
4. *ch. maj.*

Tibullus cum ejusdem Comment. 1749. 4. *ch. maj.*  
Propertius item cum Comment. ejusd. Vulpii, &c.  
2. Vol. 4. *ch. maj. sub prælo.*

Cornelius Nepos cum Variis Lect. 1733. 8.

Sallustius cum Fragm. Vett. Historicorum. 1722. 8.

Virgilius castigatissime ornatissimeque. 1738. 8.

P. Syrus ex M. Velferi rec. & cum notis &c. 8.  
1740.

M. Manilius a diversis illustratus. 8. 1743.


A. Cornelius Celsus & Q. Serenus Samonicus de  
Medicina. Alter, ut ab Almeloveenio editus est  
A. 1713. Alter, ut a Constantino A. 1566. Edi-  
tio novissima, in qua ad cætera omnia quæ in  
priori nostra, Epistolæ sex accedunt Cel. Jo. Bapt.  
Morgagni nunquam antea vulgatæ. Additæ sunt  
in calce Vincentii Beninii Colonienfis in A. Corn.  
Celsum Observationes. 8. 1750.

C. Valerius Flæcus. 1720. 8.

M. Fabius Quintilianus illustratus. 2. Vol. 1736. 8.

Macrobius. Editio earum quæ solum textum con-  
tinent sola integra. 8. 1736.

Boëthius de Consolatione Philosophiæ. 1744. 8.



Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, including the word "Bibliotheca".

Handwritten text, possibly a date or reference number, including the number "8".

Handwritten text, possibly a list of items or a description, including the word "Bibliotheca".

Handwritten text, possibly a date or reference number, including the number "1775".

Handwritten text, possibly a list of items or a description, including the word "Bibliotheca".

Handwritten text, possibly a list of items or a description, including the word "Bibliotheca".

Handwritten text, possibly a list of items or a description, including the word "Bibliotheca".

Handwritten text, possibly a list of items or a description, including the word "Bibliotheca".


Handwritten text, possibly a list of items or a description, including the word "Bibliotheca".


Handwritten text, possibly a list of items or a description, including the word "Bibliotheca".


Handwritten text, possibly a list of items or a description, including the word "Bibliotheca".

Handwritten text, possibly a list of items or a description, including the word "Bibliotheca".

Handwritten text, possibly a list of items or a description, including the word "Bibliotheca".







~~2747~~ 1445

2 52/204



UNIVERSIDAD DE SEVILLA



600707616

2 27471445

